PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

TOMUS SEPTIMUS DECIMUS

(II. novae seriei)



BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre-Dame

ROMAE (119)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1928

16761

v. 17

IMPRIMATUR

—

P. Petrus Boetto, S. I.
Praep. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

—

Sorae, 29 dec. 1928.

† Antonius M. Iannotta
Episcopus Sorae, Aquini et Pontiscurvi

ISOLA DEL LIRI — Società Tipografica Arturo Macioce & Pisani

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Moralis respectus negotiationum

De impugnando lucro immoderato

Disputatio praesens de argumento cuius momentum et difficultas neminem fugiunt, gallice ab auctore conscripta, est in latinum conversa ab amico communi. Verum, ne aegre lingua antiqua, propria vis et significatio capiatur quorundam modorum dicendi de rebus hodiernis, subiunximus in nota verba gallica, ubi opportunum videbatur. Immo textum gallicum integrum lectoribus distribuissemus, nisi venale prostaret Parisiis, Ed. Spes, 1925, opusculum « La morale des affaires », ubi auctor similia proponit et tuetur.

A decem circiter annis, lucta adversus annonae gravitatem (1) excitavit leges multiplices et varias de illicita negotiatione: bellum offensivum cui victoria arrisit an consilia illusoria? Non est nostrum paucis dirimere quaestionem. Ceterum, id quod nostra heic interest, respectus moralis est, qui, velit nolit, legislatori dominatur.

(1) *La vie chére.*

Nullo modo contendimus specimen legislationis comparatae instituere. Ut haec dissertatio definiatur et illustretur, sufficiet breviter exponere statuta successiva alicuius legislationis particularis, gallicae videlicet; ceterum leges diversorum Statuum informantur principiis iuridicis sat affinibus. Et quia legislator moralistae provinciam ingredi cogitur, tentabimus inquirere quomodo principia nostrae theologiae moralis possint et debeant aptari ad adiuncta oeconomica quam maxime complexa et aliquando nova omnino.

Usque ad a. 1916, ut praetor interveniret hae multae condiciones requirebantur: 1^0 ut fraudes essent « efficaces »; 2^0 ut natae essent ex conscia conspiratione plurium possessorum; 3^0 ut hi auxissent vel imminuissent pretia ultra id quod naturalis et libera contentio effecisset. Anno 1916, lex extraordinaria, pro tempore belli punit omnes qui, etiam non dolose, sed ad negotiationem faciendam illicitam (1), i. e. non iustificatam legitimis praevisionibus industrialibus vel commercialibus, extulerint vel tentaverint efferre pretia ultra normam statutam per contentionem naturalem et liberam (2). Si expressa legis verba consideres, lex non vult nota delicti proprie dicti notare lucrum nimium, i. e. quod lucrum regulare nimis superat. Quam citissime tamen (et quis hoc mirabitur?) lucrum immoderatum factum est tribunalibus non dicam elementum materiale delicti sed saltem signum « revelans intentionem delictuosam ».

Quid est igitur lucrum immoderatum? Definitio scilicet iudicis de hoc quam maxime interest moralistae. Immoderatio enim, nimietas, supponit normam; quomodo autem statuas pretium typicum (3)? De facto, iuxta instructiones Ministri, tribunalia gallica funda-

(1) *Dans un but de spéculation illicite.*
(2) *Au-dessus des cours de la concurrence naturelle et libre.*
(3) *Un prix étalon.*

runt suam aestimationem supra taxas publicas vel, his deficientibus, ut saepissime deficiunt, supra « pretia normalia » definita ab institutis technicis (syndacatibus, mercatibus publicis...), a commissionibus, vel consuetudine. Aliquando etiam, factis omnino servientes (1), admittebant systema compensationis pro mercibus depressis, et ponebant ut fundamentum lucrum medium iuxta summam negotiorum supputatum (2).

Conquerentibus negotiatoribus, Parlamentum renovavit quaestionem de lege 1916. Consilium nostrum non est ut deputatos, verbose in partes contrarias de delicto lucri illicito dicentes, diligenter audiamus. Ex hoc certamine animum valde alliciente, sufficit ut moralistae retineant hanc seriem simplicium assertionum quae natae sunt fortasse eos parumper turbare.

Etsi deputati unanimiter condemnant commenticium ius immodice lucrandi, maior pars declarat iudicem non esse idoneum ad definiendum « lucrum immodicum ». Quomodo tamen, qui velit eos insectari, loquetur de influxu in pretium usuale (3) de conspirationibus quae turbant aemulationem, de « malis » pactionibus inter productores, nisi noverit quodnam sit lucrum normale?

Et quod est gravius pro theologo, quo magis affirmant tribunalia esse impotentia ad reprimendos huiusmodi abusus, eo vehementius provocant ad subsidium conscientiae. Impossibile est transferre a dominio theologiae moralis in dominium legum, distinctionem inter lucrum immodicum et lucrum legitimum, quia impossibile est definire lucrum normale.

Numquid moralistis res melius succedent, ubi conatus iudicis frustraneus esse debet? Qua ratione

---

(1) *Très réalistes.*

(2) *Prenaient pour base le bénéfice moyen calculé sur le chiffre global des affaires.*

(3) *De pression sur les cours.*

theologia moralis cum S. Thoma eiusque successoribus definit pretium normale, lucrum licitum? Quo modo accommodabit sua principia traditionalia ad casus omnino novos et complexos oeconomiae hodiernae, quae inclinat ad monopolia? Non ego ausim aggredi solutionem quaestionis. Velim eius verum statum proponere, et adumbrare aliqua elementa solutionis.

Sufficiet paucis recolere principia catholica.

Ut applicet ad casum aliquem specificum suam legem universalem iustitiae, doctrina christiana imponit contractibus principium aequalitatis: ad hoc ut neuter contrahentium laedatur, neuter accipiet magis quam dederit. Merces debent commutari ad aequalitatem; secus habetur usura: « usura est ubi amplius requiritur quam datur », (Corpus iuris canonici. Decreti 2 Pars. Caus. XIV, Qu. III, Cap. IV.).

Profecto pro se quisque uterque, venditor et emptor, putat bene vendidisse et emisse: uterque existimat se magis accipere quam dare: secus actum esset de fervore commerciali. Numquid igitur ambae partes culpandae sunt de usura? Minime; iustitia non curat nisi de valoribus obiectivis deque eorum aequalitate; non estimat res secundum opiniones et commoda personalia, sed secundum generalem earum utilitatem, respectu communitatis hominum vel, ut verbis d'Aguesseau utar, respectu « necessitatis communis ». Et ita fit ut studiis oppositis, statuatur aequilibrium, definiatur media ratio (1) studiorum et appetituum, quae in societate normali, discernit id quod, inter multas res, vere dignum est quod requiratur, et adhaeret obiecto electo secundum modum quo est appetibile, datis necessitatibus et gustibus universitatis hominum. Nunc, re vera, in permutationibus quae fiunt, valor et « appetibilitas » nonne idem

(1) *Par le jeu des oppositions se fixe un équilibre, s'établit une moyenne.*

sunt? nonne « appetibilitas » socialis proprium rerum valorem pressius definiet?

Et istud iudicium collectivum, quod, perpendendo diversas aestimationes et utilitates relativas, habet maiorem probabilitatem attingendi utilitatem communem, valorem oeconomicum, simul detegit nobis, nobis revelat, nobis definit istum valorem. En ratio cur doctores medii-aevi et, post eos, moralistae et oeconomistae tantum momentum annectant « aestimationi communi ».

Fac ut in mercatu abundanti, libero, sibi occurrant emptores venditoresque, homines prudentes, idonei, probi, liberi ab urgentibus necessitatibus, et ab impulsione vigentis moris: consentient de pretiis minime inter se distantibus. Si mercator cedit suam mercem et emptor suam pecuniam, quando, ex hypothesi, neuter urgetur necessitate, et condiciones factae sunt in toto mercatu practice uniformes, ratio est quia contrahentes vere putabant suum negotium agere; mutuae cessiones ab ipsis aestimabantur aequiperatae; ne multa, aequipollentes erant permutatae res: pretium et pactum erant iusta.

Elementum essentiale valoris alicuius rei est eius « utilitas socialis », eius aptitudo ad satisfaciendum necessitatibus communibus; instrumentum autem quod mensurabit, definiet huiusmodi valorem in quotidiano hominum commercio erit aestimatio pariter socialis, collectiva: non quidem necessario iudicium plerorumque, sed hominum peritorum, honestorum, expeditorum; aestimatio quae, cum soluta sit ab angustiis et egoismo personali, et praeterea correcta et exacta utilitatibus oppositis contrahentium, attingit securius normam obiectivam illique accommodatur; et haec aestimatio, non secus atque ipse valor, bene vocatur communis, quia reddit sententiam totius societatis.

Definitum taxatione publica, vero consensu con-

ventionum verbalium, consuetudine vel lege, iustum pretium resultat ex istis iudiciis, utique individualibus, sed elicitis ab hominibus qui sunt pro multis (1), qui, ob eorum mores et professionem conversantur et coniunguntur cum universitate theoretica emptorum et venditorum (2).

Communis aestimatio non neglegit quanti rei effectio constiterit, i. e. quanti *generatim* constiterit: hoc ipsum definitur communi sententia, iudicio de complexu negotiationum, sine respectu adiunctorum extraordinariorum. Damnum experietur fabricator lentus; commodum fabricator qui praestat sollertiore administratione, meliore exsecutione manuali vel ipsis naturalibus adiunctis inceptorum. Reditum huiusmodi sine anxiis conscientiae dubitationibus obtinebit. Ut semel pretia definita sunt in mercatu normali, independenter ab omni coactione, per naturales oblationis et petitionis vices (3), neque iudex neque moralista cogitabunt de molestandis lucris abundantioribus, etiamsi agatur de solido lucro (4) (non dico de portione dividenda) centuplicatae pecuniae, quod fodina quaedam in parte septemtrionali Galliae profitebatur rediisse ex administratione a. 1923.

Hucusque supposuimus aestimationem communem, i. e. ex amplo et libero coetu peritorum. Possuntne tamen huiusmodi condiciones semper facile contingere?

Doctores medii-aevi, renatarum artium vel XVII saeculi, libenter protestabantur se iudicio communitatis obsequi. Saepe pretia definiebantur a Statu vel saltem imponebantur sub aliqua vigilantia ab auctoritate collegiali. Systema nostrum oeconomicum parum novit

---

(1) *Ces jugements d' homnes représentatifs.*

(2) *Sont en contact, en union avec l' ensemble théorique des acheteurs et des vendeurs.*

(3) *Par le jeu naturel de l' offre et de la demande.*

(4) *Bénéfice brut.*

— et minus desiderat — illud actum principis. Sed sumusne vere certi a nobis obtineri aestimationem communem quae sit authentica?

Quomodo eam apprehendas in mercatu turbato, parum mercibus instructo, fluctuante propter inquietos ementes et cupidos mercatores, sicut e. g. tempore belli?

Facile asseritur merces, post rem bene exploratam, emi a fabricatoribus et mercatoribus. Numquid sunt semper tam idonei quam benigna fama fert?

Agitur enim de probe cognoscendo mercis valore non tantum in praesenti, sed etiam post plures menses; agitur de supputanda elevatione vel depressione pretii alicuius mercis iuxta abundantiam vel extenuationem futuram, de praevidendo igitur eo quod accidet in posterum; quae supputatio aliquando caeca est, quoniam in aliquibus casibus huiusmodi praevisiones praecipiunt messes agri vix sati, vel coniectura quaerunt quid futurum sit de grege nascituro. Quid dicam de illis aestimationibus quae reducuntur ad rationes statisticas non sufficientes et plus minusve... expetitas?

Recens proposita lex gallica (mense ianuario 1925) (propositum legis, annexum processui-verbali sessionis 30 ianuarii 1925) fatetur haesitationem magistratuum « in aestimatione praesentis copiae rei frumentariae ».

Ultimis his hebdomadis, augures mercatus lanae sibi obiiciebant statisticas rationes quam diversissimas. Unde haec fluebat conclusio: « nemo potest pertingere ad exactam definitionem commeatus per elementa statistica quae hodie possidemus ».

Satis fuerit observare tabulas statisticas gossypii a perceptione usque ad ultimas excutiones, ut animadverteres simul miras variationes et valida artificia; de saccharo autem, ephemeris nummaria *(Journal de la Bourse et de la Banque:* 27 décembre 1924) facie-

bat attentos suos lectores: « notum est statisticas ra-
« tiones americanas saepe caute sumendas esse: nimias
« utilitates isti mercatui circumstare, ut significationes
« quae circumferuntur considerari possint ut accurate
« exprimentes statum rerum ».

Adhuc melius: mense augusto 1924, Status foederati A. S. decernebant cessationem, quoad cuprum, a publicatione summae mercium productarum, sub praetextu quod artificibus periculosum est res ponere in aperto. « Huiusmodi ars abscondendi lucernam sub modio commodiora efficiet americanis quaestus studia (1) ». (Journal de la Bourse et de la Banque: 9 aout 1924).

Nundinationes (cours) Bursae definiuntur iuxta aliquot oblationes et aliquot petitiones rarefactas (cum maior pars servetur in argentariis). In mercatu publico cambiorum, nonne sessio animosa, ubi aguntur « magnae summae negotiorum » capit permutationes 250.000 et 500.000 L. monetae sterlinae? Et ab hac modica quantitate pendet quidem valor monetae pro universa quadam regione!

Quidam mercatus materiarum primarum vel rerum confectarum sunt fere ex toto, immo aliquando ex toto, subacti a non nullis conglobatis negotiatoribus vel a consentientibus productoribus. Hoc est monopolium, de facto: tunc quid fiet de libera contentione? de aestimatione communi? quomodo tunc definias iustum pretium? Lucrum immodicum?

Debebimusne pervenire ad conclusiones D. Morgan Rees, de evolutione anglicorum « trusts »?

« Contentio non iam subsistit nisi ubi, ob speciales rationes, collusio non aestimatur possibilis. Aetas liberae contentionis in ambitu nationali pertransiit » (2).

Non ausim quidem contendere quod saltem in

---

(1) *Cette politique de la lumière sous le boisseau va permettre aux Américains de spéculer plus commodément.*

(2) *L'ère de la libre concurrence dans le cadre national est passée.*

Gallia maior pars inceptorum industrialium et commercialium subtracta fuerit efficaciter a libera actione oblati et quaesiti. Attamen « non potest satis inculcari « valorem « adamantium » pendere fere ex toto ab « observatione copiae quae in mercatu venalis expo- « nitur, quia adamas non habet practice ullum valorem « intrinsecum, si excipias fines industriales omnino limi- « tatos » : ita testificabatur die 30 novembris 1913 in conventu generali, praeses societatis adamantiferae « de Beers ».

Omnes norunt pactionem internationalem de aere fuso (*acier*), istam concordem voluntatem artificum gallorum, belgarum, luxemburgensium, germanicorum, cecoslovacorum, austriacorum, dum exspectantur Poloni et, post aliquot menses, Angli, qui conveniunt inter se non quidem de pretio, saltem hactenus, sed de quantitate conficienda.

Possimus equidem multiplicare exempla : de gumma elastica, de cadmia, de aluminio, de rebus textis, de pileis, de substantiis explosivis..... non quod velimus reprobare vel globatim repudiare omnem mutuam fabricatorum pactionem. In mercatu nationali, quomodo resisti queat contentioni exterae sine energica disciplina in methodis et in pretiis ? Quomodo pro multis rebus vites effectionem nimiam per totum orbem sine compositione internationali industriarum quarum interest ?

Et ita in regimine oeconomico quo utimur, libera contentio est limitibus circumscripta, aliquando eidem non superest nisi fallax actionis spatium (1). In huiusmodi adiunctis, qua ratione pretium iustum definias ? quaenam lucra poterunt sibi concedere arbitri mercatuum.

Verum etiamsi aestimatio communis suam actio-

(1) Parfois elle est réduite à un champ d'action illusoire.

nem moderatricem exercere iam nequeat, pergit tamen, per tempus plus minusve diuturnum, dirigere conscientiam venditorum. Multo post suum occasum, lux solis illuminat iter viatoris; ita iudicium collectivum mercatus liberi, etsi a non nullis mensibus vel etiam annis senuerit (sunt aetates oeconomicae in quibus mutationes lente fiunt), adhuc erit signum et regula hominibus bonae voluntatis. Lux tamen sublucana etiam atque etiam extenuabitur.

Iam doctores medii-aevi tentaverant pervenire ad iustum pretium non iam indirecte per aestimationem communem, sed via recta.

Theologi, — numero pauci, — qui, diffidentes opinioni generali, commiserant libero partium consensui munus statuendi iustum pretium, curaverant ut obtinerent inter contrahentes pactionem illuminatam, probam, expertem violentiae et doli, et ad hoc indicaverant illis aliquas normas directivas. Analysim facientes eorum quibus nititur valor usualis, isti oeconomistae moralistae retinuerant, ut liquet, facta impendia, expensas fabricationis, et non potuerant oblivisci — iuxta sermonem illius temporis — quoddam « lucrum », quia « philosophus » iam notaverat: commercium proprie dictum constituitur permutatione unius monetae pro altera vel mercis cuiuscunque pro pecunia, quae non necessitatis sed lucri causa fiat.

Et denuo occurrit mysteriosum et obductum istud incognitum, quod semper nos fugit, i. e. *lucrum*.

In supputatione huiusmodi lucri mercatorii, non semper facile patet utrum nostri decessores mediaevales distinguant et seponant retributionem et mercedem susceptoris operis. Ipsi multo minus attendebant ad quaestionem valde modernam: utrum necne iudicandum sit de unoquoque negotio in seipso, separato et prae-

ciso a complexu negotiorum, quasi de re independenti, sine causa et sine effectu (1)?

Nonne negotiator, ut attrahat et retineat emptores, cogitur cedere alias merces exiguo cum lucro, aliquando cum detrimento, ex spe, certo certius, sibi resarciendi et augendi suum lucrum de aliis? Debemusne igitur prohibere ista immoderata pretia et compensationes lucrorum?

Et etiam omissa quaestione de lucro et fructu, quomodo non geremus curam de « valore substitutionis », ut non consideremus nisi pretium acquisitionis?

Nunc ut numquam antea, cum tam repente iactetur nummus et pretium materiarum primarum, venditor debet sollicitus esse de renovanda copia rerum quas venales habebit.

Quo desinit lucrum normale? Ubi incipit lucrum immoderatum? Meminerimus nos versari in hypothesi monopolii, igitur extra mercatum liberum, aestimationem communem, « actionem naturalem oblati et quaesiti ». De solo lucro proprie dicto, deducta mercede dirigentium verba faciemus; adhuc minus intendimus ingredi distinctiones subtiles fructum inter et lucrum, inter reditum laboris et reditum capitalis, inter reditum ordinatoris, « effectoris », et capitalistae. (Plerumque rationes societatum supputant generatim portiones dividendas pro rata capitalis nominalis, dum tituli aestimantur in Bursa et emuntur a novis « generationibus » actionariorum pretio multo maiore: ut praetermittamus casus magis extraordinarios, quidam titulus societatis gummae elasticae primum venalis 400 francis, constat hodie 1810 francis, et eius portio substantialis (2) 70 francorum non producit nisi reditum realem 3,88 p. c. In eadem igitur societate, utilitates reales sodalium

(1) *Faut-il juger chaque opération en elle-même: isolée, - coupée du bloc des affaires, comme un être indépendant, sans cause ni effet?*

(2) *Son dividende substantiel.*

variant variantibus condicionibus acquisitionis actionum).

Notemus solum punctum maximi momenti ad recte et iuste concipiendum regimen capitalisticum. In expensis generalibus, in pretio fabricationis, debetne, potestne ingredi commune hodie fenus capitalis? Capitalis, inquam, actionibus constituti, nam quod ad summas mutuo datas, obligationes, aliave id genus, quaestio non controvertitur. Numquid capitalistae inde ab initio negotii et quin renuntiet suae portioni lucri, licet praemunire se contra aleam suscepti negotii et efflagitare ob allatam pecuniam mercedem, pretium per aversionem definitum (1)?

Capitale non est quoddam « onus » societatis, non est summa credito data susceptori et quae, antequam negotium terminetur, sibi postulat remunerationem temporaneae suae fiduciae, quasi salarium conducti mercennarii. Est potius pecunia quae se obstringit, quae se « collocat ». Est ipsa susceptio, ipse proprietarius qui assumit periculum rei (2); ipse iacit aleam, ipse obtinebit suam retributionem in exitu, — positivo vel negativo, — istius negotiationis. Actionarius non recipit fenus, sed dividendam portionem.

His positis, quodnam lucrum, quodnam augmentum respectu pretii fabricationis permittemus monopolistae..... honesto?

Iuxta principia suae philosophiae socialis, doctores medii-aevi non concedebant negotiatori nisi lucrum moderatum; certo non erit totus in opibus suis amplificandis, intendet simpliciter procurare sibi, mediante suo lucro, eum decentem vitae tenorem qui suo statu

---

(1) *Est-ce que le capitaliste, dès le début de l'opération, et sans renoncer à sa part de bénéfices, est autorisé à se couvrir contre les* aléas *de l'entreprise, et à réclamer, pour l'argent apporté, une rémuneration, un prix forfaitaires?*

(2) Societas anonyma circumscripsit pericula et damna actionarii, linquens ei possibilitatem lucri illimitati.

postulatur; et ferunt ipsos Fugger supputasse pretium suae operae eo solo fine ut « debitum ordinem servarent » et decus domus argentariae sustinerent.

Commissiones gallicae pretiorum normalium statuendorum concedebant ut « lucrum normale » super « onera omnis generis » (« mercede pro pecunia collocata » inclusa) augmentum supra expensas, aliud pro alia merce, sed non superans 15 p. c.

Iuxta oeconomistam germanicum Ad. Wagner, societas debet esse contenta, pro sua portione dividenda, duplicato fenere legali. Potest utique intendere eventum splendidiorem, sed « oeconomia nationalis non inde habet utilitatem peremptoriam ».

Censet P. Vermeersch (« *Theologia moralis* », tomo II, p. 405) ubi agatur de mercibus quae facile, brevi et numerata pecunia venduntur, lucrum non debere excedere 10 vel 12 p. c. (in quo ratio habetur etiam valoris, operae personalis ipsius negotiatoris). Cum ergo taxa feneris legalis commercialis fere congruat cum aestimatione communi, et sit ipsum lucri normalis exemplum, satis erit in negotiis quae non habent aleam, agnoscere mercatori pro sua industria augmentum 4 ad 6 p. c.

In negotiationibus sine alea! Omnino rarae sunt, considerato nostro cambio et nostra politica inconstantia. Quid quod alea condicio est, pretium est inventionum locupletantium et progressus; et quae interdum inducit completam ruinam, honestat etiam locupletationes allicientes immo fascinantes.

Fideles discipuli theologiae socialis, iurati socii collegiorum et magisteria (1) lucrum negotiatoris exigebant ad necessitates et strictam convenientiam suorum aequalium; sed istud moderatum lucrum et honestum istum tenorem vitae ab omni liberae aemula-

(1) *Jurandes et maîtrises.*

tionis formidine immune servabant. Audaces illi negotiatores societatis dictae *la Hanse,* civitatis Genuensis vel Scalarum Orientalium (1), temerarii illi quaesitores fodinarum vel satorum colonialium non iam protegebantur a collegio: corpus iuridicum ipsos sibi permittebat, ipsos non tuebatur a periculo fori cessionis, nec limites legales ponebat regalibus eorum lucris.

Moralia principia de negotiationibus facile id memorant, negotiationes in quibus maxima sunt pericula (2): procurationes metallorum, emporia colonialia, industrias ornatuum, maxima cum libertate suam aleam adire debere, committere se possibili periculo detrimenti..... et etiam solida lucra sperare.

Notandum est quod in multis regionibus societates pecuniariae prudentiorem in diem agendi rationem tenent. Dum in se suscipiebant oeconomicum periculum quod secum fert gestio magnarum illarum conductionum publicarum: quales sunt armaturae decidentium aquarum, vapores, vis electrica, currus urbani (3), nunc malunt totam hanc aleam in ipsum Statum vel in provincias aut municipia refundere et sibi spondere portionem dividendam minimam: sunt mere societates conductrices, mere actrices procurationis v. g. metallorum, quae habent ius ad remunerationem operae istius particularis, utique parum sumptuosae, non iam autem ad pretium securitatis ab alea quam ipsae non amplius adeunt.

---

(1) *Les négociants aventureux de la Hanse, de Gênes ou des Échelles.*

(2) Et unum exemplum afferam, inter tot alia: societas Rumeno - Gallica, nomine *Columbia*, de petroleo, condita a. 1906 habet initia bene auspicantia. Rapide exhauritur solum, et societas in eo est ut iam non solvat fenus debitum creditoribus *(aux obligataires)*. Administratores, animo non dimisso, pergunt, ut facultatibus suis precariis poterant, suam petrolei procurationem amplificare. Quando iam res oeconomica desperata erat, ecce per fossionem felicem e puteo quodam prorumpere petroleum quantitate media quotidiana 100 vel 150 curruum. In fine anni, sola fertilitas huius putei comparat societati magis quam undecies milies milia francorum, usque ad magnum discrimen belli.

(3) *Équipement de chutes d'eau, gaz, électricité, tramways.*

Fatendum est quod monopolium, dum contentionem ad eius interitum usque extenuat, si firmiter stabilitum sit, bonum eventum efficit magis possibilem, et minuit simul cum periculis suum ius ad eorum praemium consequendum.

Sed etiam ea 4 ad 6 p. c. quae, praeter fenus suae pecuniae, theologi fabricatoribus concedunt, non exprimunt nisi pretium medium operae mediae; et huiusmodi praestatio non est aestimanda ex bonis intentionibus, sed ex efficientia et vero reditu. Diploma inventionis, quo technica methodus innovatur, quo labor manualis minuitur et brevior fit series transformationum, ita ut multo minoris constet rei effectio, sibi vindicat ius ad mercedem, ad lucrum eximium; et etiam sine inventis mirabilibus, nemo negabit « cartella », compositiones, ipsa mera foedera commercialia induxisse ordinem magis rationi consentaneum et minoris sumptus in officinis et fabricis, simul ac feliciorem partitionem mandatorum..... ne multa: minuerunt vectiones et summam sumptuum, et notabiliter pretium fabricationis depresserunt (1).

Societas cui nomen Steel corporation, ab a. 1901 ad a. 1910 operas suas aduxit 120 p. c., dum personae ministrantes solis 60 p. c. numero creverunt. Nihilo minus, inde a sua institutione, procuratio aeris fusi non distribuit nisi portiones dividendas « modicas »: 7 p. c. actionibus praelatis; actionibus autem ordinariis 5 p. c. circiter (inclusis lucris tempore belli: 18 p. c. a. 1917, 14 p. c. a. 1918).

Inde concluditur non esse hominis singularis vel

(1) Quando commercium ordinarium habet incrementum 20 vel 25 p. c. in summa suorum lucrorum *(bénéfices bruts)* et 8 vel 10 p. c. in suis lucris solidis *(bénéfices nets)*, apothecae cui plures minores tabernae coniunctae sunt, pro summa lucrorum non postulant nisi 10 vel 15 p. c., solido vero lucro 2 vel 5 p. c. contentae sunt: inde pretium commodius pro emptore et tamen, ob superioritatem organisationis et vectionem rapidam mercium..... « fructus ingentior actionum capitalis ».

societatis privatae definire pretia ex suo arbitrio: semper, et quoad hoc doctores mediaevales nullam dubitationem admittunt, actio oeconomica debet observari, eiusque lucra limitari consuetudine, professione et, aliquando, lege.

In Norvegia consilium quoddam quinque personarum pretia et lucra ordinare potest. In Statis Foederatis Americae Septemptrionalis, collegium, cui nomen « *Federal Trade Commission* » (consistens ex magistratibus, fabricatoribus, negotiatoribus.....) multa potest in « trusts », ad ea investiganda, regulanda, immo et potestate iurisdictionis regenda. Et ultima collatio oeconomica internationalis, se nihil ultra posse censens, hoc saltem commendabat ut publici iuris fierent « cartella » eorumque methodi: ad opinionem autem publicam pertinere attentionem et actionem.

Utique, ad opinionem: ne nimis subrideamus. Vanum esset, ad definiendum lucrum immoderatum, inquirere normam rigidam, limitem idealem, quem nefas esset praeterire. Agitur potius de invenienda mensura, indicatione, re utili ad aestimationem (1). Minister Gallicus iustitiae a. 1919 eleganter scribebat: « pretium fit illicitum..... quando sine ulla controversia, et modo subiecto aestimationi, spatium istud (pretiorum normalium) exceditur (2).

Utique, opus est pervenire denique tandem ad aestimationem individualem, sed quae simul sit collectiva et collegialis; quae aestimatio quidem admovet tabulas oeconomicas (3), sed etiam conceptus morales laboris et pecuniae; deveniendum est ad iudicium de valore, quod minus ex scientia divitiarum quam e con-

---

(1) *Un ordre de grandeur, une indication, un élément utile d'appréciation.*

(2) *Le prix devient illicite... lorsque cette marge (des prix normaux) est dépassée sans conteste possible et dans une proportion à apprécier.*

(3) *Estimation qui mette en branle les barêmes économiques.*

scientia dependet. Animadvertens quod « facta socialia sunt in primis facta mentalia », D. de Tarde affirmat: « arbitramur naturam hominis totam intervenire in aestimatione iusti pretii... ; idea iusti pretii est conceptus totius iustitiae oeconomicae » (1) *Idée du juste prix* (1907), p. 15).

Et contra cupiditates effrenatas, contra individualismum anarchicum, quis igitur resonare faciet vocem huius conscientiae collectivae et vindicationes honestatis publicae ? Brevi, ne diutius immorer, hoc est munus professionis observantis sua officia collegialia. Status curam habentis utilitatis communis, et, ut minimum dicam, opinionis publicae vero christianismo informatae.

ANDREAS ARNOU, S. I.
Doctor scientiarum politicarum et socialium

De reviviscentia sacramentorum ratione " rei et sacramenti „

Iamiam, ab horum « Periodicorum » redactione humanissime invitatus, propositum animo conceperam de sacramentorum reviviscentia disserendi, cum opportunissime oculis meis occurrit prima pars commentarii illius, praeclara laude digni, quem « de reviviscentia sacramentorum, fictione recedente » cl. P. A. HAYNAL, O. P. in periodico « Angelicum » 4 (1927) 51 sqq. edere coepit. Qua de causa a propositi exsecutione abstinere visum est, donec integer Patris HAYNAL commentarius pateret. Quod cum nunc (*Angelicum,* 4 [1927]

(1) *L'idée du juste prix c'est une conception d'ensemble de la justice économique.*

203 sqq 382 sqq) feliciter contingat, a quaestione integre tractanda abstinendum quidem mihi videtur; aliqua tamen promenda putavi, quibus partes a cl. HAYNAL expositas aut absolute laudandas aut minus probandas aut ulterius perficiendas exhibeam.

Et imprimis et fundamenti loco id doctissimo auctori laudi tribuendum esse censeo, quod **omnem sacramentorum reviviscentiam per " rem et sacramentum „ explicare** conatus est. Hac ergo doctrina supposita, lis versari nequit nisi circa quaestiones quasdam accessorias, quas ita solvendas esse reor, ut earum veritas vel ex ipsa omnium quaestionum quasi immanenti cohaerentia et conspiratione patere videatur.

Rem ita prosequor, ut laudatis quibusdam notionibus (pro statu quaestionis) duo ponam asserta:

1) *In cuiuslibet sacramenti susceptione valida subiectum aliquid recipit, quod sit " res et sacramentum „;*

2) *" Res et sacramentum „ in subiecto est ratio qua quodlibet sacramentum reviviscere valeat.*

Notiones. Dicendum cum P. H. (p. 52): *" Reviviscentia* sacramentorum, considerata ex parte ipsius sacramenti aliud nihil est quam: **causalitas efficax sacramenti quantum ad suum effectum principalem, ablato obice.** Si vero consideratur reviviscentia ex parte suscipientis, tunc definitur: **consecutio gratiae sacramentalis vi ipsius sacramenti, valide, sed infructuose quantum ad gratiam, suscepti „.**

« In sacramento tria distinguuntur: sacramentum tantum, *res et sacramentum* (dicam brevius: « rem-sacramentum ») res tantum. Sacramentum dicitur illud quod significat tantum et non significatur: est ipsum signum sensibile in sacramento. Res tantum e contra est illud, quod significatur et ultra non significat: est gratia producta per sacramentum. Res autem et sacramentum, res-sacramentum, est illud, quod significatur per signum sensibile et ulterius significat » (209).

Assertum I. *In cuiuslibet sacramenti susceptione valida, subiectum aliquid recipit, quod sit " res et sacramentum „.*

Exploratum hoc est et ab omnibus concessum quoad tria sacramenta characterem imprimentia, *Baptismum* dico, *Confirmationem* et *Ordinem*. Rectissime P. H. (209): « Hoc (id est res-sacramentum) in sacramentis imprimentibus characterem est ipse character, qui per signum sensibile significatur et ulterius significat gratiam sibi annexam ».

Recte etiam dicitur (396), *Matrimonium* quoque et *Extremam Unctionem* eiusmodi effectum in anima suscipientis producere: « Etenim omnia sacramenta causant id, quod (adicerem: tamquam in se contentum) (1) significant. Sed etiam in Matrimonio et Extrema Unctione significatur per sacramentum sensibile aliquis effectus (tamquam in sacramento contentus) distinctus a gratia et ad eam natura praevius, qui rursus ulteriorem effectum (tamquam in se contentum) significat. Ergo etiam in his duobus sacramentis adest aliquis effectus distinctus a gratia, ad eam natura praevius, qui, cum significet ulteriorem effectum, optimo cum iure dici potest et dicitur « res et sacramentum ». Et pro hac doctrina iure provocatur ad L. Billot, *De Sacramentis,* q. 62, th. VI, n. II.

Iamvero rem-sacramentum *Matrimonii* esse ipsum vinculum coniugale, quatenus ex divina institutione et vi sacramenti significat unionem non solum naturalem, sed etiam supernaturalem inter coniuges, recte asserit P. H. (397). Neque hac de re ullum posse moveri dubium prudens, iustissime asseras.

Extremae Unctionis rem-sacramentum cl. auctor ponit (399) in sublatione inhabilitatis et ineptitudinis ad actus gratiae et gloriae per aliquod positivum impressum, qui effectus est natura praevius

(1) Cfr S. Thomas, v. gr. Suppl. q. 42, a. I ad. 4.

ad gratiam et eam ulterius significat, quae respectu huius datur ad roborandam et perfecte sanandam animam, reddens ipsam perfecte aptam ad repéllendas tentationes et ad actus gratiae et gloriae. Consonat haec doctrina cum illa, quae effectum proximum et maxime proprium Unctionis affirmat esse abstersionem reliquiarum peccati. Alii vero rem-sacramentum Unctionis esse volunt consecrationem quandam aegroti, qua magis quam per ceteras unctiones Deo dicatur (DE BELLEVUE. *La grâce sacramentelle ou effet propre des divers sacrements* 1900), vel consignationem in manus illius, cuius exspectatur indulgentia (BILLOT, l. c.), vel addictionem in misericordiam divinam (LEHMKUHL, *Theol. mor.* II, n. 6). Quaenam ex his sententiis, quarum ultimae non nisi verbis inter se differre videntur, verior sit, non est hic discutiendum. Sufficiat monere, omnibus sententiis unum quoddam esse commune, hoc nempe, quod valide inunctus recipiat per ipsam validam Unctionem quoddam ius ad « rem » sacramenti : id, quod ad nostrum scopum sufficit. Rem-sacramentum Unctionis et Matrimonii reponere in aliqua re physica, de cetero est res nimis incerta.

In sacramento *Paenitentiae* res-sacramentum iuxta auctorem et thomistas communiter est ipsa contritio significata per actus externos paenitentis et verba absolutionis (400). Idque recte quidem iuxta sententiam docentem, contritionem in peccatore produci per ipsam absolutionem, adeo, ut qui inter actum absolutionis, sive voluntarie sive involuntarie distractus, actum contritionis (perfectae), ad quem per ipsam absolutionem moveatur, non eliciat, sacramentum non recipiat utpote invalide confectum propter absentiam alicuius partis essentialis ipsius ritus sacramentalis, contritionis inquam. Cum vero eiusmodi opinio ob manifestas et urgentes rationes admitti non posse videatur, etiam res-sacramentum in alia re est quaerendum : in *iure* ad rem seu ad gratiam

sanctificantem, qua reus a peccatorum vinculis reapse solvatur. Hoc enim ius, ni vehementer fallor cum BILLOT, saltem natura necessario praecedit infusionem gratiae.

« Nusquam enim », ait BILLOT, « sententia iudicialis (et sententia absolutionis in sacramento Paenitentiae profecto est sensu proprio sententia iudicialis) (1) immediate significat et facit solutionem in actu secundo. Nam certe in humanis, iudicium facere nihil aliud est quam ius dicere: dicere, inquam, non speculative, sed practice, per applicationem iuris communis ad casum particularem; adeoque absolvere iudicialiter est facere ius, secundum quod debitum est, ut pro innocente habeatur nec quidquam detrimenti capiat ratione eorum, de quibus fuerat accusatus », et, si tempore sententiae absolutionis accusatus est physice vinctus catenis vel in carcere positus, per sententiam ei fit ius, ut a vinculis et e carcere liberetur. « Ergo si vere Paenitentiae sacramentum per modum iudicii institutum est, oportet, ut legitima formae expositio sit: ego te absolvo iudicialiter a peccatis tuis, id est, ego iudex facio ius, secundum quod debitum est, ut peccatum tibi remittatur » (II ed. 4, p. 45). Neque haec evertuntur iis, quae P. H. dicit p. 219. Manet tamen in utraque sententia affirmatio, quod etiam in sacramento Paenitentiae valide suscepto recipitur in subiecto aliquid, quod habet rationem rei-sacramenti.

Valetne idem de *SS. Eucharistiae* sacramento? Concors est omnium theologorum doctrina, quod Eucharistiae *in esse* competat sacramentum tantum, res et sacramentum, « res tantum, docente iam INNOCENTIO III, ep. « Cum Martha » ad Ioannem quondam archiepisc. Lugdunensem, 29. nov. 1202 (Denzin-

(1) Cfr. quae de hac re scripsi in *Zeitschrift für katholische Theologie*, 50 (1926), 337-370.

ger, ed. 16, 17, n. 415): « Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quae sunt in hoc sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem corporis et virtutem spiritualem. Forma est panis et vini, veritas carnis et sanguinis, virtus unitatis et caritatis. Primum est sacramentum et non res. Secundum est sacramentum et res. Tertium est res et non sacramentum ». Sed haec competunt Eucharistiae **in esse.** Nostra autem scire interest, utrum, sicut in ceteris sacramentis, ita in hoc quoque sacramento *in suscipi* (si ita loqui fas est), habeatur res-sacramentum, prouti nempe susceptio est aliquid a sacramento in esse saltem inadaequate diversum. Nam omnia reliqua omnia sacramenta habent rem-sacramentum, *quatenus* **suscipiuntur,** seu, quod idem est, reliqua omnia sacramenta producunt rem-sacramentum, dummodo valide suscipiantur, **in subiecto.** Unde non solum simile quid de s. communione suspicandum, sed etiam cum vera probabilitate a priori asserendum videtur. Iamvero quid hoc est in s. communione? Ab omnibus reliquis sacramentis res-sacramentum producitur in subiecto, dummodo sacramentum valide suscipiatur: atque in s. communione, dummodo valide (seu sacramentaliter, seu formaliter), non mere materialiter, suscipiatur, in communicante habetur Christi praesentia *hospitalis.* Ut hoc magis explicetur, noto, in ceteris sacramentis validam susceptionem (ex parte adultorum) essentialiter pendere ab **intentione** subiecti: habita intentione illa, qua susceptio sacramenti fit voluntaria, valida — supposita capacitate remota — est susceptio; intentione illa non habita, susceptio est invalida. Ita etiam s. communio intentione habita valide (seu sacramentaliter, seu formaliter) suscipitur, intentione non habita, s. communio invalide (seu non sacramentaliter seu mere materialiter) suscipitur. Atqui Christus eucharisticus eo ipso et hoc solo, quod suscipitur ab eo, qui habet intentionem eundem susci-

piendi, communicantem ingreditur ut *hospes*. Christus eucharisticus positus in pyxide vel in baptizato, qui careat voluntate eum suscipiendi, non est hospes, quia ille tantum est vere hospes, qui a domino domus voluntarie suscipitur: vi huius voluntatis praesentia ad se divertentis hominis evadit hospitalis. (1) Non ergo apparet, quomodo non sit asserendum, eucharistia valide suscepta, in subiecto haberi aliquid, quod sit consimile ei, quod in ceteris sacramentis vocatur " res-sacramentum „ : *res* hic est Christi in communicante praesentia hospitalis, quia per sacramentum externum significatur: nam hostia consecrata est signum spiritualis cibi ab adulto voluntarie suscipiendi; *sacramentum* hic est Christi praesentia hospitalis, quia ipsa haec hospitalis praesentia significat gratiam unionis et caritatis per nobilem hunc hospitem communicanti impertiendam. Quodsi haec rei-sacramenti descriptio et determinatio non placet, saltem hoc negari non posse videtur, communicantem per ipsam s. communionem validam recipere quoddam **ius**, ut, si sit dispositus, a domino eucharistico per modum cibi praesente recipiat rem sacramenti.

Putat DE BELLEVUE (op. cit., p. 106 sq.) rem et sacramentum Eucharistiae (in suscipi) esse coniunctionem quodammodo physicam hominis cum Deo: attamen haec opinio admitti nequit, nisi illa quodammodo physica coniunctio plus esse dicatur quam ipsa realis Christi in communicante praesentia: haec enim tunc etiam habetur, quando homini aut non baptizato aut baptizato nolenti datur s. communio; at vero res-sacramentum numquam datur adulto nisi volenti. LEHMKUHL

(1) In infantibus, Christi eucharistici praesentia, etiam absque ipsorum intentione Christum excipiendi, potest esse vere hospitalis, quia ad eos Ipse se invitat, ut dici solet, si quando aliquis princeps tamquam hospes apud aliquem inferiorem vult divertere.

(l. c.) effectum praevium ad rem sacramenti dicit esse « intimam cum Christo unionem amicam », quae quoad animam quidem moralis sit, ceteroquin plus quam moralis sed plane physica: quae sententia admitti potest, si notioni « unionis amicae » subest notio voluntariae ex parte subiecti (adulti) susceptionis; nam cogitari potest communio alicui amico Christi data deficiente intentione, ut si cui sancto viro baptizato, sano, sed dormienti, infunditur sanguis eucharisticus; quo in casu verificari quidem videtur notio unionis amicae, non autem notio communionis validae, quae necessario supponit in suscipiente intentionem communionis. Unde sistendum est in doctrina antea data, quod res-sacramentum s. communionis sit Christi eucharistici in communicante hospitalis praesentia.

Et sic satis constare videtur de veritate asserti I, in **cuiuslibet** sacramenti *susceptione valida* aliquid in *subiecto* haberi, cui competat ratio « reisacramenti ».

Assertum II : " *Res et sacramentum „ in subiecto est ratio, qua quodlibet sacramentum reviviscere valeat.*

De facto sacramentum *Baptismi* reviviscere posse, P. HAYNAL (68) dicit rectissime esse omnino **certum.** Unde « non videtur adesse difficultas, ut reviviscentia... attribuatur etiam aliis sacramentis imprimentibus characterem, scl. *Confirmationi et Ordini* » (211). Caute et circumspecte de *Extrema Unctione* et *Matrimonio* dicit (223): « Quantum ad fundamenta dogmatica, libenter concedimus, ex illis argumentum certum pro reviviscentia adduci non posse, ideoque doctrinam nostram affirmantem reviviscentiam pro Matrimonio et Extrema Unctione non esse theologice certam, nec posse apodictice probari. Tamen theologice procedendo, ex ipsa

notione sacramenti, ex praxi et ritu Ecclesiae, potuimus rationes convenientiae afferre, quae thesim nostram saltem **valde probabilem** suadent ».

Dicerem potius, hanc doctrinam de reviviscentia Extremae Unctionis et Matrimonii esse **moraliter certam.** Et ratio praecipua in eo versari mihi videtur, quod fere **totus tractatus de re sacramentaria ab initio non tamen ex theorematis** a Christo et apostolis raditis, **quam ex ipsa praxi** sacramentorum **abstractus est,** adeo, ut dicendum sit, doctrinam de sacramentis esse fere universam posteriorem quam ipsorum usum et praxim, ex usu et praxi deductam: quod omni theologo in historia rei sacramentariae versato satis patere videtur. Unde **idem procedendi modus etiamnunc observandus est.** Iam vero, ut P. H. optime ostendit, usus et praxis horum duorum sacramentorum reviviscentiam fere aeque postulare videtur, ut illa antiqua praxis Ecclesiae, infructuose baptizatos non iterum baptizandi, in se continet doctrinam de Baptismi reviviscentia. Sapienter adnotat P. H. (215), inter thomistas ideo deesse desideratum consensum de reviviscentia Unctionis et Matrimonii, « quod ipse S. Thomas quaestionem hanc posterioribus annis, morte praeventus, non elaboraverit », et innuit, doctorem communem, si opportunitatem habuisset in fine vitae de hac quaestione ex professo agendi, propositurum fuisse reviviscentiam horum duorum sacramentorum, et tunc omnes thomistas idem facturos fuisse. Addere liceat: S. Thomas, si potuisset hanc quaestionem tractare, affirmativam sententiam certe non ideo proposuisset, quod in traditione Patrum et theologorum invenisset apodictica argumenta, sed quia perspexisset, hanc doctrinam contineri in usu et praxi Ecclesiae. Procedamus ergo fiducialiter eadem via et ratione!

Agendum nunc est de reviviscentia *Paenitentiae* et *Eucharistiae.* Iuxta P. H., « neganda est reviviscentia

Paenitentiae » (218); « sed nec pro *Eucharistia* admittimus ullam reviviscentiam » (219).

Et hic a sententia cl. auctoris recedere liceat. Etenim ex altera parte reviviscentia horum sacramentorum vel a priori admittenda videtur, quia in ceteris quinque admittitur, adeo, ut exceptio pro his duobus sacramentis positive probanda sit, ex altera vero parte haec exceptio non efficaciter probatur.

Ago primum de *Eucharistia*. Conceditur (219 sq.) quod « cogitari possit, Eucharistiam etiam sacrilege receptam producere gratiam, si suscipiens interea ante digestionem specierum eliciat contritionem. In hoc casu enim adest adhuc sacramentum ». Iam vero quid nos impedit, quominus in hac gratiae productione notionem reviviscentiae praedicemus verificatam? Notio enim reviviscentiae minime postulat, ut gratiae productio debeat longo tempore post susceptionem sacramenti fieri posse. Ita v. g. Extrema Unctio non nisi eo temporis spatio reviviscere potest, quo durat inuncti gravis infirmitas; haec autem brevi tempore tolli potest. Praeterea de conceptu reviviscentiae esse videtur (quem ad modum iuste asserit cl. auctor), ut reviviscentia nonnisi durante « re-sacramento » locum habere possit. Atqui, iuxta sententiam supra expositam, « res-sacramentum » Eucharistiae « in suscipi », seu s. communionis est Christi eucharistici in communicante praesentia hospitalis, — quae cessat cessantibus speciebus. Unde interna rerum et notionum cohaerentia nos quasi cogere videtur, ut illam ab auctore concessam (ut possibilem) productionem gratiae (post indignam communionem) nomine reviviscentiae cohonestemus. At forte quis dixerit in hoc casu agi potius de immediata productione gratiae per ipsum sacramentum quam de mediata illa, mediante nempe re-sacramento, id quod tamen de conceptu sit reviviscentiae. Respondeo: non sacramentum mere ut sic, sed sacramentum voluntarie

susceptum seu Christum eucharisticum qua hospitem tecto exceptum, seu (iuxta prius exposita) rem-sacramentum esse rationem, cur in nostro casu gratia producatur. Nam si supponas, peccatorem involuntarie (in statu v. g. somnambulismi, somni, etc.) s. communionem suscepisse ideoque in eo esse ipsum sacramentum mere ut sic, et deinde eundem peccatorem de statu illo excitatum, sed inconscium praesentiae sacramenti, elicere actum contritionis, certe non dices, eum gratiam recipere vi sacramenti, ex opere operato, sacramentaliter, sed mere ex opere operantis: ergo non sacramentum mere ut sic erit ratio, cur gratia sacramentalis huic tribuatur homini. E contra vero, si peccator voluntarie, seu cum debita intentione Eucharistiam recepit (seu forte etiam, si post involuntariam susceptionem, durantibus tamen speciebus sacramentalibus, elicit intentionem illam, qua praesentia Christi eucharistici hucusque mere materialis evadat hospitalis) et postea ponit actum contritionis, tunc poterit gratiam recipere sacramentalem sacramentaliter: sacramentum reviviscet. Sane quidem, in ceteris sacramentis res-sacramentum in se ipso non continet ipsum sacramentum « in esse », uti obtinet in casu nostro; sed quilibet perspiciet, quod hoc discrimen proveniat ex ipsa diversitate sacramentorum et potius esse rationem quandam, qua nostra explicatio reviviscentiae sacramenti eucharistici commendetur. Quare etiam de Eucharistia valet, quod de ceteris (saltem quinque) sacramentis: potest invalide suscipi, potest valide et infructuose suscipi, potest valide et infructuose receptum, dummodo durante re-sacramento obex removeatur, reviviscere.

Iam de sacramento *Paenitentiae*. Uti iam supra notatum est, vix ac ne vix quidem sustineri potest sententia docens, rem-sacramentum huius sacramenti esse contritionem, sed tenendum est rem-sacramentum constitutum esse in *iure*, quod per sacramentum confertur

peccatori, ut id in eo fiat *physicum*, quo iuxta hunc ordinem peccata gravia diluantur, seu ut ei gratia sanctificans conferatur. Iamvero hoc admisso, non apparet, cur negari debeat possibilitas reviviscentiae in hoc sacramento, immo admittenda est propter analogiam cum ceteris sacramentis (quae analogia, cum in tota theologia, tum in re sacramentaria magnam certe habet vim probandi). Perscrutemur, quae P. H. affert contra reviviscentiam. Primo (219) negat, quod collatio gratiae sit effectus sacramenti, qui separari possit ab essentia sacramenti ; et hoc ita probat (ib.): « Sunt aliqui effectus sacramentorum, qui ab essentia separari nequeunt, sicut e. g. character, transsubstantiatio et infusio gratiae in poenitentia, qua remissio peccatorum obtinetur ». **Resp.**: concedo quoad characterem et transsubstantiationem ; peto probationem quoad infusionem gratiae in poenitentia ; quae probatio cum **hic** non afferatur, interea assertum gratis negare liceat. — Deinde continuo alteram ponit probationem : « Insuper notandum est, hoc sacramentum institutum esse ad modum iudicii. Sed in omni iudicio, positis omnibus, quae ad essentiam pertinent, eo ipso resultat absolutio vel condemnatio rei. Ergo similiter in sacramento poenitentiae positis omnibus, quae ad eius essentiam pertinent, necessario sequitur remissio peccati. Si vero non ponuntur omnia constitutiva essentiae, nec sacramentum validum perficitur ». **Resp.** : supra ex ipsa natura huius sacramenti iudiciali deductum est (cum Billot), rem-sacramentum Paenitentiae esse ius ad gratiam peccatorum remissivam. Nunc adiciendum est, vel repetendum, iudicio essentialiter constituto et sententia valide prolata, sequi quidem immediate effectum aliquem iuridicum, **ius** dico, ut absolutus nullum ex accusatione ferat incommodum, minime vero statim atque illico sequi etiam effectus *physicos,* si quos secum ferat sententia absolutionis, ut. v. g. solutionis

a catenis, liberationis e carcere: ad hos effectus physicos iudicium ex tota sua natura nonnisi ius impertire potest. Idem applicandum ad rem nostram: iudicium paenitentiale effectus iuridicos immediate producere valet, effectus physicos, cuiusmodi est gratiae infusio, non necessario immediate producere debet. Hinc ratio ex indole iudiciali Paenitentiae desumpta potius ostendit, saltem speculative, posse esse hoc sacramentum validum (si effectus essentiales iuridicos producat, id est ius ad gratiam physicam peccati remissivam), sed informe (si effectum illum physicum propter obicem gratiae non statim producat); si vero potest esse validum et simul informe, etiam per se, nisi hoc aliunde excludatur, potest etiam reviviscere. — Sed et aliam affert P. H. rationem (219): « Nec Concilia Florentinum et Tridentinum » (1) supponunt dari aliquando poenitentiam ut sacramentum, quae careret remissione peccati, sed utrumque contritionem « quasi materiam », ergo partem essentialem huius sacramenti vocant. Inde innuunt conditiones, quae sufficiunt et requiruntur ad valorem sacramenti. Ergo si conditiones sufficiunt ad valorem sacramenti, etiam sufficiunt ad remissionem peccati ». Verum est, his conciliis — sicuti nec de pluribus aliis sacramentis — non innui positive, posse dari sacramentum Paenitentiae validum, sed informe; at neque negant.

Et hisce venimus ad considerandos modos et casus, quos statuerunt quidam theologi tamquam eos, quibus valor et informitas Paenitentiae simul haberi possint. Ut recte testatur P. H. (217), tenet BILLOT, « posse dari Poenitentiam informem, inquantum poenitens habet quidem contritionem universalem, tamen non appretiative summam, quatenus non existimatur peccatum ut summum malum prae omnibus timendum.

(1) HUGON, *Tract. dogmatici*, Vol. V, q. I a.3, n. VII, pp. 349-352.

Ita etiam quoad substantiam CAIETANUS (1). Non potest dici improbabilis opinio, contritionem (sive perfectam sive imperfectam) eatenus habere rationem materiae sacramentalis, quatenus **ex natura sua est sensibilis** seu nata, quae manifestetur extrinsecus, rationem autem dispositionis etiam eatenus, quatenus non prorumpit foras; iamvero ut contritio serio concepta manifestetur ad extra, est ei connaturale, ut manifestetur etiam qua appretiative summa, hoc ei connaturale minime est; ergo non sine ratione solida dicitur, contritionem qua seriam esse de materia sacramenti, qua appretiative summam non esse de materia, sed solummodo de necessaria dispositione. Quapropter, si quis bona fide — id quod fortassis non adeo raro accidat — putat se habere contritionem ad peccatorum remissionem requisitam, de facto autem habeat contritionem seriam quidem, at non appretiative summam, ex sua parte (confessione etc. supposita) praebet omnia quae requiri videntur ad sacramenti essentiam, non vero ea omnia, quae requiruntur ad peccati remissionem; quo fiat ut verum habeatur sacramentum sine actuali peccatorum remissione, attamen cum iure ad hanc remissionem (seu cum re-sacramento); quae remissio ei vi sacramenti recepti tum fiet, quando obicem defectuosae dispositionis removerit, id est quando elicuerit actum contritionis appretiative summae.

Cum maiore forte probabilitate reviviscentia Paenitentiae astruenda est pro alio casu, « quem afferunt, scl. quo quis confitetur peccatum unum mortale, de quo (cum summitate appretiationis) dolet ex motivo tantum particulari, et omittit inculpabiliter aliud vel alia peccata, ad quae non se extendit attritio illa ex mo-

---

(1) *Quaestiones de sacramentis, quaestiones de confessione.* Quaesitum quintum.

tivo particulari orta » (217). Ratio est eadem: videntur adesse omnia, quae requiruntur ad sacramenti essentiam, non autem quae requiruntur ad peccati remissionem in actu secundo per infusionem gratiae. Ergo adest sacramentum validum, sed informe, quo non ipsa peccati remissio, sed tantummodo ius ad eandem datur, quod ius effectum suum, remoto obice, seu attritione universali elicita, obtinebit.

Unde huius asserti conclusio sit finalis: sacramenta imprimentia characterem posse reviviscere, certum est, reviviscere posse sacramenta Extremae Unctionis et Matrimonii, est moraliter certum; probabile, non ulla ratione certum est, etiam Paenitentiam et Eucharistiam posse reviviscere. Ipsam reviviscentiam deberi illi effectui praevio infusioni gratiae (primae aut secundae), qui vocatur res-sacramentum, ex commentario Patris HAYNAL et ex modo dictis satis patere videtur.

Multa nunc dicenda essent de modo, quo iuxta cl. auctorem sacramenta ratione rei-sacramenti reviviscant, causalitate, videlicet physica, si haec quaestio momentum haberet pro theologia morali. Id vero unum dicere liceat, causalitatis modum propositum (*Divus Thomas* [Friburg. Helv.] 1925, 49 sqq.) a R. P. MARIN-SOLA O. P. et a R. P. HAYNAL acceptatum tanquam « maiorem probabilitatem » prae se ferentem (390), minime satisfacere. Docet scilicet P. MARIN-SOLA, quod quolibet sacramento post Baptismum suscepto physica quaedam modificatio fiat in charactere baptismali, quae modificatio physica in sacramenti reviviscentia a Deo adhibeatur ut instrumentum physicum ad gratiae productionem; physicam porro illam characteris baptismalis mutationem perpetuam quidem esse in sacramentis Confirmationis et Ordinis utpote characterem indelebilem imprimentibus, temporalem autem (duraturam usque ad cessationem rei-sacramenti) in Matrimonio et Extrema Unctione, et pure transeuntem in Eucharistia et Paenitentia. Difficultatem insuperabilem invenio in explicanda **cessatione** illius modificationis factae per sacramenta Matrimonii et Unctionis in casu saltem illo, quo ob obicem nunquam remotum sacramenta nunquam reviviscunt. Si ponis Matrimonium valide, sed infructuose receptum (quo ergo character baptismalis pysice sit mutatus),

antequam fictio fuerit remota, dissolvi sive alterutrius coniugis morte sive (si est ratum tantum) per auctoritatem Summi Pontificis, iuxta sententiam Patris MARIN-SOLA, in momento solutionis vinculi cessat modificatio illa physica characteris baptismalis: quomodo, quaeso? Numquid modificationem illam physicam tollit coniugi in Europa superstiti alter coniux fortasse in Australia moriens, aut Summus Pontifex? Et si valide sed infructuose inunctus aegrotus, antequam obicem removerit, ex gravi sua infirmitate convalescat et consequenter amittat modificationem illam physicam characteris bapismalis per Unctionem effectam: quis, quaeso, tollit illam modificationem physicam? Recurrere ad **solius** Dei operationem certe non vis; haec enim explicatio esset nulla. Hinc non video, quomodo nova haec explicatio reviviscentiae per physicam characteris baptismalis mutationem explicare valeat physicam sacramentorum in reviviscentia causalitatem. Immo, ut ressacramentum verum sit centrum et quasi cor totius internae efficientiae sacramentorum, non aliqua characteris baptismalis modificatio, sed **ipsum** ressacramentum, ut v. g. character confirmations vel vinculum coniugale, in sacramentorum reviviscentia praedicari debet causa instrumentalis **ultima** et **rei proxima,** eaque moralis, qua res seu gratia producatur sacramenti.

Corollarii loco duo hic animadvertenda veniunt, alterum practicum, alterum theoreticum. Practice ergo, cum omnia sacramenta (magis vel minus certo) possint valide, sed infructuose suscipi, conditio ex parte ministri in administratione adicienda, stante dubio circa subiectum (et stante necessitate sacramentum statim administrandi), nunquam sit: « Si dispositus es », sed semper, etiam in Paenitentia: « Si capax es ». Exceptionem hic patitur solummodo sacramentum eucharisticum, non quia certo non possit reviviscere, sed quia appositione illius conditionis (sive dicas: « si dispositus es », sive « si capax es ») validam administrationem (valide confecti sacramenti) mutare non potes, id, quod in ceteris sacramentis utique obtinet, in his enim et confectio et administratio una simul fiunt.

Magis theoreticum, at vero pro intelligentia totius rei sacramentariae maximi momenti hoc esse videtur, quod ex praemissa distinctione inter sacramentum, rem-sacramentum, rem, et praesertim ex habitudine rei-sacramenti ad **subiectum clara** prosilire videtur *notio* **validae** vel **invalidae** *susceptionis* sacramentorum adeoque suppleri defectus deplorabilis, qui in fere omnium theologorum libris invenitur.

Suppositis omnibus, quae ex parte ministri pro valida sacramenti confectione requiruntur (i. e., si habeatur debitae materiae formaeque per debitum ministrum cum debita intentione positio et, extra consecrationem, ad subiectum applicatio), sacramenti **susceptio** tunc **solum** et **semper** est *valida,* si in subiecto producitur res-sacramentum, — est *invalida,* si in subiecto res-sacramentum non producitur. Huic definitioni adamussim correspondet conceptus « capacitatis ». Illud subiectum ex *capax* alicuius sacramenti seu **valide** suscipere potest aliquod sacramentum, quod habile (1) est ad illius sacramenti **rem-sacramentum** suscipiendum; *incapax* vero est, quod habilitate ad **rem-sacramentum** in se habendum caret. Proinde totaliter sibi correspondent 1) capacitas, 2) ressacramentum, 3) valida susceptio.

Similiter subiectum *dispositum* illud est, quod habet habilitatem ad suscipiendum **rem** sacramenti quoad suam substantiam (i. e. saltem gratiam sanctificantem sive primam sive secundam); indispositum, quod hac habilitate caret.

Hinc intima inter sese relatione nectuntur 1) dispositio, 2) res, 3) fructuosa susceptio.

Atque demum ut redeam ad ea, quae initio dixi, doctrinae circa rem-sacramentum et sacramentorum reviviscentiam expositae veritas ex ipsa omnium quae-

(1) De notione habilitatis cfr. S. Thomas I, q. 48, a. 4.

stionum quasi immanenti cohaerentia et conspiratione patere videtur:

Quodlibet sacramentum, positis iis, quae ex parte ministri requiruntur ad validam confectionem, *suscipitur* **valide,** si subiectum est remote et, accedente in adulto debita intentione, proxime **capax,** *id est,* si habile est ad **rem-sacramentum** recipiendum.

Praesupposita valida susceptione, cuiuslibet sacramenti susceptio est etiam statim **fructuosa,** si subiectum hic et nunc est etiam **dispositum,** *id est* habile ad **rem** recipiendam; deficiente hac habilitate susceptio hic et nunc non est fructuosa (sacramentum manet, quamvis valide confectum et susceptum, informe), atvero, remoto obice defectuosae dispositionis eo temporis spatio, quo durat in subiecto res-sacramentum, susceptio evadet fructuosa, seu sacramentum *reviviscet.*

IOH. B. UMBERG, S. I.
Prof. in Universitate Oenipontana.

Probabilismus et sensus honestatis

Nullatenus nobis propositum est systema probabilismi suis rationibus hoc loco fulcire, sed velimus, in praesenti, dissipare praeiudicium quo mens retardari possit a subeunda vi argumentorum quibus probabilismus re vera demonstratur. Quanta enim sit vis praeiudiciorum in ipsas intellectus adhaesiones, quisnam ignorat, quisnam in se vel in aliis non fere cotidie experitur? Fortissimum autem praeiudicium nasci posset ex ipso sensu qui dicitur probitatis et honestatis, si logicae probabilismi conclusiones isti optimi cuiusque intuitui repugnare cernerentur.

Quantum enim probitas et virtus ad ipsam veri-

tatem moralem assequendam conferant, ab ipso Doctore communi ediscimur.

« Rectitudo iudicii, inquit, potest contingere dupliciter: uno modo secundum perfectum usum rationis; alio modo, propter connaturalitatem quandam ad ea de quibus iam est iudicandum; sicut de iis quae ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte iudicat ille qui didicit scientiam moralem; sed per quandam connaturalitatem ad ipsam, recte iudicat de eis, qui habet habitum castitatis ».

Immo quaedam maior veritatis securitas, ex mente Angelici, virtute procuratur. Naturalis enim intellectus principiorum « non sufficit ad recte iudicandum circa particularia. Contingit enim quandoque quod huiusmodi universale principium cognitum... corrumpatur in particulari per aliquam passionem: sicut concupiscenti, quando concupiscentia vincit, videtur hoc esse bonum quod concupiscit, licet sit contra universale iudicium rationis ». Per virtutem autem moralem fit « quodammodo homini connaturale recte iudicare de fine ». (S. THOM. 1, 2, q. 58 art. 5, et 2, 2, q. 45 art. 2.)

Etenim, cum omnis actio nostra imperetur ultimo iudicio practico de ipsa actione ut a nobis facienda, intellectus, motus voluntate quae passioni cedit iudicat, ut practice nobis, hic et nunc, conveniens, id quod iudicio speculativo, quocum congruit naturalis voluntatis nostrae inclinatio, pronuntiatur malum et non faciendum. Sed huiusmodi discidium aegre diu toleratur. Ita fit, ut homo, nisi melius agere incipiat, mox, movente mala concupiscentia, ipsum iudicium speculativum corrigere, seu potius adulterare conetur. Atque ita passiones nostrae ipsum intellectum obnubilant. Homo, contra, qui passiones suas domuit his tenebris liberatur. Pulcherrimo tamen loco quem allegavimus, S. THOMAS plus nobis revelat. Ni fallimur hoc nobis significat: per habitum virtuosum, compa-

ramus quandam ad virtutem affinitatem qua fit, ut directo intuitu apprehendamus in ipso virtutis principio ea quae sunt istius virtutis, sicut filius amans facilius quam extraneus patrem suum agnoscit. Connaturalitas quid enim dicit nisi istam facilitatem qua praestamus ea quae nobis sunt conaturalia?

Unde merito pro valde suspecta haberemus solutionem moralem, et multo magis generalem normae moralis formulam, qua sensus iste honestatis aliquo modo offenderetur.

Hoc igitur propius examinandum suscepimus.

I. In primis separemus causam probabilismi a causa quorundam Probabilistarum qui, vel tenui ratione pro libertate contenti videbantur, vel nova et singularia aucupantes, ea proferebant quae pias aures certe offendere possunt.

Haec enim, malitiose celebrata et infamata, in ipsam causam refuderunt invidiam quae solos excessus notare debuisset.

Atque hoc modo evenit ut doctrina sic vestibus non suis induta, a non nullis putaretur cum eximio probitatis sensu aegre componi posse.

Quamquam non ultra quam par sit fremendum et succlamandum est. Plures enim damnatae propositiones e castris probabilismo adversis prodierunt, ut pleraeque ex 31 quas per *S. C. S. Officii,* 7 dec. 1690, proscripsit ALEXANDER VIII (*Denz.* n. 1291 ss).

Aliae vero, paucis exceptis de nimis facili usu compensationis occultae et cruentae defensionis, vel diffamationis ad se tutandum (Prop. 30. 31. 36. 44 ex proscriptis anno 1679 ab INNOCENTIO XI per *S. C. S. Offlcii*) respiciunt subtiles et parum ad usum facientes quaestiones de modo implendi praeceptum dilectionis Dei et proximi, adhaerendi verae fidei vel eandem profitendi, de amphibologia in sermone, de natura et liceitate abortus, de iure quo fornicatio vel

mollities prohibeatur, de praeceptis Ecclesiae, de usu sacramentorum. Ne multa: sunt cavillationes reprobandae quidem sed quae intacta esse sinunt magna dogmata moralia, maxime quae intersunt ad commune societatis bonum, ut de castis moribus in matrimonio. Nec silentio praeteriri debuerant omnia bona et optima quae ab iisdem nimis callidis scriptoribus docentur et commendantur. Si tamen, nos catholici, ea merito respuere et vituperare possumus, ius istud potius nostrum proprium est quam multorum qui, extra veram Ecclesiam, se profitentur adversarios et irrisores probabilismi, et nullatenus de actu fidei renovando, de virtute theologicae caritatis exercenda solliciti esse solent, et aperte praedicant quae violant sanctitatem matrimonii per artes neo-malthusianas, sanctitatem proprii corporis per spurcitias contra naturam, sanctitatem personae humanae per mutilationes praetextu hygienico coloratas. Dum haec, sub oculis nostris, verbis, scriptis, interdum scholis approbantur vel laudantur, quandoque legibus firmantur, temerariae novitates quorundam probabilistarum fere pro naeniis habendae sunt. Verum, utcumque haec res se habeat, sensus honestatis qui ab his erroribus se alienum manifestat, nullatenus genuino sed deturpato probabilismo seu falsae eius speciei est contrarius.

II. Id igitur curandum est ut genuinam nobis acquiramus probabilismi rationem. Genuinam inquam, et non prorsus adulterinam qualis reperitur apud celebrem professorem HARNACK. Is, consuetae suae moderationis immemor, in ipso opere ubi tantam eruditionem ostentat, se demonstrat, in impugnando probabilismo, ignarum significationis verborum, et systema describit notis quae in libello famoso potius quam in libro scientifico exspectari possint.

Quid enim ipsi est probabilismus? Est instrumentum ope cuius Ordo Iesuitarum fere omnia peccata

mortalia, in casibus particularibus, in venialia, venialia vero in nulla convertere novit.

In iisdem paginis igitur in quibus doctissimus vir se profitetur rigoristam, ea scribit quae ne laxista quidem a peccato gravi excusaret (1).

Verum ad magis seria properandum est.

III. Etenim, ipsa formula, in se non falsa, qua norma probabilismi effertur, ansam dare potest conceptus erronei vel saltem nimis inadaequati cui sensus honestatis calculum adicere non posset.

Formula huiusmodi esse potest: « Certo *practice licet* quod *speculative* tantum probabiliter licere demonstratur ».

Si huiusmodi formulam nude et abstracte sumas, videtur inter speculativum et practicum iudicium didiscordiam introducere, quae sensu honestatis saltem ut mira apprehenditur.

Praeterea, verbo *licet* videntur laxari habenae libertatis non regulatae. Quemadmodum igitur Ezechiel (c. 37, 4, ss.) iussus est vaticinari de ossibus aridis, ut, superinductis nervis et carnibus, et intromisso spiritu viverent, ita oportet ut ratione hiatum expleamus quo, in ista formula, speculativum a practico iudicio separari dixeris, et declarare quaenam regula superior verbo « *licet* » tollatur, quaenam subsistere sinatur.

Iam vero hiatus in primis explicatur quia, dum intellectus potest affirmare, negare et dubitare, voluntas non potest nisi velle vel nolle, ita ut actum medium non habeat qui dubio *directe* respondeat.

---

(1) *Dogmengeschichte* (ed. 1910) p. 748-756. — Non semel, in causa catholicorum, id accidit, ut qui, ne famae suae scientificae nocerent, diligentissime, immo scrupulose omnia de cultu pagano inquirunt, sollicitudinem veri abdicare videantur cum agitur de religione Christi et de Christianis. Non dissimili ratione, hodie, si quid minimum videtur attentatum contra ordinis perturbatores et novarum rerum studiosos, mundus universus commoveri videtur, dum silentio (saepe venali) premuntur caedes bonorum et catholicorum. Ne haec tamen nimis miremur, cum Dominus nobis mundana odia futura satis denuntiaverit.

Ratione igitur *indirecta* hiatus expleri debet hoc modo: *probabilis* liceitas *dubiam* dicit legem quae praecipit vel vetat, nec legislator homini invincibiliter et positive dubitanti legem de qua est dubium, etiamsi exsistat, non proponit ut regulantem, ita ut consideratio talis legis practice omitti possit.

Quod attinet ad verbum *licet,* hac voce mere respectus unius legis tollitur, idest legis illius quae vere dubia sit; ita ut subsistere sinat omnia praecepta et vetita certa, quae simul libertatem agendi circumscribere possunt.

IV. Hactenus quasi negative ad obiecta respondimus. Expedit iam ut *positiva ratione* declaremus quisnam sit verus conceptus probabilismi.

Deus O. M., rationali hominum naturae consulens, eam satis honorare voluit ut eam in partem vocaret positivae ordinationis huius mundi, offerendo ipsi non nullas partes ordinandas. Ita Ipse solus quidem primum hominem creavit et aedificavit, sed deinceps parentibus elaborandum liquit corpus cui Ipse animam infunderet; ita, in ordine etiam supernaturali, Apostolos misit ut ubique nuntiarent Evangelium quod ipse tantum in Iudaea praedicavit, et Ecclesiam a Se adumbratam perficerent. Nec dissimili ratione ipsas liberas actiones nostras nobis partim ordinandas commisit.

Iussit quidem ut omnes actus liberi nostri cum recta ratione congruerent. Cum recta, inquam ratione, idest cum ordine quem Ipse Supremus Legislator praestituit; cum ordine dein quem subordinati legislatores humani legitime adderent; denique cum ordine quem propria optione nostra induceremus *secundum normas generales actionis bonae.*

Id siquidem novimus, praeter obiectum stricte dictum, etiam finem et circumstantias inter fontes moralitatis reponi.

Omnis quaestio igitur de systemate morali ad hos terminos revocari potest. Quando directe nescimus, nec, post sufficientem indagationem, cognoscere possumus quo modo lex Superioris, sive Deus sit sive Dei Vicarius seu legitima potestas, dirigat actionem nostram, quam imperare, prohibere vel permittere potest, ordinatne ipse actionem nostram, an nobis hanc tunc committat ordinationem, secundum generalia honestatis principia?

Ut aliis utamur verbis: omnis quaestio de systemate morali versatur in recto discrimine *partis iam ordinatae* et *partis ordinandae* ab agente.

Huic quaestioni, Probabilismus, qui simplex appellatur, respondet: tamquam iam ordinatam revereari omnem partem lege moraliter certa regulatam; integrum autem tibi remanet, reliqua prudenter secundum normas generales ordinare; prudenter, seu ad fines honestos et modo honesto. Et hoc, quia lex invincibiliter dubia tibi non est lex.

Idem hac alia ratione exponi potest. Tres fontes moralitatis communi sententia assignantur: obiectum, finis, circumstantiae. Si ob vere gravem rationem, lex de obiecto, vel de fine, vel de circumstantiis est dubia. obiectum vel finis vel istae circumstantiae, sinuntur esse indifferentia, ita ut actio sub hoc respectu nondum suam definitam moralitatem habeat. Sed exempta a lege dubia, actio minime ab aliis legibus certis concurrentibus eximitur.

V. Veniamus iam ad *practica consectaria.*

Qua parte lege non astringitur, actio libere poni vel omitti potest. Quid iam de usu istius libertatis dicemus?

Resp: usus istius libertatis potest esse *praeceptus,* quamvis ratio pro lege vetante sit probabilior; usus iste potest esse *melior* quam *omissio;* demum usus iste potest *minus bonus* quam *electio partis diversae.*

Afferamus exempla.

a) Ut persona quaedam incolumis evadere possit, necesse est ut manum chirurgi patiatur. Usus tamen scalpelli quo possit ei mederi ab aliis aestimatur licitus, ab aliis inhonestus. Utraque pars est probabilis, probabilior sententia severior. Nonne tamen certo praecepto caritatis peritus medicus scalpello suo uti *debebit* ad salvandam vitam istius personae?

In materia sibi competente, Superior tibi praecipit quod probabiliter honestum est, etsi secundum opinionem probabiliorem res mala sit. Nonne inferior oboedire *debebit?*

Paenitens, secundum opinionem minus probabilem agere vult: confessarius ipsi usum istius sententiae permittere *debebit,* nec, contra ac BILLUART (1) existimabat, potest ei absolutionem denegare.

b) Melior, perfectior erit usus opinionis minus probabilis, si fiat *propter bonum praestantius* ipsa lege cuius habetur suspicio, et quod sine omissione istius legis obtineri non potest. V. g. probabile ius tibi est destinandi bonis operibus, v. g. scholae catholicae aedificandae, magnam vim pecuniae quae, non certo, sed probabilius competit nebuloni qui ea est abusurus: perfectius erit pecuniam scholae catholicae destinare.

Licetne porrigere s. communionem, in tali ecclesia, tali hora alicui qui cum magno incommodo suo eam a te petit? Etiam si probabilius adiuncta id non permittant, melius erit ei sacram dapem dare.

c) Contra autem *per se perfectius erit non anteponere commodum tuum ordinationi legis quae probabilius exsistit.*

Ne multa: cum caritas sit regina virtutum, perfectio actionis aestimanda erit secundum maiorem vel

(1) *De Consc.* dissert. 6 art. 4 « Hodie forsan nullus confessarius est qui... sequitur opinionem Billuartii » in hac re (PRÜMMER, O. P., *Theol. mor*, I, 346).

minorem affectum quo actio secundum se refertur ad Deum amatum.

Iam vero, si usus opinionis simpliciter probabilis, etiam concurrente probabiliore pro altera parte, potest esse praeceptus vel melior, profecto nihil inest in probabilismo quod cum perfectissimo sensu honestatis non concordet.

Verum, quid melius sit, hoc probabilismus nobis non revelat, neque ex probabilismo colligere tentavimus, sed, ut modo dicebamus, potissimum lex caritatis de hac re interroganda est.

Inde etiam perspicitur quam immerito contra probabilismum abutantur non nulli (1) his verbis (ceterum parum apte selectis) P. NOLDIN *Principia*, n. 242, quae nunc in editione NOLDIN-SCHMITT, leguntur n. 244, 3: « Si homo christianus in servitio Dei nihil aliud ageret nisi quod stricte lex ex principiis probabilismi postulat, profecto vitam ageret parum homine christiano dignam ». Verba ista ab ipso auctore sic explicantur: « Duo distingui debent, scilicet quid faciendum sit ad strictam legem implendam, et quid faciendum sit ad christianam perfectionem adipiscendam ». Parum tamen apta aestimamus verba optimi theologi moralis, quia nullus probabilismus, sed dispositio ad minima facienda, quae etiam in tutiorista occurrere potest, hunc modum agendi suadet quo quis mere velit stricte praecepta observare; et modus iste tenetur etiam in materia quae certis legibus obnoxia est; et omissio rei non praeceptae non est, secundum se peior, cum propter rationem probabilem quam cum propter rationem directe certam, libera agendi optio demonstratur.

Nisi cum Calvino omnia supponas esse praecepta,

(1) V. g. R. P. I. MENENDEZ REIGADA, in *La Ciencia Tomista*, 1928, p. 35, ubi adhibet verba Domini: « Ex ore tuo te iudico ».

debebis necessaria et perfectiora discernere, et simul laudes negare poteris ei qui tantum stricte praecepta curare voluerit. Quare, sive sis probabilista purus, sive castra ingrediaris probabilioristarum vel aequi-probabilistarum, semper scribere poteris : « Si homo christianus in servitio Dei nihil aliud ageret nisi quod stricte lex ex principiis probabiliorismi vel aequi-probabilismi postulat, profecto vitam ageret parum homine christiano dignam ».

VI. **Conclusio.** Hac nostra expositione, ni fallimur, removetur satis omnis iusta apprehensio de quadam oppositione qua sensus honestatis cum norma probabilismi confligeret.

Velut a posteriori, hoc modo verum ostendimus, quod a priori praesumere poteramus, non posse sensui honestatis repugnare systema quod, servata omni verborum proprietate, rigorose demonstratur, et quod practice commune est omnis prudentis confessarii.

Haec duo praeterea notanda videntur.

Bonum commune postulat, ut probi et religiosi viri vires suas explicare sine aliqua cunctatione et timiditate queant. Si autem, perspecta gravi ratione pro honestate actionis, praeterea necessariam dixeris sollicitudinem quaerendi an forte pars opposita sit probabilior, nonne nimis impeditam eius actionem efficis ?

Sensus honestatis reclamare fortasse poterit malae application probabilismi, ut si ad dubia facti transferas quod de solis dubiis iuris valere potest.

Praeterea, si, perspecto motivo actionis, egeris quae certo minus tibi sunt perfecta, fieri etiam poterit ut experiaris istum remorsum qui timoratis obicit electionem minus laudandam. Sed remorsus iste non refertur ad applicationem alicuius systematis moralis, sed potius ad controversam quaestionem de obligatione sectandi perfectiora.

Haec scripsimus non animo contentioso, sed potius intentione firmandi concordiam saltem inchoatam inter varias scholas moralistarum. Quaenam hodie non permittit usum sententiae solide probabilis de honestate actionis?

A. VERMEERSCH, S. I.

De matrimonio subrepticio

Casus et Quaesitum

Species facti. Caius voluit uxorem ducere Ameliam puellam minorem natu; sed, cum dissensus parentum civiles nuptias impediret, *civile* matrimonium cum Graccha inire visus est, dilata, sub aliquo praetextu, celebratione in facie Ecclesiae. Per intervallum autem, Caius, qui de re cum Graccha convenerat, accersivit Ameliam, quasi amicam ad nuptiale Graechae convivium invitatam. Die autem pro matrimonio in facie Ecclesiae statuto, Caius se contulit in ecclesiam cum Amelia et Graccha, quarum neutra erat parocho cognita. Sed ante altare Amelia in genuflexorium sponsae paratum procubuit, dum Graccha testis locum sumebat. Parochus igitur, consueta formula usus, sponsum interrogare coepit: Caie vis accipere Graccham hic praesentem in tuam legitimam uxorem?... Intuens Ameliam Caius respondit: volo. — Dein parochus ad sponsam: Graccha vis accipere Titium hic praesentem in tuum legitimum maritum?... Non autem Graccha, sed Amelia respondit *volo*. —

Caius et Amelia laeti Ecclesia egressi sunt et tamquam coniuges nuptiale prandium participarunt. « Mox, sic Caius, civili divortio recuperata libertate

a Graccha, etiam civilem caerimoniam cum Amelia perficiam, et sic omnia erunt optime composita ».

Verum laetitiam perturbavit exortum dubium ne, propter errorem parochi, cui Ameliam pro Graccha stata est, matrimonium frustra attentatum esset. Itaque:

Quaeritur: *Num matrimonium est invalidum propter errorem sacerdotis.*

Resp. 1. *Praenotandum.* Can. 1095 statuit: « Parochus valide matrimonio assistit dummodo neque vi neque metu gravi constrictus, requirat et excipiat contrahentium consensum ». Etsi contrahentes matrimonii sunt ministri qui alter alteri sacramentum administrant, ex quo tempore tamen viget decretum *Tametsi,* praesentia sacerdotis requiritur ut testis qualificati, testificantis factam coram Ecclesia contrahentium unionem, et benedicentis ipsi unioni nomine Ecclesiae. Sed dum, secundum decretum *Tametsi,* sufficiebat ut parochus adesset tamquam testis passivus, nunc, post decr. *Ne temere,* cuius Codex c. 1095 sanctionem confirmavit, debet active se gerere, « excipiens contrahentium consensum » quem prius ipse requisivit, ita ut nulla iam fieri possint inopinata matrimonia. Dummodo autem sit testis ultroneus, neque vi, neque metu coactus ut assistentiam suam praebeat, matrimonium est validum.

2. *De Influxu Erroris in Matrimonium.*

Error est falsum iudicium de aliqua re. Est *substantialis,* quando cadat in illa quae ad actus vel contractus substantiam pertinent, aut *accidentalis,* quando afficiat tantum accidentalia ipsius. *Dolus* est *calliditas adhibita ad alterum decipiendum.* Statuit can. 104: « Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus, vel recidat in condicionem sine qua non; secus actus valet, nisi aliud iure caveatur; sed in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris ».

Deinde ius connotat quid intellegendum sit de

errore substantiali in matrimonio. Can 1083 : « 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium ; 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum : *a)* Si error qualitatis redundet in errorem personae ; *b)* Si persona libera matrimonium contrahat cum persona serva ». Sed patet id pronuntiari de errore qui contrahentes afficiat: neuter eorum fraude seu potius errore substantiali decipi potest ; de sacerdote assistente vero nihil dicitur nisi in can. 1095 supra citato : valide assistit si non astringitur vi vel metu.

3. Inde *concludo,* matrimonium in casu non esse invalidum propter errorem parochi. Quod sequentibus rationibus efficio.

I. Sane matrimonium debet regi iure naturae : sed iure naturae omnia matrimonia clandestina sunt valida. Si consensus mutuo datur, id sufficit ad vitam maritalem peragendam. Matrimonia Catholicorum vero ordinantur legibus positivis Ecclesiae. Sed in lege positiva ne verbulum quidem apparet de errore ex parte sacerdotis : solummodo requiritur ut sit testis ultroneus, saltem quatenus nulla vi vel nullo metu coactus sit. Nulla autem vi in casu coactus est. Si fraudem novisset, praesentiam suam recusasset, sed fraudis nescius matrimonio adfuit ultro. Ergo nulla inde causa nullitatis.

Argumentum confirmatur can. 1971, qui nullam actionem dat parocho vel sacerdoti assistenti propter errorem, et in cap. XI, Tit. VII, Libri III, casum non contemplatur matrimonii quod propter errorem parochi vel assistentis convalidandum fuerit.

II. Etsi Amelia respondit nomini Gracchae, hoc non officit validitati sacramenti. Sacerdos non est minister sed testis qualificatus. Putat erronee hanc mulierem coram se stantem esse Graccham, sed quidquid sit de suo errore, attentio eius hic et nunc in hanc

personam praesentem fertur, et ad eandem personam dirigitur eius quaestio. Testis igitur est de unione vera et valida inter compartes coram se stantes, etsi forsan non benedixisset eidem unioni si eius scientia plenior fuisset.

D.r L. RAYMOND
(ex Archidioecesi Bombayensi)

QUAESITA VARIA

I. De usu facultatum in missionibus exteris

Difficultas. Solet S. Sedes peculiaribus missionum necessitatibus consulere ampliando facultates Episcoporum vel Praefectorum Apostolicorum. Rursus autem prudens facultatum usus maiores ibi quam in partibus catholicis difficultates praebere videtur. Etenim, in regione catholica, non est adeo difficile Antistiti personalem casuum notitiam sibi procurare, ita ut ipse per se, vel saltem per selectos viros, opportunas dispensationes vel gratias largiatur.

In exteris missionibus autem res prorsus aliter se habent. Ipsa locorum distantia Ordinarium saepe impedit quo minus per se vel per Superiores regionales facultatibus suis prudenter utatur: his dare potestatem iterum subdelegandi non potest (can. 199 § 5); omnes missionarios directe subdelegare ipsi videtur minus expedire.

Quid igitur in huiusmodi ambagibus efficere possit?

Ut exemplo rem confirmemus, agitur, v. g. de dispensatione in impedimento disparitatis cultus. Ad ipsum valorem dispensationis cautiones sunt exigendae. In remotissimo loco degunt dispensandi, ita ut ne ipse quidem Superior districtus sponsos adire queat.

Remedium tamen non adeo difficile suppetit, si consideres non in omni forma commissoria delegationem contineri.

Id nitide expositum reperias, v. g. post plures alios, apud BIZZARRI, *Collectanea,* p. 666, 1 ed. sub titulo: *Brevis expositio super forma et exsecutione rescriptorum S. Congregationis.*

Quadruplex forma utendi potestate recepta distingui potest.

1. Forma *prorsus gratiosa*, quando ipso rescripto gratia conceditur, ut si, in casu supposito, Ordinarius scribat: « Vi facultatum a S. Sede mihi concessarum, dispenso ut Petrus matrimonium facere possit cum Tullia, non baptizata ».

2. Forma *absolute commissoria,* dicendo, v. g., « Arbitrio et conscientiae Alexandri missionarii remitto ut dispenset in disparitate cultus quae obstat matrimonio Petri cum Tullia, cum facultatibus necessariis et opportunis ».

3. Forma *mixta,* hoc, v. g. modo: « Committo missionario Alexandro, ut, obtentis cautionibus, dispenset ».

4. *Mera deputatio exsecutionis*, v. g. « Pro gratia, et proin Alexandro mando ut dispenset ».

Ne multa: qui facultatem habet potest nulla persona intermedia uti; vel potest partes tum voluntati tum intellectui alterius committere; vel solum postulare iudicium personae intermediae; vel tandem huic, sine optione vel iudicio, exsecutionem solam committere.

Iam vero subdelegatio non habetur nisi in secunda forma, quae absolute commissaria dicitur. Itaque utendo forma mixta, Superior exsecutionem simul prudentem et efficacem obtinere potest.

Quaeres quid faciendum, si ne ipse quidem missionarius vel sacerdos dispensandos adire potest?

Nihil obstat quin examen condicionis implendae committatur viro fido laico. Si cautiones praestandae sunt, fiant coram testibus vel documento scripto et subsignato.

A. VERMEERSCH, S. I.

II. De Religiosis

1. *Supputatio anni noviciatus.*

1. Post authenticam declarationem Pont. Comm. Interpretando Codici, 12 nov. 1922, iam indubitatum est et, ut conici licet, omnibus satis notum, ad ipsam noviciatus validitatem, servandum esse praescriptum c. 34 § 3, n. 3, ita ut annus non compleatur nisi « expleto ultimo die eiusdem numeri », i. e. media nocte istius diei, ac proin primus dies non computetur.

Atque, in *Epitome nostra*, I, n. 659, normam istam nulla exceptione temperavimus. Immo, annum bi-sextilem quidquam referre, expresse negavimus.

2. Quaesitum tamen est de veritate asserti tam generalis. Etenim, sic aiebant, ex can. 32 § 2, « In iure nomine... anni venit spatium 365 dierum » : cur annus noviciatus deberet esse 366 dierum in anno bi-sextili ?

Atque attendas mirum istud consectarium : qui, in anno bi-sextili, noviciatum ingressus sit die 28 februarii, non poterit anno sequente facere vota nisi 1 martii, simul igitur cum eo qui 29 februarii in novicios cooptatus sit.

3. *Resp.* Nihilo minus ut certa sustinenda nobis videtur sententia quae negat in anno bi-sextili locum esse exceptioni. Etenim :

a) Ipse Codex, c. 32, verba *nomine anni venit*

spatium 365 dierum, hac ratione limitat; « nisi mensis et anni dicantur sumendi prout in calendario ». Iam vero, ex c. 34 § 3, si tempus constet uno vel pluribus annis et terminus a quo explicite vel implicite assignetur, « *Mensis et annus sumantur prout sunt in calendario* ».

b) In omni explicatione, occurrunt huiusmodi casus quorum solutio mira videri potest. Ponas duo vacationum menses concedi a die 31, vel 30, vel 29 decembris: duo isti menses canonice elapsi erunt, in triplici casu, ultima die mensis februarii.

2. *Exclaustratio et saecularizatio religiosorum.*

Quamvis exclaustratio saecularizationem praecedere soleat eique viam munire, condicio religiosi exclaustrati non parum differt a condicione religiosi saecularizati. Exclaustratus manet religiosus, votis obstrictus; saecularizatus est sine votis, et iurisdictioni S. C. de Religiosis subtrahitur. Quod autem maxime religiosae Congregationis interest, exclaustratus ius habet redeundi in domum religiosam. Quare Superiores libentius saecularizationi quam exclaustrationi favebant.

Saecularizatio tamen religiosi sacerdotis non modicam interdum molestiam afferebat pro disciplina cleri saecularis. Iure enim quo utimur, Episcopus potest per tres annos probare sacerdotem qui in eius clerum cooptari cupiat. Si experimentum secus cesserit, eum servare minime debet. Sed quo tunc tendet ille religiosus saecularizatus? Est sine Episcopo, sine communitate religiosa, plerumque sine alimentis.

Ut his incommodis remedium afferatur, *S. C. de Religiosis* sacerdotibus professis iam non concedit indultum saecularizationis, sed, in forma commissoria committit Ordinario, qui velit ipsum experiri, facultatem ipsum *exclaustrandi* per experimenti tempus. Hoc

elapso, vel etiam si antea definitive receptus fuerit, *manet saecularizatus.*

Optio igitur exclaustrationis vel saecularizationis, in hoc casu iam Superioribus et religioso eripitur.

A. VERMEERSCH, S. I.

N. B. — Formulam qua S. Congregatio utitur exscribere iuvabit.

Supplex libellus sic ex officio adornatur: *Beatissime Pater... ad pedes S. V. provolutus, implorat indultum saecularizationis, praevio experimento ad normam can. 641 § 2, ob causas S. C. de Religiosis allatas.*

Et Deus, etc.

Vigore facultatum a SS. D. N. concessarum, S. C. Negotiis religiosorum sodalium praeposita, audito voto... et attentis litteris testimonialibus Ordinarii...

Eidem Ordinario benigne commisit ut, pro suo arbitrio et conscientia, Oratori concedat indultum exclaustrationis, durante experimenti tempore, deposita exteriore forma habitus religiosi et servatis ceteris servandis ad normam can. 639 Cod. I. C., et statim ad claustra redire teneatur si forte, perdurante experimenti tempore, ab Ordinario, praemonitis Superioribus.... dimittatur. Transacto vero praefato experimenti tempore, vel etiam prius, si ante exitum experimenti definitive recipiatur, Orator, dummodo de novo titulo canonico sit provisus vel, ipsius Ordinarii iudicio, eius congruae sustentationi aliter cautum sit, maneat saecularizatus, ideoque liberatus a votis in Religione emissis, firmis oneribus Ordini maiori annexis, ac ipso facto incardinatus... ad normam can. 640 § 1, n. 1. 2, et 641 § 2 Cod. I. C. Decretum autem exsecutoriale huius rescripti communicetur cum hac S. C. et cum Superiore generali.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, etc.

Casus de iurisdictione Confessarii.

Leonardus missionarius excurrens, his difficultatibus non leviter commotus et turbatus est.

I. Invitatus a parocho rurali ad praedicandam missionem, cum in dissitam istam parochiam advenisset, parochum statim sic allocutus est: « Suppono, Reverende Domine, facultates necessarias a Rev. Episcopo per Te petitas fuisse ». — Quod cum iste negasset, communis deliberationis is fructus fuit, ut nuntiarent e suggestu confessiones a missionario audiri non posse ante tres dies, donec Episcopus litteras iurisdictionis non misisset.

II. Cum ad ipsum accessisset sacerdos parochus qui complicem absolverat, absolutionem distulit donec a S. Paenitentiaria congruentem facultatem obtinuisset. Simul tamen non sine tristitia secum reputabat molestiam ferendam a parocho reo, qui missam cotidie dicere moraliter cogebatur ante receptam absolutionem a peccatis et censuris.

III. Dum in ecclesia latina excipiebat confessiones, occurrit inter paenitentes Orientalis, qui, accusato peccato adulterii, addidit peccatum istud esse in suo ritu reservatum. Inde valde perplexus fuit Leonardus, memor canonis 1 quo Codex dicitur solam Ecclesiam latinam respicere. « Quo iure, sic cogitabat, potero ad. istum paenitentem applicare normas Codicis de casibus reservatis ».

Quaeritur iam quomodo Leonardo interroganti de tribus istis difficultatibus respondendum sit.

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De canone 1070 § 1 eiusque opportunitate

Canone isto impedimentum dirimens disparitatis cultus circumscribitur iis qui baptismo vel conversione ad Ecclesiam catholicam pertinent. Sic enim effertur: « § 1. Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa ».

Exceptio qua personae natae et perseverantes in schismate aut haeresi impedimento disparitatis cultus eximuntur prorsus nova est in iure. Tam nova est, ut b. m. P. LEHMKUHL, in paucis notis quas, ante obitum suum, de novo Codice ipsi scribere licuit, non ausus sit canonem secundum vim suam naturalem intellegere, et maluerit violenta interpretatione istud consectarium evitare.

Nihilo minus sanctio ista urgentissimis rationibus commendatur. Quod sic paucis ostendere velimus.

Antiqua sane regula praedicabatur, baptismum dubium praesumendum esse validum in ordine ad matrimonium.

Estne tamen fas matrimonium cum dubio impedimento contrahere? Perpetuum istud obstat, nos prohiberi quo minus sacramenta periculo nullitatis

exponamus. Quod multo magis urgendum videtur de matrimonio. Invalida enim matrimonii conclusio non est transiens sacrilegium, sed initium dat longo et per se perpetuo concubinatui. Ut aliis verbis utamur, subsistente isto dubio, singulae copulae sunt tot probabiles fornicationes.

Exceptio tamen admittitur pro dubia impotentia, ne, sine propria culpa, homo ad perpetuam et involuntariam continentiam adigatur.

Quare, non defuere scriptores bonae notae qui existimarunt istam praesumptionem pro matrimonii valore muniri virtuali dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, ut dispensatione ista omne periculum nullitatis evacuetur.

Sed paulatim, per declarationes *Supr. C. S. Officii,* ad persuasionem contrariam deventum est. Satis constitit ab Ecclesiae mente abesse ut defectum baptismi condicionate suppleret.

Ad varia igitur remedia recurrendum fuit.

Ac statim se offerebat condicionata baptismi iteratio. Quae iteratio re vera facienda praecipitur parti catholicae quae, ante nuptias, se reperit dubie baptizatam.

Verum usus istius remedii, cum dubius est baptismus partis acatholicae, merito exclusus est declarationibus *S. Officii,* quod non vult ut cooperemur baptismo condicionato eius qui in secta acatholica permanere intendit.

Pars tamen catholica quae nuptias facit cum haeretico vel acatholico dubie baptizato, ipsa impetrare potest condicionatam dispensationem ab impedimento disparitatis cultus. Qua via, denuo valor matrimonii fit certus.

Restat tunc casus matrimonii partis non baptizatae cum parte haeretica vel schismatica dubie baptizata. Hic de iterando baptismo non cogitabitur, et via di-

spensationis interclusa est, tum quia acatholici eam non petent, tum quia Ecclesia eandem permanentibus in schismate vel haeresi non concedet.

Hic opportunissime validitati nuptiarum per § 1 can. 1070 consuletur. Huiusmodi dispositio ad praesentem Ecclesiae mentem omnino quadrat.

Dum enim, ante decretum *Ne Temere,* 2 aug. 1907, haeretici non dispensabantur a praescripta sollemnitate formae substantialis ubi decr. *Tametsi* fuisset tamquam decretum Conc. Tridentini promulgatum, et sic innumerabiles fiebant uuptiae mere putativae, nunc, per dispensationem a servanda forma Ecclesiae catholicae, S. Sedes obtinere conatur ut etiam inter acatholicos baptizatos matrimonia nulla potius rara fiant.

Quocirca praesens § 1 can. 1070 considerari potest ut logicum corollarium immunitatis acatholicorum a canonica celebrationis forma.

A. VERMEERSCH, S. I.

De ignorantia et errore in censurarum specialissimo modo reservatarum absolutione.

Inter leges quae ad bonum commune stabiliendum statuuntur, aliae poenas imponunt, aliae sollemnitates et condiciones quae ad valorem aliquorum actuum requiruntur, praefiniunt. A quibus in iure civili nullus error neque ignorantia per se eximunt: nemo legem ignorare existimatur, immo ignorantia iuris nocet. E contra, in iure canonico, ignorantiae et erroris ita ratio habetur ut in poenis aequa servetur proportio cum imputabilitate: « violatio legis ignoratae nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis... Ignorantia solius poenae imputabilitatem... minuit » (can. 2202 § 1.

2. Cfr can. 2218 § 1). Cuius excusationis can. 2229 limites definit. Declaraturque in can. 2202 § 3. « Quae de ignorantia statuuntur valent quoque de inadvertentia et errore ». Leges autem inhabilitantes et irritantes opposito reguntur principio: nulla ignorantia ab eisdem excusat » (can. 16 § 1). Sed hanc generalem normam, quae, ne bonum publicum a lege intentum ex ignorantia privati detrimentum patiatur, praecavet, hac clausula temperavit legislator: « nisi aliud expresse dicatur ». Etenim si facilius applicantur principia legibus quae irregularitates statuunt (can. 988), quomodo applicetur illis legibus quae censuras decernunt? Nam censurae, praesertim reservatae, cum sint poenae medicinales, et quoad reservationem absolutionis aliquam inhabilitatem dicant, duobus illis contrariis principiis regi videntur, nempe in ipsa *contractione* ut poenae (can. 2199. 2201. 2202. 2203. 2218. 2229), et quoad *absolutionem* ut leges inhabilitantes. Legislator tamen, normae generali derogans, secundum temperamentum in can. 16 § 1 praevisum, statuit: « Si confessarius, ignorans reservationem, paenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo reservata » (can. 2247 § 3). Unde, cum hic videatur applicanda norma de imputabilitate statuta: « quae de ignorantia statuuntur valent quoque de inadvertentia et errore » (can. 2202 § 3), quotiescumque ex ignorantia vel errore vel inadvertentia confessarius censuratum absolvit, valet absolutio. Manet nihilo minus difficultas quod ad censuras quae ab illa concessione eximuntur.

Si, quotiescumque censuram specialissimo modo reservatam ignorans confessarius absolverit, nulla est absolutio, estne eodem modo nulla quotiescumque confessarius de ea iudicans erraverit? Res est summi momenti. Etenim, cum « censura semel contracta, tollatur tantum legitima absolutione » (can. 2248 § 1), nemo non

videt quam gravia damna ex errore confessarii sint paenitenti timenda. Ad haec illustranda sit casus sequens.

Titius sacerdos, qui pluries complicem in peccato turpi absolvit, adit Caium confessarium et de crimine se accusat. Caius eum interrogat: quare non dubitasset sic complicem absolvere; an nesciebat hoc peccatum censura specialissimo modo reservata plecti? Tunc Titius: aliqua suspicione laborabam, sed credebam hanc poenam illos tantum qui actibus completis peccarent afficere; quare per tres menses complicem in peccatis incompletis absolvi ». Quibus auditis, Caius concludit Titium censuram non incurisse, quia ex canone 2229 § 3 n. 1 « ignorantia sive legis sive poenae si non fuit crassa vel supina, excusat a medicinalibus non autem a vindicativis latae sententiae »; atqui in casu datur ignorantia quae non est crassa et supina, et censura est poena medicinalis. Ergo nulla censura. Unde, admonitione facta, Titium modo solito absolutum dimittit. Postea vero anxietate pressus quaerit an erraverit, et timet de consequentiis falsi sui iudicii. Iusta videtur anxietas Caii: nam si concedendum est Titium in prima absolutione complici data, laborasse probabiliter ignorantia gravi non autem crassa et supina; cum remaneret in illa dubia fide, et nulla inquisitione ad veritatem quaerendam instituta, certo ignorantiam crassam et supinam admisit (cfr can. 2203 § 1). Unde, contraxit censuram a qua Caius eum non absolvit, ne ipsa quidem generali formula in omni absolutione expressa, cum nollet absolvere quod iudicasset non exsistere. Unde videtur Titius hac censura teneri nec posse absolvi, nam ipse censuram ignorat (can. 2249). Ab ea posset tantum absolvi sub condicione recursus intra mensem faciendi (can. 2254). Non valet enim absolutio censurae specialissimo modo reservatae data a confessario qui eam ignorat

(can. 2247 § 3). Immo, dum « censura semel contracta » non tollitur nisi legitima absolutione « (can. 2248 § 1), cum impediat sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura fuerit absolutus » (can. 2250 § 2). Unde Titius videtur adhuc omnes privationes excommunicationis pati.

Quae omnia incommoda verificantur quotiescumque errat confessarius in iudicio lato de censuris specialissimo modo reservatis, his tamen admissis: 1^0 omnem errorem in iure ignorantiam reputari; 2^0 canonem 2247 § 3 sic esse intellegendum: « Si confessarius ignorans reservationem, poenitentem a censura et peccato absolvit, absolutio censurae valet dummodo ne sit censura ab homine aut specialissimo modo reservata », id significare: « quotiescumque confessarius iudicet censuram quae est reservata, non esse contractam aut esse dubiam, dum concludendum esset, omnibus circumstantiis notis et perpensis, illam contractam fuisse, nulla est absolutio ». Ex illis condicionibus tota pendet quaestio. Etenim « delegatus mandati sui limites excedit qui alio modo ac deleganti placuerit agit, si modus ipse fuerit praescriptus tamquam condicio (can. 203 § 2); et mandati sui fines excedens nihil agit (can. 203 § 1).

Unde quaerendus est quisnam sit ille modus ab Ecclesia praescriptus, quaenam sit mens voluntasque ecclesiae in absolutione censurae reservatae.

Mens Ecclesiae apparet ex ipsis principiis quae absolutionem censurarum regunt, paesertim quando, in solutionibus ab auctoribus ante vel post Codicis promulgationem, applicantur; tandem ex ipsis obiectionibus hac luce examinatis.

Et haec erit nostra solutio: *Valida et directa est absolutio censurae reservatae in formula consueta absolutionis expressa, quando confessarius prudenter iudi-*

cium tulit et conclusit eam dubiam vel nullam esse, etsi de facto iudicium suum non fuerit veritati conforme; invalida est absolutio censurae specialissimo modo reservatae, quando iudicium confessarius de ea non tulit, vel imprudenter, vel laborans vera ignorantia sive legis sive ipsius casus et non tantum de illius circumstantia.

I. — *Ex principiis de absolutione censurae reservatae.*

Censura, ut est poena medicinalis (c. 2216. 2241) qua fidelis quibusdam bonis spiritualibus et spiritualibus annexis privatur, finem habet emendationem delinquentis timoremque incutiendum (c. 2214). Incurritur delicto *externo, gravi, consummato* perfecte in suo genere et quoad omnes circumstantias a iure determinatas (c. 2242 § 1). Censura latae sententiae, de qua agimus, ipso facto commissi delicti incurritur (c. 2217 § 2, 2232 § 1; 2242 § 2) et ex eo quod verificantur condiciones a lege statutae, iam reum efficit censuratum. Ille nescire vel dubitare potest, et in dubio agere ut non censuratus, attamen de facto censura est vel non est: verificatis condicionibus requisitis, censura omnes suos effectus essentiales in utroque foro parit.

In utroque foro; nam utrumque forum afficit; unde ad absolutionem impertiendam, exigit potestatem a fori interni iurisdictione omnino diversam: per se ille tantum absolvere a censura potest qui legem vel praeceptum tulit aut cui potestas concessa est. Nunc (c. 2253 § 2⁰) absolvere potest « in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicumque iurisdictione in foro externo habeat in reum » dummodo censura non sit reservata.

Reservatio est, ex c. 893, limitatio iurisdictionis ex hoc quod Superior casus ad suum advocat iudicium, limitans inferioribus potestatem absolvendi, quae limitatio, ad bonum privatum et publicum necessaria

(c. 897. 2246), non est poena; confessarium directe afficit ut casus delinquentis maturiori iudicio subiciatur.

Censura non reservatur nisi expresse dicatur (c. 2245 § 4); quotiescumque censura non est reservata, ab ea confessarius absolvere potest. Dum, independenter ab omni iudicio, ex eo quod verificantur condiciones omnes vel non, ille qui commisit delictum punitum censura reservata tenetur vel non a censura, confessarius antequam absolvet, iudicium ferre debet de illa censura, et hoc iudicio definiuntur limites suae potestatis.

Hoc iudicium Codex I. C. supponit, eius normas suppeditat, qua mente fieri debeat declarat. Confessarius paenitentem dispositum absolvere debet, nisi sit obex alicuius censurae reservatae. De illa iudicare debet: quod supponit cognitionem de imputabilitate delicti; nam « poena lege statuta non incurritur nisi delictum fuerit in suo genere perfectum » (c. 2228. 2229. 2242).

Danturne omnes condiciones necessariae ad censuram et talem censuram incurrendam? En quaestio solvenda. Iam vero, in materia tam delicata necessaria est interpretatio quam c. 2219 § 1 supponit: « in poenis benignior interpretatio est facienda ». Ad illam faciendam, canones 2202. 2229 normas imputabilitatis definiunt.

Unde Codex dici potest exigere hoc iudicium, immo declarare qua mente fieri debeat: censura est poena, strictae subicitur interpretationi; reservatio non est poena « sed est odiosa tum ipsi confessario, tum poenitentibus » (Billuart: *De Poenit.* Dissert. VI. art. VI. § 1). Haec omnia affirmat canon 19. « leges quae poenam statuunt aut liberum exercitium iurium coarctant, aut exceptionem a lege continent strictae subsunt interpretationi ». Huius normae applicatio fit in poenis canone 2219 § 1: « in poenis benignior interpretatio est facienda ».

Tali animo iudicet confessarius num dentur omnes condiciones ut sit censura. — Si videt condiciones verificari, agnoscit censuram quae, si ita lege statuitur, dicenda est reservata. In illam per se confessarius nihil potest. Sed ne obliviscatur in Regula iuris 49 in 6^0 iam dici: in dubio favendum esse reo, a Codice I. C. vero censuram strictam recipere interpretationem (c. 2246 § 2), et in dubio sive iuris sive facti reservationem non urgere. Quare non urget reservatio, seu non suspendit potestatem confessarii quotiescumque ex illa inquisitione concludit deficere aut dubiam esse aliquam ex illis condicionibus ad hanc censuram incurrendam requisitis.

Paenitens fortasse censura tenetur. Sed confessario, non ut iudici in *discrimine iustitiae*, veritas causae primario inquirenda est, sed quasi iudici *in causa criminali,* qui delictum tantum omni parte certum punit, illud primario quaerendum est, scilicet utrum clarum sit annon et moraliter certum dari censuram. Si in hoc iudicio, ex voluntate Ecclesiae paterno animo lato, dubium est sive iuris sive facti, cessat reservatio, et, stante hoc iudicio, valida et directa est absolutio, etiamsi re vera paenitens a censura tenebatur quam confessarius, alicui circumstantiae non attendens, non agnovit.

Sed quomodo admitti possit potestatem in reservata pendere a iudicio, a dubio confessarii, immo a dubio quod subiectivum erroneumque esse possit?

Primo notandum est potestatem non a iudicio aut dubio dari, sed limitationem potestatis ex voluntate Ecclesiae iam non dari stante dubio aut iudicio excusante.

Deinde hoc nec mirum nec insolitum nec novum habendum est.

A) *Non mirum* est illi qui non obliviscitur quid

intendat Ecclesia in censurae absolutione et quo animo hoc iudicium ferri debeat;

B) *Non est quid insolitum,* et exemplum sit potestas a Clemente VIII *(" Sanctissimus „* 26 maii 1593. GASP., I, 177.) regularibus concessa et nunc a canone 900 § 2 omnibus extensa, qua confessarius absolvere potest a casu reservato quando facultatem Superior denegaverit. Unde iudicium inferioris iudicis iudicio Superioris praevalet, facultatemque confert. In eodem canone, expresse dicitur absolvi posse « Quotiescumque prudenti confessarii iudicio (non dicitur *" prudentis „)* facultas peti nequeat sine gravi incommodo. Ad validitatem iudicare debet confessarius de illius incommodi exsistentia et gravitate. Idem iudicium eiusdem efficacitatis requiritur canone 2254 § 1. et 3ª, in censurarum absolutione.

At aliqua ex commentatoribus affere iuvat: « Aestimatio adiunctorum, scribit Pater CAPPELLO (*de Sacram.* II, Paenit., nº 555.) unice prudenti confessarii iudicio committitur, qui, omnibus circumstantiis mature perpensis, sibi conscientiam efformare debet utrum absolutio danda sit necne... si dubitet serio, potest absolvere; si data absolutione dubium superveniat, hoc spernere debet, nisi certo constet omnino imprudenter egisse » (Cfr NOLDIN-SCHMITT, III, 367°, 7. GÉNICOT-SALSM, II, 348).

Idem dicendum est de absolutione in periculo mortis ex can. 882. « Periculum mortis est circumstantia moraliter equidem aestimanda, quae, attento canone 2252, ad valorem absolutionis requiritur... Si falso existimat confessarius, absolutio est certo valida et, stante bona fide, licita » (CAPPELLO, *Sacram. II, Poenit.* 568).

Unde extraordinarium dici non potest facultates aliquo modo a iudicio prudenti etsi erroneo pendere. Immo nec est novum.

C). *Non est novum:* quod probatur ex sententia

auctorum ante Codicem, de dubio, de effectu dubii, de dubio erroneo.

Communiter affirmant « in dubio non dari reservationem ». Alii vero dubia distinguentes et modo diverso definientes regulam, eam negant vel in dubium vocant in casu dubii iuris; plerique tamen non distinguunt aut cum inaequali certitudine omnibus casibus eam applicant. Sanctus ALPHONSUS (VI, 600) omnem limitationem respuit, regulam communem et certam affirmat in dubio facti, communem et certe probabilem in dubio iuris. (Cfr SUAREZ: *De censuris*: V, disp. 40 sect 6. n. 5 — *Salmant:* Tr. X, cap. I, punct. XVI. — BILLUART: *De Poenit. :* Dissert VI, art. VI, § 1. 5. — D'ANNIBALE, I, 80 et 342. — LUGO, *De Sacr. Poenit.,* Disp. 20, Sect. 2, n. 16. 4-24).

Sententiam suam comprobant ex praxi et sententia communi, sive quando agitur de casibus reservatis, sive de censuris, sive de dispensatione in dubio facti; ex necessitate rectae gubernationis; ex regulis iuris 15 et 49 in VI; ex tutiorismo qui aliter vitari non posset; ex ipsa natura potestatis quae ita in dubio conceditur ut valeat pro casu ubi vera esset reservatio. Card. DE LUGO, conexionem inter potestatem concessam et dubium optime exaggerat: « absolvens ab haeresi dubia valide absolvit, ... nam « cessavit reservatio propter dubium adveniens; in quo dubio suspenditur reservatio, ita tamen ut si, durante illo dubio, non absolvatur poenitens, postea cessante dubio, redeat reservatio et iam non potest absolvi ab inferiori » (*De Sacr. Poenit.* Disp. 20, Sect. 2 n. 16. 23-24).

In hoc ipso loco Cardinalis DE LUGO tractat quaestionem quae omnibus obvia est; num valet absolutio quae a confessario non privilegiato datur quando, dubia est censura reservata, validane est quando, re postea melius examinata, censura certa fuisse agnoscitur? In responsione huic quaestioni hoc modo generali positae, aucto-

res consueverunt tractare tantum de paenitente qui post absolutionem dubium deposuit et agnoscit falso accusasse reservatum ut dubium, cum esset certum (S. ALPH., VI, 600). Concludunt: valida est absolutio et directa, quare non est iteranda accusatio alicui sacerdoti privilegiato. (SANCHEZ. I, *de Decal.*, cap. 10, 44 n. 10 — LUGO, *De Sacr. Poenit*, Disp. XX, Sect II, n. 16. 230; — BILLUART, *Poenit.*, Dissert VI. art VI. § 1. — D'ANNIBALE, I, 342, nota 33). Sic concludit Sanctus ALPHONSUS (VI, 600, 2^0.), cuius testimonium hic maioris est momenti, nam sanctus Doctor tenet obligationem dari accusandi denuo ut certum, peccatum ut dubium accusatum bona fide; sed declarat, sì hoc peccatum reservatum erat et stante dubio a simplici sacerdote absolutum est, iam non esse petendam absolutionem a privilegiato, quia, stante dubio, nulla erat reservatio. Hanc sententiam communem dicit.

Attamen haec notanda sunt:

1. - Alii de censura loquuntur, ut LUGO; alii de peccato reservato tantum, ut Sanctus ALPHONSUS; alii de omni reservatione, ut D'ANNIBALE; sed id quod valet de peccato reservato valet de censura reservata, supposita concessione potestatis in censuras.

2. - Argumentum quod efficiunt de ignorantia aut errore in paenitente, pari modo de ignorantia et errore in confessario concludit. Nonne rationes allatae in utroque casu eandem vim habent? Arguunt ex necessitate bonae gubernationis, ex legibus: lex dubia non obligat, in dubio melior est condicio possidentis vel libertas, potestas confessarii possidet, reo favendum est, etc.

Quare iure meritoque concludere licet hanc solutionem novam non esse. Illam quoad essentialia reperimus in auctoribus qui post Codicem quaestionem tractaverunt. Idem dicunt de dubio, de influxu eius, praesertim de errore post absolutionem detecto. (SOLE,

De Delict. et Poen., 176; CAPPELLO, S. I. *De Censuris*, n. 69, 2°; 73, 4° — *de Sacramentis II Poenit.* 522. 597; NOLDIN - SCHMITT, III, 365 d.; COCCHI, in Lib. V. Codicis, n. 71). « Stante dubio, dicit P. CAPPELLO, simplex confessarius, debita inquisitione praemissa, valide et licite absolvere potest; ita ex praxi Ecclesiae et communi DD. sententia, hodie a Codice expresse confirmata (can. 15. 209. 2254 § 4.); absolutio est directe data, quare nulla erit obligatio iterum accusandi... apud confessarium privilegiatum si posteà certe innotuerit ». Omnes declarant iam post Codicem I. C. non requiri absolutionem ad cautelam.

Haec solutio quae ex principiis legislationis in censuras logice concludit et quae ab auctoribus iam ante codificationem Pianam quoad sua essentialia admittitur, huic iuri canonico omnino conformis est. Quod probatur ex *ipsa solutione illarum duarum obiectionum* in initio oppositarum. Hae erant: 1. omnis error in iure ignorantia reputatur, unde 2. obicitur canon 2247 § 3, invalidam declarans absolutionem censurae specialissime reservatae a confessario qui eam ignorat.

R. P. CAPPELLO (*De Censuris*, 73. 2.) de ignorantia in confessore agens, haec habet: « Ignorantiae aequiparantur inadvertentia, error, oblivio, inconsideratio », et (n. 48 ad quem alludit) declarat hanc esse communem doctrinam in Codice confirmatam (can. 2202 § 3). Sed, ut videtur, ab ipso canone aequiparantur quando agitur *de imputabilitate* demetienda, ut aequiparantur error et ignorantia *quoad presumptionem imputabilitatis* (c. 16 § 2). Sed non aequo iure in omnibus aequiparari possunt. Quod ex explicatione canonis 2247 § 3 apparebit.

Nullus canon alteri contradicere potest, alterum nocivum reddere; et legibus generalibus omnis canon

conformis esse debet. Atqui can. 2245 § 4 declarat: « in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget ». Si ignorantia intellegitur in canone 2247 § 3 sensu generali et absoluto de omni ignorantia seu nescientia, cum omnis ignorantia absolutionem invalidam reddat, iam reservatio in dubio urgere dicenda est, quando de censura specialissimo modo reservata est quaestio. Etenim omne dubium aliqua ignorantia laborat, quod in errorem inducere potest. Et hoc eo magis quod in nostra materia legislatio exigit exsistentiam facti iudicari 1^0 cum inclinatione in partes reo benigniores, 2^0 ex principiis quae ad discernendam obligationem conscientia in dubio de liceitate actionis usurpat, et 3^0 ita ut si dubia sit quaelibet circumstantia, debeat concludere reservationem non dari. Nonne grave esset periculum nullitatis, et in periculo facti, fatentibus omnibus, tutior pars est sequenda? Quomodo posset legislator sic permisisse conflictum et periculum: vel multi grave detrimentum patientur ex errore secundum legem admisso; vel admittendum est censuras specialissimo modo reservatas alio regi iure atque alias, altero cum benignitate tractante, altero ad tutiorismum tendente. Quae omnia admitti nequeunt. Unde sensu proprio et obvio debet intellegi vox *ignorantia:* ille ignorat reservationem qui ne legem quidem norit, qui hic agi de casu qui possit esse reservatus non videt, cum non suspicatur quaestionem poni. Ille vero non potest dici ignorare sensu proprio, qui, re examinata, prudenter fert iudicium, etiamsi ex ignorantia alicuius circumstantiae iudicium non sit materialiter veritati obiectivae conforme. Nonne haec est stricta interpretatio quae in poenis usurpanda est, nonne consentit sensus communis? Quis confessarius ignorare peccatum diceretur qui de illius gravitate ex circumstantiis iudicans, erraret ex inadvertentia inculpabili? Quare mirum non

est hanc interpretationem aliis regulis Codicis conformem esse.

Etenim si ignorantia, de qua can. 2247 § 3, stricte intelligitur, haec erit legislatio: Quotiescumque confessarius, in casu censurae reservatae, non fert iudicium de exsistentia censurae reservatae, quia vel ex imprudentia, vel ex inadvertentia agit, vel quia legem ignorat, invalida est absolutio censurae reservatae; attamen ex benigna concessione Ecclesiae valida erit absolutio dummodo ne sit censura specialissimo modo reservata aut ab homine. Sic legislator bono paenitentis consuluit. Similem statuit regulam can. 2249 § 2, de paenitente qui, pluribus censuris innodatus, absolutionem a Superiore petit: absolutio generalis valet quoque pro reticitis bona fide, v. g. pro illis quas ignorat absolvens. Tandem huic concessioni, potestati confessarii ex can. 2247 § 3 correlativae, eadem datur restrictio, *censura ab homine omissa.*

Quae omissio legitima est: nos, pari iure, de hac censura non locuti sumus. Etenim iudicium lege praescriptum Superior qui censura ab homine ligavit, ferre debuit; unde iam praesumptio stat in favorem Superioris; et inferior non posset prudenter iudicium excusans ferre. In dubio non potest absolvere, saltem ex sententia communiore. Unde ad normas canonis 2254 recurrendum est.

Ex explicatione can. 2247 § 3 patet quaenam restrictio danda sit regulae: error in iudicio de reservatione non invalidat. Omnis error qui ad ignorantiam legis ascribitur invalidat; omnis ignorantia quae procedit ex hoc quod confessarius non tulit iudicium prudenter in casu proposito, quia casum non agnovit aut ei non advertit, invalidat. Sed valida est absolutio quotiescumque prudenter, post factam inquisitionem, iudicium tulit confessarius, non obstante errore aut inadvertentia de aliqua circumstantia.

Conclusio. Quare valida fuit et directa absolutio

a Caio Titio impertita; Caius anxietatem deponere debet, et, experientia doctus, partes prudentiae in iudicio de censura semper tenere.

DR. FR. GALTIER, S. I.

De Vicario delegato in territorio Missionum (1)

Antequam divulgemus disputationem quam cl. Professor VROMANT *e C. I. C. M. benigne nobis inserendam obtulit, operae pretium esse arbitramur ut ipsas litteras iterum exscribamus quibus* S. C. de Prop. Fide, *vicarios delegatos instituit. Ad Vicarios et Praefectos Apostolicos, 8 dec. 1919, missae sunt:*

« *Rev.me Domine,*

« *Iuxta can. 198 C. I. C., Vicariis et Praefectis Apostolicis ius non competit sibi eligendi* Vicarium Generalem *sicut fas est Episcopis residentialibus; sed ipsis potestas tantum est nominandi, cum muneribus in singulis casibus determinandis, delegatum qui etiam alius esse potest quam provicarius, de quo in can. 309.*

« *Sed cum ex alia parte opportunum videatur Superiores Missionum auctoritate pollere sibi deligendi aliquem vicarium, qui practice eadem gaudeat iurisdictione quam ius canonicum Vicariis Generalibus tribuit, non exclusa habituali potestate exsecutioni mandandi rescripta pontificia atque utendi iisdem peculiaribus facultatibus quas haec S. Congregatio Ordinariis locorum communicat, SS. D. N. Benedictus div. Prov. Pp. XV, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto*

---

(1) Dissertatio praesens ad utilitatem praesertim missionariorum hic edita, desumpta est ex opere quod ab auctore praeparatur « *Institutiones iuris missionariorum: De Personis* ».

S. C. de Prop. Fide, die 6 novembris anni 1919, haec in bonum Missionum sua benignitate concessit :

« I. *Sanavit nullitatem actuum iurisdictionis positorum ab illis Missionariis qui fortasse ut vere Vicarios Generales se gesserunt.*

« II. *Elargitus est Ordinariis Missionum potestatem nominandi* Vicarium Delegatum, *si eo indigeant, cui practice concessa sit omnis iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, qua ex Codice I. C. uti potest Vicarius Generalis in dioecesi.*

« *Ex hac concessione, omnibus Superioribus Missionum facta, nunc tu poteris Vicarium Delegatum nominare, qui gaudeat omnibus facultatibus Vicario Generali tributis, ad normam can. 368 § 1. 2.*

« *De numero autem et de officio Vicariorum Delegatorum in unaquaque Missione eadem valeant quae de Vicario Generali in Codice I. C. statuta sunt (can. 366 et seq.)*

« *Quae dum tibi communico, Deum precor ut te sospitem incolumemque servet.*

« *Romae die 8 dec. 1919*

Addictissimus
Card. VAN ROSSUM, *Praefectus*
C. Laurenti Secretarius

Epistolam istam iam dedimus in Periodica, *X, 199. Eandem commentati sumus tum ibidem, 200; tum tomo IX, p.* (24)-(26).

§ 1.

Potestas Praesulis missionis Vicarium Delegatum nominandi.

A. — Vicarii atque Praefecti Apostolici, attento iure communi, nequeunt Vicarium Generalem nominare, sicuti id fas est Episcopis residentialibus necnon Praelatis « nullius ». Id apparet:

1) *Ex ipsorum officii natura:* Cum enim R. Pontificis vice gerant territoria sibi commissa, eorum potestas utique remanet ordinaria (utpote ipso iure annexa officio: Can. 197, § 1), ita tamen ut non propria sed *vicaria* sit dicenda (c. 197, § 2), quia nomine S. Pontificis exercetur. Praesules vero quibus vi iuris communis licet Vicarium Generalem constituere cum potestate « ordinaria vicaria », supponuntur ipsi habere potestatem ordinariam non vicariam sed propriam, quam non nomine alterius sed proprio nomine exercent. Repugnat enim ut in eodem territorio adsit duplex potestas eiusdem naturae et amplitudinis, qualis est potestas ordinaria vicaria (2).

2) *Ex iure positivo:* apparet enim ex contextu canonis 198, § 1, Praesules missionum Vicarium Generalem consituere non posse; haec enim potestas ibi explicite supponitur pro Episcopis residentialibus et Praelatis « nullius », dum ex ductu phraseos haec pro Ordinariis missionum, saltem implicite, negatur (3).

B. — Iure quidem communi poterant nominare clericum delegatum, qui etiam alius esse poterat ac Pro vicarius, ad normam canonis 199, § 1 et 2, ita ut munus ac potestas delegati esset definita ac specifice determinata (4), puta, dispensandi super certis impedimentis matrimonialibus, conferendi iurisdictionem missionariis in territorio missionis, etc.

C. — Per epistulam autem diei 8 decembris 1919 (5), S. C. P. F. omnibus Superioribus missionum (6) potestatem fecit:

---

(2) SCHMALZGRUEBER, *Ius Ecclesiasticum universum,* Ingolstadii, 1719, L. 1. tit. 28, nn. 18 et 20. — TOSO, *Commentaria minora,* in canonem 368.

(3) Cfr. TOSO. *o. c.*, in can. 197 et can. 309.

(4) Cfr. *Epistula S. C. de Prop. F.*, 8 dec. 1919: A. A. S., XII.1 920, p. 120.

(5) A. A. S., XII, 1920, p. 120. — Simul in audientia Em. Praefecti S. C. P. F., BENEDICTUS XV, 6 nov. 1919 sanavit nullitatem actuum iurisdictionis effectorum a missionariis, qui forsan se ut veros Vicarios Generales gesserint.

(6) Etiamsi Superior missionis titulum Vicarii aut Praefecti Apostolici nondum obtinuerit (Cfr. IGLESIAS, *Brevis commentarius in Facultates* Romae, 1924, n. 5).

1) nominandi unum Vicarium Delegatum, vel si necessitas urgeat propter diversitatem rituum aut amplitudinem missionis (C. 366, § 3), etiam plures, qui gaudeant omnibus facultatibus Vicario Generali tributis vi canonis, 368 § § 1 et 2.

2) Vicario Generali seu Delegato absente vel impedito, possunt Praesules missionum aliquem missionarium Vice-vicarium, constituere, qui Vicarii Delegati vices suppleat (C. 366, § 3). Possunt autem Superiores missionum sibi constituere Vicarium Delegatum a die captae possessionis (can. 293, § 2), etiamsi qui consecrationem episcopalem recipere debent, illam nondum receperint.

3) Vicarium Delegatum nominare quoque valent Pro-vicarius, Pro-praefectus vel Senior qui vi canonis 309, missionem ad tempus administrant. Hi enim omnes veniunt nomine *Ordinariorum missionum* (C. 198, § 1) quibus Benedictus XV, per laudatam Epistulam S. C. de P. F. hanc potestatem elargitus est.

4) In designando Vicarium Delegatum, Ordinariis missionum observandus praescribitur can. 367:

« § 1 Vicarius Generalis sit sacerdos e clero saeculari, annos natus non minus triginta, in theologia et iure canonico doctor aut licentiatus, vel saltem earum disciplinarum vere peritus, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendatus.

« § 2. Si dioecesis alicui religioni commissa fuerit, Vicarius Generalis potest esse eiusdem religionis alumnus.

« § 3. Vicarii Generalis munus ne committatur canonico paenitentiario, aut Episcopi consanguineis, praesertim in primo gradu vel in secundo mixto cum primo, aut, exclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus; sed non prohibetur Episcopus Vicarium ex ipsa dioecesi assumere ».

§ 2.

Munus et potestas Vicarii Delegati.

A. — Natura potestis Vicarii Delegati.

Laudata epistula, 8 dec. 1919, S. C. P. F. Superioribus missionum facultatem fecit deputandi unum vel (si necessitas urgeat) etiam plures missionarios uti Vicarios suos, quorum potestatis amplitudo habeat pro norma potestatem Vicarii Generalis proprie dicti, ita tamen ut Vicarii Delegati potestas in missionibus in omnibus maneat **delegata**.

Rationes cur potestas Vicarii in missionibus dicenda sit delegata.

1) Potestas Vicarii Generalis proprie dicti, est « ordinaria-vicaria » (7). Atqui in territorio missionum potestas Superioris missionis iam evadit ordinaria vicaria, si quidem illam exercet non nomine proprio, sed nomine S. Pontificis (C. 197, § 2 et C. 1350, § 2). Porro :

a) « Repugnat, scribit Toso, adesse in eodem, territorio duplex potestas eodem titulo innixa, eiusdem naturae atque amplitudinis, qualis est potestas ordinaria (vicaria), quam missionum Praesules vice ac nomine R. Pontificis exercent, quamque etiam eorum Vicarii Generales exercerent, si vicarii huiusmodo ibidem cum potestate *ordinaria* deputari possent » (8).

b) Argumentum identicum evolvit Schmalzgrueber : « ... non potest Vicarius habere eandem iurisdictionem cum Episcopo, sed habet diversam ... ne sequatur absurdum ut una eademque iurisdictio penes duos in solidum sit ; quod non minus pugnat rationi

---

(7) Wernz - Vidal, II, *de Personis*, nn. 639 - 643.
(8) *Commentaria minora*, T. III, in can. 368, n.

naturali, ac eidem pugnat, unius eiusdemque rei possessionem penes duos in solidum esse ». (9)

2) Id ceteroquin confirmatur denominatione « *Vicarii Delegati* », in laudata epistula S. C. P. F. usurpata. Potestas igitur ordinaria quae penes ipsum Superiorem missionis iam est vicaria, penes Vicarium Delegatum, nequit esse nisi delegata.

B. — Ambitus potestatis Vicarii Delegati.

S. C. P. F. remittit ad canonem 368, uti normam diiudicandi amplitudinem potestatis a S. Sede Vicario Delegato concessae.

« § 1. Vicario Generali, vi officii, ea competit in universa dioecesi iurisdictio in spiritualibus ac temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis quae Episcopus sibi reservavit vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum.

« § 2. Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius Generalis exsequi potest rescripta apostolica quae Episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae, ad normam can. 66. »

C. — Evolvitur amplitudo potestatis Vicarii Delegati.

I. Per se potest omnia pro foro *interno* necnon pro foro *externo extraiudiciali* (10), tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quae in ipsa missione,

---

(9) *o. c*, L. I, Tit. 28, n. 18. —

Respondet auctor quoad iurisdictionem Vicarii Generalis proprie dicti, illam esse eandem (ordinariam nempe) ac in Episcopo, sed *diverso modo*, scilicet « penes Episcopum esse iurisdictionem *principaliter* et nomine proprio, penes Vicarium accessorie, *secundario* et nomine ipsius Episcopi » (ibid. n. 20). In territorio autem missionum penes ipsum Praesulem habetur iurisdictio ordinaria iam modo secundario et nomine S. Pontificis exercenda.

(10) Quamvis Vicarius generalis per se non muniatur potestate *iudiciali pro foro externo*, in missionibus tamen, si iudicium aliquod sit instituendum, non prohibetur Vicarius aut Praefectus Apostolicus, quominus ad hoc deputet Vicarium suum Delegatum, saltem si constet de eius idoneitate (can. 1573, § 1); — cfr. quoque Toso, Summa de officio et potestate Vicarii Generalis, n. 9: *Ius pontificium*, 1927, VII, p. 141).

ad Vicarium vel Praefectum Apostolicum aut Superiorem missionis iure ordinario pertinent. **Excipiuntur**:

1) Quae Praesul missionis sibi expresse reservaverit.

2) Quae ex iure communi requirunt *speciale episcopi mandatum*, ut Vicarius Generalis proprie dictus ea peragere valeat.

Haec negotia Codice I. C. taxative enumerantur:

Nequit igitur Vicarius Delegatus, sine Praesulis missionis mandato speciali, excardinationem vel incardinationem concedere (c. 113); — officiis ecclesiasticis, utpote quasi-parochi, providere (c. 152); — Synodum convocare (c. 357, § 1); — parochos vel quasi-parochos nominare, atque instituere (c. 455); — amovere vicarios paroeciales (c. 477, § 1); — pias associationes erigere (c. 686, § 4); — casus reservare (c. 893, § 1); — litteras dimissoriales concedere (c. 958, § 1, n. 2 et c. 959); — matrimonium conscientiae permittere (c. 1104); — consensum praestare pro ecclesiae aedificatione (c. 1162, § 1); — reliquias authenticas declarare (c. 1283, § 2 et c. 1285, § 1); — definire stipem exigendam propter utensilia ceterasque ad missae Sacrificium necessaria (c. 1303, § 3); — beneficia, utputa quasi-paroeciam, cum dote erigere (c. 1414, § 3), unire (c. 1423, § 1), vel conferre (c. 1432, § 2); — institutionem canonicam concedere (c. 1466, § 2); — permutationem beneficiorum permittere (c. 1487, § 1); — poenas ecclesisasticas infligere (c. 2220, § 2), vel a se, tanquam iudice, applicatas remittere (c. 2236, § 3); — apostatas, haereticos vel schismaticos in foro exteriore absolvere ab excommunicatione (c. 2314, § 2).

II. Vicarius Delegatus per se exsequi potest *rescripta apostolica* quae Superiori missionis vel praecedenti eiusdem territorii rectori remissa sint. Excipitur si aliud expresse cautum fuerit vel si electa fuerit industria ipius Praesulis missionis (c. 57).

III. Cum per laudatam epistulam S. C. P. F. Vicario Delegato diserte applicetur textus canonis 368 § 2, « generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a Sancta Sede concessae, ad normam can. 66 » ipsi quoque *directe a S. Sede* delegantur facultates habituales Ordinariis missionum concessae. Hae proinde etiam apud Vicarium Delegatum in missionibus manent non ab Ordinario loci sed ab ipsa S. Sede delegatae. *Excipiuntur :*

1) Facultates quae praesupponunt potestatem propriam Ordinis episcopalis, nisi Vicarius Delegatus charactere episcopali etiam sit insignitus, utputa : facultas conferendi rationabili de causa omnes ordines minores simul, etiam cum prima tonsura ; — conferendi iusta de causa omnes sacros ordines diebus ferialibus etsi continuis (11).

2) Facultates concessae « *pro ipso Ordinario* », siquidem Vicarius Delegatus « *Ordinarii* » nomine non comprehenditur.

Nihilominus Vicario Delegato non sunt negandae facultates concessae « *pro ipso Ordinario* » quae sunt potius *explicativae iuris communis*, scilicet :

a) « Lucrandi indulgentias, quas aliis vi facultatum sibi concessarum impartiendas censuerit, impletis tamen condicionibus ». — Potestatem enim iurisdictionis voluntariae seu non-iudicialem exercere quis potest etiam in proprium commodum. Canon vero 927 nobis videtur conecti cum paragrapho 1 canonis 201, non vero exceptionem statuere paragrapho 3 eiusdem canonis.

b) « Utendi ipse personaliter, in iisdem tamen

(11) Posset tamen Vicarius Delegatus non Episcopus concedere supradictas dispensationes, ita ut in proprio Vicarii Delegati territorio Episcopus extraneus minores ordines diebus ferialibus etsi continuis conferre valeat, dummodo antea vel a Praesule missionis concessae fuerint litterae dimissoriales, vel Vicarius Delegatus ad has concedendas fuerit specialiter delegatus (cfr. c. 958, § 1, n. 2 et c. 959).

adiunctis, facultatibus seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressas, concedendas esse censuerit » (12).

D. Corollaria:

1) Secus ac pro Vicario Generali proprie dicto, contra agendi rationem Vicarii Delegati in territorio missionum recursus apud Praesulem missionis interponi potest: non enim obtinet uterque idem consistorium vel tribunal. Praesul quidem missionis manet Superior: appellatio autem vel recursus instituitur ab inferiore ad Superiorem (13).

2) Ordinario missionis per se licet corrigere actus positos a Vicario Delegato.

3) Canone 369, § 2 praecipitur ut « caveat Vicarius Generalis (seu Delegatus) ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem sui Episcopi (seu Praelati missionis).

Indeque canone 44, § 2, Ecclesia sequentes sanctiones decernit, quae in missionibus etiam vim suam servant:

a) Gratia ab Episcopo (seu a Praesule missionis) denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Delegato, non consentiente Episcopo (seu Praesule) impetrari.

b) Gratia a Vicario Generali (vel Delegato) denegata et postea, nulla facta mentione, ab Episcopo (seu Praelato missionis) impetrata, invalida est.

4) Cessante vel suspensa iurisdictionis Superioris missionis non cessat iurisdictio Vicarii Delegati (14).

---

(12) Est applicatio canonis 201, § 3; cfr. Facultates Apostolicae Ordinariorum Missionum.

(13) SANTI-LEITNER, *Praelectiones I. C.*, L. I., Tit. 23, n. 20.

(14) Quapropter, constituto Vicario Delegato, si Pro-Vicarius vel Propraefectus a Praesule missionis non fuerit designatus, opinamur, deficiente Superiore missionis, Vicarium Delegatum praeferendum esse « *Seniori* » (Can. 309 § 4). Senior enim solummodo censetur delegatus a Sancta Sede « *Si forte contingat ut nemo... uti administrator fuerit designatus* ». Persisente autem

5) Quod spectat ad **modum subdelegandi:**

a) Vicarius Delegatus, quoad potestatem ordinariam Praesulis missionis, quamvis ab Ordinario loci eligatur, universam tamen iurisdictionem officii sui accipit directe a S. Pontifice, (15) ita ut valeat eam subdelegare, vel ad *casum* (can. 199, § 3) (puta ad approbandum unum missionarium ad confessiones audiendas, vel etiam plures, ita tamen ut satisfiat necessitati cuidam per circumstantias bene determinatae) vel etiam *habitualiter* (16) (c. 199, § 2).

b) Quoad facultates habituales a S. Sede Praesuli missionis concessas, potest illas, quae uti delegabiles a S. Sede ipsi quoque conferuntur, aliis subdelegare ad actum vel etiam habitualiter (c. 199, § 2).

c) Nullam tamen facultatem subdelegare valet cum potestate illam iterum subdelegandi, nisi id a S. Sede specialiter et expresse concessum fuerit (c. 199, § 5).

---

iurisdictione Vicarii Delegati (Can. 207, § 1), administrationi Missionis iam sufficienter est provisum. Quod confirmatur litteris Apostolicis BENEDICTI XIV, « *Ex sublimi* », 16 Ian. 1753 et « *Quam ex sublimi* », 8 aug. 1755: *Collect. S. C. P. F.*, I, respective nn. 387 et 396 - Cfr VERMEERSCH, Periodica, IX, pp. (25) et (33).

(15) Sic quoque SERRA, O. P , *Commentarium in Facultates formulae tertiae maioris,* Hong-Kong, 1923 pp. 14-15.

(16) *Habitualiter*: « ad certum numerum casuum; vel ad omnes casus certae speciei, sive pro definito tempore, sive in perpetuum » cfr. c. 36, § 1). Poterit propterea Vicarius Delegatus missionarium quendam, prudentia vere insignem subdelegare ad dispensandum a lege *in dubio facti*, ad normam can. 15, necnon in casibus *urgentibus* ad normam can. 81, dummodo agatur de lege in qua Ecclesia *dispensare solet,* ex. gr. hodie in impedimento aetatis in ordine ad matrimonium ineundum

Nota. Quod attinet ad facultates quae ex iure communi requirunt *mandatum speciale* Episcopi, attento can. 368, § 1, eas censemus non a iure sed *ab homine* (can. 197, § 1) ab Episcopo nempe, officio Vicariatus Generalis esse annexas (cfr. TOSO, *Ius pontificium,* a. VII, l. c. n. 12).

Porro si in territorio missionum quaedam ex illis Vicario Delegato concedantur, nobis videntur dicendae non a S. Sede sed *ab ipso Praesule missionis* delegatae. Quapropter si saltem pro aliqua certa specie potestatis (puta ad litteris dimissoriales concedendas) ad universitatem causarum, sive in perpetuum sive ad tempus, Vicario delegentur, poterunt tantum subdelegari in singulis casibus (can. 199, § 3).

Si vero mandatum non fuit concessum ad universitatem causarum, sed v. gr. ad unum vel ad decem casus, poterit Vicarius Delegatus solummodo illas subdelegare ex concessione expressa Praesulis missionis (can. 199, § 4).

6) Vicario Delegato missionis, charactere episcopali destituto, non competunt privilegia honorifica Vicarii Generalis proprie dicti seu Protonotarii Apostolici titularis (Can. 370, § 2) (17). Ceterum ad hunc canonem non remittit laudata epistula S. C. P. F. Immo, quamvis Vicario Apostolico, charactere episcopali munito, sicuti Episcopo dioecesano liceat thronum suum alteri Episcopo cedere, id non potest, si hic Episcopus sit ipsius Coadiutor aut Vicarius Generalis. (c. 337, § 3) (18).

7) Vicarius Delegatus, si quidem, qua *iurisdictione mere delegata* munitus, Ordinariis non annumeratur (cc. 198 et 873, § 1), extra vicariatum vel praefecturam apostolicam, subditos vicariatus vel praefecturae absolvere nequit (19) (cc. 881, § 2; 873, § 1). Vi can. 368, ad quem Epistula S. C. P. F. remittit, habet omnem potestatem ipsius Praesulis missionis, sed intra territorium missionis tantum.

8) Propter eandem rationem opinamur Vicarium Delegatum non immunem esse ab ecclesiastica librorum prohibitione, quae Ordinariis tantum conceditur (can. 1402): propria enim verborum significatio videtur retinenda (can. 18).

Cum nihilo minus omnem habeat potestatem Ordinarii loci, valet concedere licentiam legendi libros ipso iure a S. Sede prohibitos, ad normam tamen can. 1402 i. e. « Pro singulis tantum libris atque in casibus tantum urgentibus » (c. 1402, § 1). Idcirco eodem modo semetipsum dispensare potest (can. 201, § 3) (20).

G. VROMANT, C. I. C. M. (Scheut).

---

(17) Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, 1905, pp. 549-551.

(18) *S. C. Rituum*, 9 maii 1899: Decret. Authentica, n. 4023; 26 nov. 1919, Dubium V, ad 3: A. A. S., XII, 1920, pp. 180 et 182.

(19) Sic discedimus a sententia VERMEERSCH (*Periodica*, t. IX, 1920, p. (25). et SERRA, *o. c.*, p. 15; — Cfr TOSO, *o. c.* in can. 368, n.

(20) Cfr. etiam SERRA, *o. c.*, p. 18.

De quadam adulteratione vini.

In non nullis regionibus Italiae, sub influxu venti calidi « generis *scirocco* (1) » vocati, vinum non raro obnoxium est cuidam fermentationi qua cressescit ad modum olei (2). Porro, si per aliquod tempus vinum sic adulteratum calefacias usque ad ebullitionem et dein efformatam spumam totaliter exegeris, nullum prioris adulterationis vestigium iam invenies.

Quaeritur nunc num tale vinum adhiberi possit in Missa.

Certo certius hoc vinum sic spissescens, utpote adulteratum, est materia illicita pro Missae sacrificio. Num sit saltem materia valida, pendebit a gradu adulterationis. Si enim haec adulteratio tanta est ut ille liquor sic corruptum iam non sit potabile, vel saltem ita sit adulteratum ut dotes et in specie characteres organolepticos veri vini iam non habeat, dicendus erit hic liquor materia invalida, utpote iam non vinum. Si vero, ut plerumque continget, adulteratio tanta non est, et liquor, etsi adulteratus, manet tamen verus potus qui ab omnibus ob aspectum, gustum aliasque dotes organolepticas vinum vocabitur, ille liquor habendus est tamquam materia certo valida.

Sed quid nunc dicendum de remedio adhibito?

Per se calefactio et immo moderata ebullitio vini, non est operatio illicita, praesertim si fit in vase clauso. Secus tamen dicendum de calefactione et multo magis de ebullitione violenti et per sat longum tempus protracta: per eam etenim compositio liquoris tam complexi sat notabiliter corrumperetur.

---

(1) In quadam Italiae parte ventus iste vocatur *Corino*, ita ut ipsum vinum dicatur *corinare*, quando sic vitiatur.

(2) Defectus iste italice appellatur: *il filare del vino*.

Sed neque despumatio est necessario aliquid illicitum: spuma etenim in casu nihil aliud videtur esse quam substantia quaedam organica *(albumine)* in ipsa fermentatione producta, quae calore spissatur, ac proin ad essentiam vini nullo modo pertinet. Haec despumatio proin per se non maiorem facescit difficultatem quam defaecatio vini turbidi. Per accidens tamen posset haec spuma secum trahere non nulla elementa vini, unde potius ex ipsa efformatione spumae quam ex despumatione compositio vini plus minusve corrumperetur.

Unde, si post ebullitionem et despumationem liquor ille vere manet potus qui compositionem retinet veri vini, eiusque prae se fert characteres organolepticos, habendus est ut materia non solum valida sed et licita pro sacrificio missae; nihil enim in hoc vino invenies unde id dicas invalidum, cum nihil insit quod ad vinum non pertineat, nec aliquid in eo invenies quod originem non habeat de vite.

Ios. Pauwels, S. I. Doct. chemiae

De non nullis supputationibus ad usum religiosorum

In iure canonico quod religiosos peculiariter afficit, variae proponuntur vel imponuntur supputationes quae locum dant dubietatibus, sive agatur de iure communi Codicis sive agatur de proprio iure Constitutionum. Non nulla dubia hic perpendere et pro viribus solvere in animo habemus.

I. Supputatio dierum absentiae novicii.

1. Exploratum omnino est, ex c. 556 § 1, noviciatum interrumpi si novicius extra domum, ultra

triginta dies, sive continuos sive non continuos permanserit; dies autem absentiae supplendos esse, si ultra 15 dies, etiam non continuos, extra domus septa permanserit.

Iam ponitur quaestio de supputatione istorum dierum.

In *Epitome*, I, 660, III, c), simplicem et generalem solutionem repetivimus ex c. 32 § 1: « Dies constat 24 horis *continuo supputandis a media nocte* ». Itaque consideres quotiens novicius a media nocte ad mediam noctem abfuerit: summa sic obtenta erit dierum absentiae.

Est tamen qui huc appellandum putaverit c. 34 § 2: « Si tempus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur, ex. gr. suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses, etc., tempus supputetur de momento ad momentum; et si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365 ».

Quocirca R. P. Voltas, C. M. F. *(Commentarium pro religiosis*, II, 82): « Tempus a momento ad momentum computatur ad normam c. 34 § 2... Sic, e. gr., si novicius qui hora duodecima meridiana 1 maii noviciatus domum etsi cum licentia relinquit, et hora decima antimeridiana diei 31 maii regrediatur, noviciatus non est interruptus. Si vero hora decima post meridiem diei 31 maii regrediatur, noviciatus est interruptus ». Et R. P. Blat, O. P.: « *Ultra triginta dies* », tempus computandum a momento egressus e domo noviciatus, ad momentum ingressus in noviciatus domum, ad normam can. 34 § 2, atque protrahendum aliquo saltem parvo tempore ante aut post triginta dies ».

3. Verum laudatos scriptores id praeteriisse videtur,

in can. 34 § 2 non agi de computatione quae fiat *per singulos dies*, sed de computando mense, anno, vel saltem complexu aliquot dierum, ut hebdomada.

Id probant exempla quae ipse Codex statim subiungit, et quae modo rettulimus; id probat etiam necessitas componendi can. 34 § 2, cum can. 32 § 2, qui universalem tradit regulam de modo quo dies computari debent, i. e. a media nocte.

Inde fit ut qui appellant, in casu praesenti, can. 34 § 2, vix cohaerenter secum dicere videantur. Ita, post verba mox allegata, R. P. BLAT addit « post » triginta dies « *sive continuos sive non continuos,* quorum singuli » constent 24 horis continuo supputandis a media nocte », Quomodo supputantur *a media nocte*, si tempus *de momento ad momentum* est aestimandum?

Pariter R. P. VOLTAS subiungit: « Animadvertatur ulterius dies *integros* intelligi debere. Quare, si novicius per triginta dies *dimidiatos* extra domum noviciatus commoratus fuerit, quia, puta medicum quotidie per integrum mensem invisere debuit, noviciatus non interrumpitur, quia iuxta canonem 32 § 1 « Dies constat 24 horis supputandis a media nocte ». Fatemur a nobis non videri conciliationem inter istam allegationem et applicationem can. 34 § 2, de supputatione a momento ad momentum.

II. **Supputatio secundi anni noviciatus, eiusque interruptio.**

Plura sunt Instituta quae probationem noviciorum ad 18 menses, immo ad duos annos protrahunt.

De ista prorogatione haec statuta sunt sive iure communi sive stilo S. Congregationis.

a) Paragrapho 2 canonis 555 definitur istud longius tempus ad validitatem professionis non requiri, nisi in iisdem Constitutionibus aliud expresse dicatur.

b) Dispensatio tamen ab isto secundo anno reservari consuevit S. Sedi.

c) Regulariter, seu per se, annus canonicus, seu annus qui ad validitatem requiritur, debet esse primus, non alter. Id tamen non est condicio valoris.

d) Instructione S. C. de Religiosis, 3 nov. 1911 (*A. A. S.*, 13, 539; vel *Per.*, X, 364) praecipitur ut duo postremi menses ante professionem sint dicati propriis noviciatus exercitationibus, ita ut novicii ab omni opere externo abstineant, et, si extra noviciatum fuerint, ad illum revocentur.

1. **Quaeritur** iam *num longius istud tempus obnoxium sit sanctionibus can. 556 de interruptione noviciatus vel de supplendis diebus absentiae.*

Resp. Ex c. 555 collato cum c. 20 qui statuit, si quando expresso legis praescripto destituamur, normam sumendam esse a legibus latis in similibus, hoc mutuanur principium solutionis. Quod can. 555 concedit de necessitate secundi anni noviciatus, ut sit ad arbitrium Constitutionum, ad alia istius secundi anni statuta transferri potest, ita ut integrum sit Constitutionibus maius istud tempus ordinare, salva Instructione 3 nov. 1921.

Secundum *proprios Instituti usus* aestimari possunt interruptiones et suspensiones noviciatus. Si autem defuerit Constitutio particularis vel usus, tunc normis Codicis standum et pronuntiandum est de noviciatus interruptione.

Ante Codicem autem communior sententia, congruens cum classicis scriptoribus, multo benignius quam Codex pronuntiabat de interruptione noviciatus.

De ista interruptione, sic scribebamus in nostro *De Religiosis Institutis et Personis,* I, n. 189: « Interrumpitur noviciatus eo quod status novicii fuerit *perfecte dimissus,* seu vinculum morale cum Religione perfecte abruptus. Et cum plerisque sentimus posse brevis spatii et mox secutae paenitentiae non haberi rationem.

« Age porro, perfecte dimittitur status:

« *a)* Cum novicius sponte sua et *dimisso habitu re exeat e claustro* cum animo deliberato deserendi Religionem. Si vero habitum servaverit, praesumitur animo minus firmo et certo fecisse, dummodo brevi, i. e. post unum vel duos dies, repetat monasterium...

« *b)* Si quis, *ob iustam causam,* a Superiore iussus fuerit claustra relinquere et *re exierit.* Iusta deficiente causa, v. gr. si ob iniquam calumniam, noviciatus mere suspenditur, nisi nimium intervallum intercesserit. Iusta autem est causa, si iudicio medici viribus sit impar, etsi forte postea convaluerit.

« In utroque casu, donec *re* exierit, utilis locus est paenitentiae.

« *c)* Si nimis diu vitam prorsus saecularem agere debuerit: v. gr. per annum stipendia mereri. Ita Génicot, *Casus conscientiae, De statibus,* s. 3, c. 2, cas. 4.

« Si tamen inter ista ostenderit se animo perstare in incepto religionis curriculo, eius noviciatus non videtur nobis fuisse nisi suspensus. »

In quibusdam tamen religionibus, v. gr. in Ordine Montis Carmeli, disciplina adeo severa vigebat ut interruptus censeretur noviciatus, si novicius per unam noctem, etiam invitus, extra monasterium dormivisset.

2. Inde hoc alterum quaesitum nascitur. *Estne utile ad complendum tempus Constitutionibus requisitum pro noviciatu, tempus elapsum in noviciatu ante interruptionem anni canonici?*

Sit hoc exemplum. Stanislaus, novicius Instituti in quo duo anni noviciatus exiguntur, post tres menses infirmitate cogitur ultra triginta dies manere in extraneo nosocomio. Sanatus redit in noviciatum. A reditu tantum suo annus canonicus initium habebit. Quaeritur num tres menses, ante interruptionem in noviciatu

tarnsacti, in duobus annis noviciatus computari possint.

Respondemus id pendere e rigore quo interruptio *secundum Constitutiones* intellegatur.

Si per discessum noviciatus fuerit etiam secundum Constitutiones interruptus, duos annos ex integro repetere debebit. Principium enim est, ut beneficium temporis anterioris interruptione amittatur. Sic, v. gr. iura statuunt de praescriptione.

Si autem Constitutiones vel usus interruptionem benignius intellegant, non tantum tres isti menses, sed etiam tempus per quod fuit in nosocomio, e requisitis duobus annis demi poterit.

3. Cum Instructio S. Congr. 3 nov. 1921 velit ut novicius per duos postremos menses ab omni opere externo abstineant, *licetne ipsos per istud tempus applicare ad studia necessaria gradui consequendo?*

Responsum negativum est manifestum. Intentio enim S. Cong. est ut per istam ultimam partem suae probationis novicius sit totus in exercitationibus consuetis noviciatus et sic congruente modo se emittendae professioni praeparet.

III. **Supputatio tertiae partis pecuniarum quae quotannis tradenda est arcae Instituti.**

Satis constans usus habet ut variae domus recentioris Congregationis singulis annis Curiae generaliciae cedere debeant tertiam partem proventus annui qui supersit omnibus expensis deductis.

De supputatione autem istius tertiae partis haec quaeruntur:

1. *Debetne aliquid conferri a domo quae aere alieno gravatur?*

Resp. Sic distinguendo. Si modus quo domus gravatur is est ut ratam partem aeris alieni, singulis annis reddere possit et velit, profecto ius ei est omnes

proventus imputandi in exstinctionem debiti sui; si autem certa tantum die, post aliquot annos, debitum solvere possit aut velit, tunc, inter onera annua computare poterit solum fenus annuum aeris alieni, auctum summa quotannis reservanda ad plenam solutionem praeparandam. In hoc casu, consentimus cum BATTANDIER, *Guide canonique* pour les Constitutions des Instituts à voeux simples, ed. 6, n. 487.

2. *Debetne domus tradere tertiam partem donorum quae in anno acceperit?*

Respondemus iterum sic distinguendo.

Si dona sint sterilia, puta calicem, manifestum est nullam valoris partem conferri debere.

Si res sit in se frugifera, qualis domus quae locari possit, solum locationis pretium reditus ingreditur.

Si denique sunt pecuniae, hae, attenta quantitate, ascribi possunt ad eleemosynas quae consuetis expensis impenduntur: quo casu inter reditus computandae erunt, vel rationem potius habere possunt capitalis quod per se fructuose collocandum sit: tunc, non ipsa summa, sed eius reditus partim contribuendi erunt, quatenus expensas superent.

3. De istis reditibus occurrit, apud BATTANDIER, op. cit. n. 488 *singularis sententia,* quae prudenter corrigenda est (1).

---

(1) Iuvat hic ipsum locum Battandier exscribere. — 488. - Mais une question a été dernièrement soulevée dont il faut dire un mot, car elle a une réelle importance pou l'évaluation du tiers. Pour mieux la faire saisir, nous supposerons une maison locale qui se trouve à la fin d'un exercice avoir 9.000 francs de bénéfices nets. Elle en donne suivant les *Normae* le tiers, soit 3.000 francs, à la caisse généralice. L'année suivante et les autres successives, elle ne fait aucun bénéfice, mais il lui reste les 6.000 francs, résidu des 9.000 francs qui ont payé le tiers à l'institut. Ces 6.000 francs qui restent sont-ils de nouveau soumis à la contribution; et, considérés comme constituant les bénéfices de l'année, sont-ils passibles d'une nouvelle retenue du tiers en faveur de la caisse généralice? Ou, comme *en dehors de cette somme*, la maison n'a eu aucun bénéfice net, est-elle dispensée de tout versement à la caisse généralice? Il est à peine besoin de faire remarquer que la caisse généralice soutient la première opinion et les maisons locales défendent la seconde.

Or, en prenant le cas posé plus haut, et supposant que par suite de

Etenim, in pluribus editionibus, doctus vir existimat semel tantum tertiam definiti lucri partem tradendam esse, ne arca Instituti paulatim omne lucrum absorbeat. Quod huiusmodi exemplo demonstrari posse

---

circonstances qui peuvent se vérifier, la maison locale balance exactement chaque année, en dehors de la somme résiduelle initiale de 6.000 francs, ses recettes et ses dépenses, voyons ce qu'elle devrait donner à la caisse généralice suivant les prétentions émises par cette caisse.

Année	Bénéfice	Versement
1910	9.000	3.000 fr.
1911	6.000	2.000
1912	4.000	1.333
1913	2.667	889
1914	1.788	592
1915	1.186	372
1916	714	238
1917	476	158
1918	318	102,70
1919	215	71,70
1920	143,30	

Il résulte pratiquement de ce petit tableau qu'en dix années la caisse généralice aura presque complètement absorbé, sous la forme du tiers de l'excédent des recettes, *tous* les bénéfices de la maison locale. En présence de ce résultat on peut se demander si cela est juste, et si d'autre part c'est ce qu'ont voulu les *Normae*, en établissant la contribution du tiers.

Nous croyons qu'une pareille manière de calculer les bénéfices nets n'est pas juste parce qu'elle va contre l'axiome du droit « *Non bis in idem* ». Cette somme initiale de 9.000 francs a donné son tiers, elle a contribué aux dépenses générales de l'institut, elle ne peut être frappée par cet impôt qu'elle a déjà payé ; par conséquent le résidu de cette somme n'est pas soumis de nouveau, et jusqu'à extinction, à la contribution du tiers, mais doit être exclusivement réservé à la maison locale, servant soit pour améliorer l'habitation, les oeuvres, faire de la bienfaisance, ou même être mise en réserve pour les dépenses futures, qui ainsi ne grèveront pas, ou grèveront moins lourdement la caisse généralice.

Mais de plus cette manière de calculer va à l'encontre des *Normae*. Celles-ci demandent la contribution du *tiers* des bénéfices nets, et non pas *la totalité* des bénéfices nets. Que la caisse généralice prenne cette totalité la première année ou mette dix ans à la faire rentrer dans ses caisses, le résultat est pratiquement le même. Elle finira par englober tous les bénéfices des maisons locales, ce qui non seulement n'est point dans l'esprit, mais va directement contre le texte même des *Normae*.

Pour ces motifs, nous croyons qu'une somme de bénéfices ayant été déjà une première fois dépurée de la contribution du tiers, n'est plus tenue, dans la suite, à cette contribution, qui pèsera exclusivement sur les *autres bénéfices nets*, s'il y en a, de la maison locale. Nous devons toutefois remarquer qu'il n'y a pas, à notre connaissance, de décision générale sur ce point ; et des décisions particulières, s'il y en avait, ne trancheraient pas la question de principe, car elles ne feraient que donner une solution économique du problème, sans fixer les règles de cette solution.

arbitratur. Domus A, anno 1928, lucrata est 9000 libellas. Harum tertiam partem, ut debet, mittit curiae Generaliciae, ita ut ei supersint 6 000 libellae. Si iam quotannis tertiam partem residuae summae tradere deberet, facile apparet fere completam summam, post aliquot annos a Curia generalicia perceptam fore. Haec enim tunc foret series collationum :

Lucrum	Tertia pars	Summa residua
9 000	3 000	6 000
6 000	2 000	4 000
4 000	1 332	2 667,

atque ita porro.

Verum miro defectu advertentiae ratiocinium istud laborat. In fine enim primi anni, 6 000 libellae residuae ad capitale ascribuntur. Huius autem tertia pars non est solvenda, sed de solis reditibus qui superfluunt tertia pars reservanda est arcae Instituti. Si ponamus igitur ex 6 000 libellis rediisse 10 $^{0}/_{0}$, seu 600, solae 200 libellae tradi debebunt Curiae generaliciae et ita porro. Nulla igitur difficultas superest.

De domibus filialibus apud religiosos

Post decretum *S. C. de Religiosis,* 1 febr. 1924, quod in ipsis *A. A. S.* inscribitur *De Superioribus domorum filialium* (*A. A. S.* XVI, 1924, p. 95, vel *Per.* XIII, p. 53) non unum errorem interpretationis et usus commissum esse novimus. Movemur inde ut de recta eius interpretatione memoremus non nulla iam observata in nostro decreti commentatione (*Per.* l. c.) et ut pauca alia, quae utilia putamus, subiungamus.

Decreto isto, praemissa descriptione domus stricte filialis.

1. Superiores huiusmodi domorum negantur venire sub nomine Superioris localis ad sensum Codicis ;

2. *S. C. de Religiosis* in revisione Constitutionum

invitatur ut ad domos istas applicet canones de relationibus inter subditos et praepositos, prout in singulis casibus opportunum indicabitur.

Inde varia quaesita quibus breviter satisfaciemus.

1. *Cum in decreto sermo fiat de domibus stricte filialibus, quaenam « late filiales » vocandae sunt?*

Resp. Late filiales vocantur domus quae ratione originis vel dependentiae a Superiore maiore, alibi sedem habente, aliquo pacto secundariae dici possunt. Filiale, hoc modo, dicitur monasterium, etiam sui iuris, ab alio monasterio fundatum, fere sicut ecclesia dicitur filialis respectu matricis, quae prius exsistebat sola, et dein partem populi novae ecclesiae concessit; late filialis est omnis domus Congregationis religiosae quae non est sedes Superioris generalis: haec, apud Sorores, vulgo domus *matrix* appellari consuevit.

2. *Licetne omni religioni domos filiales constituere?*

Per se nulla prohibitio memorato decreto continetur. Sed, attenta Instituti ratione et statu, *S. C. de Religiosis*, in revisione Constitutionum, domos filiales positive ei negare vel concedere poterit.

3. *Potestne arbitrio suo, Superior vel Consilium generale, quaslibet domos stricte filiales declarare?*

Resp. Minime gentium. Solae filiales declarari possunt quae cum descriptione memorati Decreti congruunt, i. e. quae nec propria bona, nec proprios consultores habent et quibus praeest delegatus *ad nutum* Superioris domus principalis vel Superioris maioris revocabilis. (Cfr *Per.* XIII, p. 56.)

4. *Praefecti domus stricte filialis, possuntne confirmari sine die?*

Resp. Hic attendendum est ad mentem quae responsioni « *Negative* » est subiecta. S. C. negavit quidem in praefectum domus stricte filialis normas cadere Superioris localis; sed minime negavit applicationem hodiernae disciplinae S. Sedis, quae a per-

petuitate Superiorum vel indefinite iterata reelectione valde aliena est.

Quocirca nuperrime, in plenario coetu, Instituto cuius Constitutiones recognoscebat, S. C. has normas praestituit quibus stilum suum exprimere voluit. Sunt autem:

a) Ut domus filiales habitualiter non contineant ultra tres Sorores.

b) Ut alantur et gubernentur dependenter a domo formata quam Consilium generale designaverit.

c) Ut Superiorissa istius domus formatae Sororem Moderatricem domus filialis, ut ipsius delegatam assentiente Superiorissa generali, designet.

d) Ut ista Moderatrix ad nutum deponi possit, sed ad secundum et tertium triennium a Consilio generali confirmari possit. Ultra tertium triennium ad S. Sedem pro confirmatione recurrendum erit.

5. *Unum superat dubium solvendum.* Domus stricte filiales annecti debent cuipiam domui principaliori, et per se eius Superiore reguntur. Estne autem necesse ut Superior domus maioris ipse per se exerceat munus suum Superioris, an possit Superior maior ad se istam administrationem revocare? Nihil in iure isti ordinationi obstat, et interdum fieri possit necessaria. Supponas, v. g. in loco distante, duos simul habitare religiosos sacerdotes. Superior localis maioris domus quomodo suum munus vigilantiae exercere poterit; dum ad istud magis idoneus erit Superior Provincialis vel etiam Generalis. In huiusmodi casibus, annexio fit quidem ad aliquam domum definitam; sed potestas actu a Superiore maiore exercetur.

Solutio casus propositi p. 52*.

Ad I. Nihil parochum et missionarium obligabat ut tam scrupulose procederent, praesertim cum ista dilatio in exercendo, tempore missionis, ministerio confessionis, animis facile nocere posset.

In casu enim proposito, ratio sufficiens aderat permittendi errorem communem (quo, sine dubio, fideles existimabant missionarium consuetis facultatibus praeditum) et absolvendi e iurisdictione ab Ecclesia suppleta.

Statim tamen, seu potius immediate, facultas per litteras vel per nuntium erat ab Ordinario loci petenda. A momento autem quo is eam, etiam in suo cubiculo distanti, concesserit, ante omnem insinuationem seu intimationum facultas ista possidetur. Quare, si constet moraliter (etiam per praesumptionem de presenti), nuntium ad Ordinarium pervenisse et bonum responsum datum esse, confessarius potest data ista facultate uti frui.

Ad II. Leonardus hic omnimo male se gessit eiusque ignorantia, ut conicere licet, miserum reum novis peccatis oneravit.

Debuisset uti canone 2254, ac proin dare directam absolutionem, cum onere recurrendi, sub poena reincidentiae in censuram, post mensem et per confessarium, si fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine ad Paenitentiariam. Debebat autem confessarius iam congruentem paenitentiam imponere, et monere paenitentem de obligatione, si complex redeat, iterum accusandi apud alium, peccatum in quo complices fuerant.

Ad III. Leonardus videtur Orientalem istum a suo peccato, in proprio ritu reservato, absolvere potuisse, si confessio fiebat ubi nullus Ordinarius istius ritus Orientalis erat.

Etenim, quamvis, ubi sit Praelatus proprii ritus, missionarius latinus Orientalem a casibus sui ritus absolvere nequeat, nisi obtenta facultate Ordinarii istius ritus (id expresse sancitur C. *Orientalium*, 30 nov. 1894 n. 6; *Collect. S. C. de Pr. Fide*, II, n. 1883, casus longe diversus est, cum Orientalis versatur extra Orientales regiones. Tunc ipsum bonum commune postulat ut Orientalis etiam frui possit beneficio consuetudinis iam ante Codicem communis, qua peregrini poterant in sacramento paenitentiae se gerere ut incolae, nisi praecise ad declinandam vim reservationis se in aliam dioecesim contulissent. Quam restrictionem ad huc de Orientalibus valere putamus, cum Codex de ipsis sileat.

Si autem Orientalis iam acquisiverit domicilium in loco ubi accedit ad sacramentum paenitentiae, multo magis poterit instar latini absolvi in loco ubi nullus sit Ordinarius proprii ritus. Cfr S. ALPH. L. VI, n. 589.

Casus moralis-canonicus

I. Leander clericatum accepturus, sed satis ignarus praescripti ritus, sivit ut Episcopus tonsurans solus diceret verba: « Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, etc. » Postea, cum theologiae vacaret, advertit formam istam ab ipso pronuntiari debuisse. Inde, non sine aliqua anxietate, adivit confessarium qui ipsum iussit esse bono animo. « Ut quid, fili mi, sollicitus sis de caerimonia quae nullam validam ordinis susceptionem impedit? »

Quod cum professori theologiae narrasset, is omnino praecepit ut tonsuram iterum reciperet. Sin aliter, addidit, numquam posses iurisdictionem ecclesiasticam obtinere. — Quid de utroque responso sentiendum est?

II. Claudius, natus parentibus paganis et conversus ad fidem, cum esset boni ingenii et irreprehensibilis virtutis, post studia theologica feliciter superata se obtulit Episcopo pro sacris ordinationibus. Is autem petiit ab ipso dispensationem ab impedimento can. 987, l. Cum de ista difficultate antea numquam sermo factus esset, ordinatio debuit differri. Num re vera Claudius erat impeditus?

III. Gracchus, qui potius invitus accedebat ad ordinem presbyteratus suscipiendum, post manuum impositionem, sed ante traditionem instrumentorum, suam intentionem recipiendi sacerdotium revocavit. Quod cum, post ordinationem, suo Ordinario significasset, is dubius haesit quid opportunius faceret. Quodnam consilium ineundum erat?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De concelebratione eucharistica (*)

II.

De sacramentali concelebratione extra ordinationes

I. *Usus hodiernus.*

I. *In ecclesiis latinis.* Medium locum inter concelebrationem eucharisticam in ordinationibus et concelebrationem extra easdem peragendam, obtinet concelebratio quae fieri solet post benedictionem abbatum, sive haec Apostolica, sive Ordinarii auctoritate fit. Huius enim benedictionis ritus ritum consecrationis episcoporum omnino imitatur (94).

Duo namque altaria paranda sunt, unum in usum episcopi, alterum in usum electi qui benedictionem suscepturus est.

Confessionem initio missae facit episcopus ad altare suum conversus, ei autem a dexteris adstat atque respondet electus. Postea vero, dum episcopus missam celebrare pergit, sive ad sedem suam, sive ad altare, prout missa solemnis est vel tantum lecta, electus, convenientibus suo ordini vestibus indutus, ad altare

(*) Cfr *Periodica*, t. XV, pp. 143*-154* et 181*-210*.

(94) *Pontificale Romanum*, pars I, De benedictione Abbatis auctoritate Apostolica, De benedictione Abbatis auctoritate Ordinarii.

suum cum duobus suis assistentibus accedit missamque pariter, prosequitur. Numquam tamen a medio altari discedit, neque se vertit ad populum, cum dicit: *Dominus vobiscum,* sed omnia demissa voce legit e missali in media altaris mensa collocato.

Cum uterque ad ultimum versum sive gradualis sive tractus sive sequentiae pervenit, missam interrumpunt ut benedictionis ritus celebretur.

Hoc autem expleto, pontifex ad altare remanens, si missa legitur, vel ad sedem regressus, si ea cantatur, missae celebrationem resumit usque ad offertorium inclusive. Idemque agit novus abbas ad suum altare. Recepta deinde a novo abbate consueta oblatione, pontifex manus suas lavat missamque ad altare prosequitur. Abbas vero ad altare suum non redit sed in loco congruo, ante sibi praeparatum scabellum, in quo positum est missale, genibus flexis cum suis assistentibus se sistens, totam missam legit, exceptis verbis consecrationis, quae non profert.

Dicta ab utroque oratione: *Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis,* abbas accedit ad altare a dexteris episcopi et ambo altare osculantur. Accepta autem ab episcopo pace, abbas ad scabellum regreditur pacemque suis assistentibus dat.

Deinde statim atque corpus et sanguinem (eumque totum) sumpsit, episcopus abbati ad altare reverso ibique genibus flexis consistenti communionem dat, at sub specie panis tantum.

Tunc post solitas calicis ablutiones, pontifex manus suas lavat et missam absolvit. Hoc etiam facit novus abbas ad scabellum suum.

Novi abbatis cum episcopo concelebrationem sacramentalem non esse eo sensu quem supra notavimus, non est sane quod ostendamus. Expressis enim verbis in pontificali praescribitur ne abbas verba consecrationis recitet. Itaque hoc habetur in illa concelebratione

mirum, quod, etsi novus abbas partem missae ad altare, more consueto (vel fere), celebrat, re tamen vera multo minus ei in hoc concessum est quam neopresbyteris, quoniam hi eucharistiam conficiunt, ipse vero non. Sed neque vinum ei praebetur post communionem, ut fit novis sacerdotibus, diaconis et subdiaconis ad imitandum ritum communionis e calice (94 *bis*).

Praeter istam novi abbatis concelebrationem nulla alia est hodie in ullo ritu latino vera concelebratio. Non enim eo nomine vocari potest munus presbyteri qui aliquando celebranti assistit. Assistit quidem sed nullatenus celebrat. Preces enim quas cum celebrante recitare iubetur puta, in ritu romano, (confessionem, Kyrie eleison, Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei) eae sunt quae ab omnibus clericis missae adstantibus, etiamsi ad altare nullatenus accedunt, dici possunt, vel certe in missa solemni a choro canuntur (95).

II. *In ritibus orientalibus.*

Concelebratio et quidem concelebratio plena seu sacramentalis hodie in usu est apud omnes Orientales **catholicos** ritus byzantini, ritus syro-Antiocheni, ritus maronitici, et ritus coptici.

In libris liturgicis illarum ecclesiarum plerumque nulla quidem mentio fit istius concelebrationis sed de ea pluries in synodis nationalibus et provincialibus atque in Constitutionibus Romanorum Pontificum statutum est.

Norma seu regula concelebrationis eucharisticae apud Italo-Graecos a Benedicto XIV, in Constitutione *Demandatam*, diei 24 decembris 1743, n. 9, definita est :

(94 *bis*) De huius ritus ortu et vera significatione v. M. ANDRIEU, *Immixtio et Consecratio. La consécration par contact dans les documents liturgiques du moyen âge*, Paris, 1924.

(95) L. MARTINUCCI et I. B. M. MENGHINI, *Manuale Caeremoniarum in libros octo digestum*, Romae, 1911, t. I, pp. 313-316.

Si... Altarium numerus celebrantium, et Offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus Sacerdotibus, ubi huiusmodi consuetudo viget, super eodem altari unacum Episcopo, vel alio Sacerdote Sacrificium peragente, concelebrare; ita tamen, ut sacris vestibus more Celebrantium induti unusquisque *totam Liturgiam integre recitet*, et verba Consecrationis proferat, perinde ac si Sacrosanctum Sacrificium singulatim conficerent (96).

Eadem fere decrevit Synodus Nationalis Graecorum Melchitarum, in Monasterio Sancti Salvatoris celebrata anno 1790, sess. VIII:

1. Praeterea una tantum missa super eodem altari celebretur oportet; quod si plures adsint sacerdotes, divinum sacrificium una concelebrent...

2. Precatio ad offertorium semel tantum a singulis sacerdotibus dicatur. Neque sacerdotes, dum missam simul concelebrant, per se quisque tenentur collectas privatim recitare, sed sufficit ut hebdomadario easdem recitanti aures admoveant; at vero *conclusiones precationesque secretas pronuntiare quisque debet*. Simul autem rem divinam operaturi, sacratas prius induant vestes quam missam inchoant (97).

Cfr Synodum nationalem Melchitarum in monasterio S. Antonii apud Carcafe in Monte Libano, anno 1806, c. IV, can. 10 (98) et eorumdem Synodum nationalem in Monasterio SS. Annuntiatae apud Ain-Traz in Monte Libano, a. 1835, can. 8, n. 5. (99).

In Synodo Zamoscensi Ruthenorum, anno 1720, nulla fit concelebrationis eucharisticae mentio. At in Synodo Provinciali Ruthenorum Galiciae Leopolensi, a. 1891 habita, tit. IV, c. 1, n. 11, haec statuta est lex:

In Missa collectiva, quando scilicet plures simul celebrant sacerdotes, oportet ut concelebrantes proferant cum principali celebrante verba consecrationis, voce quidem submissa, non tamen praeveniendo vel subsequendo principalem celebrantem,

(95) § 9, *Opera omnia*, Prati, 1845, t. XV, p. 331; MANSI, t. 46, c. 334 C.
(97) MANSI, t. 46, c. 632 A.
(98) Ibid., c. 732 C.
(99) Ibid., c. 989 BC.

sed simultanee. *Preces etiam secretas non omittant una cum celebrante*, et quidem modo indicato in rubricis, cum solus sacerdos celebrat (100).

Cfr tit. V, ubi singuli concelebrationis ritus recensentur (101).

Neque Concilium III provinciae graeco-catholicae Alba Iuliensis et Fogariensis, anno 1900 celebratum, tit. III, c. I, n. 8, pp. 90-92 (91-93) usum concelebrationis eucharisticae ordinare omisit:

Secundum disciplinam ac usum veterem ecclesiae nostrae super uno eodemque altari una die communiter nonnisi una sancta liturgia potest celebrari. Si plures fuerint sacerdotes sanctum sacrificium offerre cupientes, id facere poterunt omnes insimul celebrantes super eodem altari; debebunt autem omnes ieiuni esse, a peccatis purgati, induti cunctis vestibus sacris praescriptis, ac tenentur *distincte cuncta, quae in Liturgiario praescribuntur recitare*, ac cunctas caerimonias praescriptas peragere, consecrando omnes una ac percipiendo per ordinem pretiosum et sanctum corpus et sanguinem Redemptoris nostri Iesu Christi. In consecrando imprimis attendant, ut verba omnes simul exprimant. Sacerdotes liturgiis, quas perficiunt concelebrando, satisfaciunt intentioni illorum, pro quibus offertur sacrificium; ac ideo accipere quoque possunt stipendium pro liturgiis hoc modo celebratis.

Synodus autem Sciarfensis Syrorum anno 1888 ita decrevit:

Permittimus servari in Ecclesia nostra morem quo plures presbyteri eodem tempore celebrent ad singula altaria (maius et lateralia), ita tamen ut unusquisque eorum sua propria oblata prae manibus habeat quae consecret, habeatque omnia missae requisita; eorum prior ad altare maius sit, isque solus vocem efferat, aliis, qui ad cetera sunt altaria, *partes missae*, vel ipsas alta voce recitandas, *submissa voce recitantibus* (102).

---

(100) *Acta et Decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae habitae Leopoli anno 1891*, Romae, 1895, p. 168.

(101) Ibid., p. 150; 151-152; 154; 158; 160; 166.

(102) *Synodus Sciarfensis Syrorum in Monte Libano celebrata anno MDCCCLXXXVIII*, Romae, 1897, p. 112.

Apud Maronitas regitur usus concelebrationis eucharisticae Constitutione Synodi Montis Libani, anno 1736 habiti, c. XIII, n. 18:

Quia antiqua apud nos consuetudo obtinet, ut plures simul sacerdotes missam celebrent, vel secum ipsi, vel una cum episcopo aut reverendissimo domino patriarcha, aut vice versa; hic autem mos apud Latinos etiam viget, quum diaconus in presbyterum aut presbyter in episcopum consecratur (presbyter enim in episcopum inaugurandus simul cum episcopo consecratore profert verba evangelica, degustat quoque particulam hostiae consecratae, hauritque e sacro calice sanguinis guttas sibi ab episcopo consecratore porrectas, diaconus vero in presbyterum ordinandus simul cum episcopo celebrante integram consecrationis formam profert, ac tandem sub panis specie communionem ab ipso recipit); nonnulla autem a presbyteris in nostro ritu committi deprehendimus, quae debitae tanto sacrificio reverentiae adversantur: praecipimus et iniungimus primo, ut, quando plures sacerdotes simul eucharistiam consecrare et integram missam conficere volunt, paramentis sacris ornati sint, *totam liturgiam, sive elata, sive submissa voce, prout in rubrica praescribitur, dicant, nihil penitus omittentes;* verba consecratoria morose, distincte et attente proferant, ita ut alter alterum non praeveniat; ac demum corpus et sanguinem Domini unus post alterum percipiat, quemadmodum in rubricis missalis adnotatur. Hoc modo concelebrantes, oneri atque obligationi tam pro vivis quam pro defunctis missam celebrandi eleemosynisque eam ob causam receptis satisfacere declaramus. Id tamen non passim ab illis fieri permittimus, sed in solemnioribus tantum festis vel in exsequiis defunctorum, cadavere praesente, aut in anniversariis eorum. Si quis autem aliquid substantiale omiserit, aut habitu sacerdotali caruerit: sciat a se missam celebratam non fuisse, nec eleemosynis pro missa collatis satisfecisse, nisi singillatim rite celebret, consecret et communicet (103).

Denique Synodus Alexandrina Coptorum, habita Cairi in Aegypto, anno 1898, singula quae ad concelebrationem eucharisticam pertinent hac ratione ordinavit:

---

(103) MANSI, t. 38, c. 125-126.

Mos antiquissimus in nostra Ecclesia viget ut aliquando, ad maiestatem augustissimi sacrificii melius sustinendam, unica missa a pluribus simul sacerdotibus celebretur. Quem morem retineri permittimus in solemnioribus tantum missis, interdicentes ne id in missis privatis unquam fiat.

Quando plures sacerdotes ita concelebrant, praescribimus sub gravi ut omnes sacris paramentis sint ornati atque *singuli totam liturgiam sive elata sive submissa voce pronuntient, nihil ex eo omittentes.* Curent ut verba consecrationis ita distincte et attente proferant ut alter alterum non praeveniant. Demum communionis tempore corpus et sanguinem Domini unus post alterum percipiat. (104)

Praeter praedictam tamen sacramentalem concelebrationem, Rutheni caerimoniali quoque concelebratione utuntur, in qua concelebrantes « proprie loquendo non habent nisi officium canendi ex ordine exclamationes (quas Graeci *ἐκφονήσεις* vocant), servata tamen omni modestia tam exteriori quam interiori congruente tanto actui religionis ». « Nihilominus tamen ad populi aedificationem, et harmonicam consonantiam in celebratione exhibendam, expedit, ut ipsi et reliquas missae ceremonias cum principali offerente perficiant, et in orationes ipsas intendant solis dumtaxat consecrationis verbis omissis, quae nonnisi a consecrantibus sunt proferenda » (105).

Hi tamen sacerdotes qui ecphoneses tantum pronuntiant potius assistentes quam concelebrantes dicendi sunt.

Ex allatis documentis non solum lex qua conceditur apud Orientales catholicos concelebratio eucharistica, sed etiam ritus qui sunt in ea observandi, satis innotescunt. Si enim Ruthenos excipias, quibus etiam concelebratio caerimonialis licita esse declaratur, apud ceteros omnes Orientales catholicos quibus con-

---

(104) *Synodus Alexandrina Coptorum habita Cairi in Aegypto anno MDCCCXCVIII*, Romae, 1899, p. 107.

(105) Acta et Decreta (v. n. 100), p. 168.

cessus est usus concelebrationis, haec semper plena seu sacramentalis sit oportet. Eandem legem observant praeter Melchitas et Ruthenos reliqui Graeci, Slavi atque Rumeni, ritu byzantino utentes.

Ratio istius legis haec nobis videtur esse quod cum etiam concelebrantibus licitum sit pro concelebrata missa consuetum stipendium accipere Ecclesia periculo praecavere voluit ne istud stipendium umquam pro concelebratione caerimoniali tantum acciperetur. Hanc interpretationem clare suggerit, v. g., constitutio synodi maronitici Montis Libani (1736) (106).

Inde sane est quod in praedictis constitutionibus et canonibus praescribitur ut concelebrantes canonem et maxime verba consecrationis simul cum principali celebrante recitare curent, et vestibus liturgicis suo gradui in hierarchia ecclesiastica convenientibus induti sint.

Nihilominus concelebratio eucharistica apud Orientales catholicos non isto essentiali tantum actu constat sed apud plerosque praeterea praescriptum est ut prorsus omnia quae a principali celebrante recitantur, ipsi quoque sive elata sive demissa voce (prout exigunt diversae orationes) cum illo dicant. De ipsis autem missae ritibus plerumque nihil statuitur, cum ex ipsa eorum natura appareat vix ullam partem in iis complendis concelebrantes habere posse.

Ruthenis tamen, Melchitis, ceterisque catholicis ritus byzantini tenenda est concelebrationis ratio sui ritus propria, salva nihilominus lege qua praescribitur concelebratio sacramentalis (107).

Omnino singularis est modus quem in concelebratione observant Catholici ritus Syro-Antiocheni, si

---

(106) MANSI, t. 38, c. 126. Ultima huius constitutionis sententia, *si quis autem aliquid substantiale omiserit* etc., confusa est et rectam doctrinam de ratione qua stipendiis missarum satisfit non exprimit.

(107) Ista celebrationis ratio paulo infra exponenda erit.

tamen haec concelebratio dicenda est, et non potius plurium simul missarum celebratio. Singuli enim celebrantes illum tantum panem, illumque calicem consecrare intendunt quem coram se in suo quisque altari habet. Ideo excogitata esse videtur ista celebrationis ratio ut simul aliquatenus servaretur lex quae praecipit ne eodem die plures missae in eadem ecclesia et maxime in eodem altari celebrentur et concederetur tamen singulis sacerdotibus facultas missam celebrandi.

Non eadem amplitudine in omnibus praedictis ecclesiis concessus est usus concelebrationis eucharisticae. Apud Italo-Graecos conditio est ut altarium numerus non respondeat multitudini celebrantium et offerentium, at data facultas neque ad certos quosdam dies neque ad missas solemnes restringitur. Apud Melchitas et Rumenos concelebrare licet, etiam privatim, ni fallimur, quotiescumque plures missae essent in eodem altari celebrandae. Apud Ruthenos nulla conditio concessioni apposita esse videtur. Maronitae vero tantummodo in solemnioribus diebus, in exsequiis vel in anniversariis defunctorum concelebratione uti possunt. Coptitae denique in solemnioribus tantum missis, ut iis splendor addatur, nullatenus autem in missis privatis, concelebrare fas est.

In ecclesiis orientalibus **separatis** notissimus et usitatissimus est concelebrationis eucharisticae ritus, etiam extra ordinationes, sed in hoc ab usu ecclesiarum catholicorum omnino differunt quod ista concelebratio, extra ordinationes, non est umquam nisi caerimonialis.

In ritu byzantino. In appendice Typici Constantinopolitani, qua describitur ratio concelebrationis sive plurium episcoporum sine sacerdotibus, sive plurium sacerdotum sine episcopo, sive plurium sacerdotum cum uno vel pluribus episcopis, una eademque haec regula statuitur, ut orationes ab omnibus concelebrantibus

simul cum celebrante secreto dicantur, ecphoneses vero per vices a singulis pronuntientur; sacra autem dona, id est panem et vinum, benedicere illius solummodo esse, sive episcopi sive presbyteri, qui ceteris praeest. Porro inter ecphoneses adnumerandae sunt illae quibus pronuntiantur verba consecrationis: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, et Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus,* inter sacrorum donorum autem benedictiones computanda videtur benedictio illa praecipua, epiclesis dicta, qua secundum Orientales non catholicos fit panis et vini consecratio seu transmutatio in corpus et sanguinem Christi (108).

Eandem enim regulam magis explicite, etsi tantummodo de concelebratione plurium sacerdotum sine episcopo, exponit liber qui *Ἱερατικόν*, id est Sacerdotale, vocatur. Omnes concelebrantes simul cum celebrante orationem eucharisticam seu anaphoram secreto recitent, primus vero sacerdos isque tantum has duas ecphoneses pronuntiet: *Accipite, comedite* et *Bibite ex eo omnes,* idemque sanctum panem, deinde sanctum calicem, denique utrumque simul benedicat (109).

Qualis autem sit ista terna benedictio dubium non est, sed constat ea certo certius tribus illis signationibus quas, hortante diacono, celebrans supra dona sacra peragit, primum supra panem, deinde supra calicem, denique supra panem et calicem simul, haec verba interea recitans: *Et fac hunc, panem pretiosum corpus Christi tui, id vero quod est in hoc calice (τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τούτῳ) pretiosum sanguinem Christi tui,*

---

(108) *Τυπικὸν κατὰ τὴν τάξιν τῆς τοῦ Χριστοῦ Μεγάλης Ἐκκλησίας, Ἐν Κωνσταντινουπόλει,* 1888, pp. 447-449.

(109) *Ἱερατικὸν περιέχον τὰς θείας καὶ ἱερὰς Λειτουργίας Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, Βασιλείου τοῦ Μεγάλου καὶ τῶν Προηγιασμένων, Μετὰ τῆς τυπικῆς αὐτῶν Διατάξεως, Ἐν Κωνσταντινουπόλει,* 1895, pp. 145-150.

transmutans (ea) Spiritu tuo Sancto. Ita ut accipientibus fiant in animi sobrietatem, in remissionem peccatorum, in communicationem spiritus tui sancti, in regni caelorum plenitudinem, in confidentiam erga te, non autem in crimen et condemnationem (110).

Ista enim verba, quamvis pars sint anaphorae, a concelebrantibus non recitanda esse notat idem *Ἱερατικόν*, ubi dicitur primum sacerdotem, postquam dona benedixit et demissam simul cum concelebrantibus inclinationem fecit, reliquam deinde partem orationis secreto legere et mox, dum dona thurificat, exclamare: *Imprimis Sanctissimae immaculatae..... semper virginis Mariae* (111). Ex iis dictis liquet primum tantum presbyterum formulam quam retulimus recitare. At rursus, modo conclusiones singularum anaphorae partium, dum ab uno e concelebrantibus, ut diximus, elata voce pronuntiantur, a ceteris interea secreto recitentur, quod re vera fieri putamus, e regula supra descripta sequitur quoque concelebrationi eucharisticae ritus byzantini nihil, quod ad veram formam spectat, deesse ut sit sacramentalis, deficere tantum apud concelebrantes voluntatem consecrandi, quippe qui credant se non posse nisi recitata epiclesi consecrare hancque ea ipsa de causa omittant.

Communionem vero hoc modo fieri debere iidem libri statuunt. Si vel episcopi vel presbyteri tantum concelebrant singuli propria manu sibi communionem sumunt, ultimus vero eorum communionem diacono praebet. Sin autem episcopi et sacerdotes simul concelebrant, principalis vero celebrans episcopus est, ab eo sacerdotes et dein diaconus communionem recipiunt; si plures sunt episcopi, ultimi ex iis est communionem sacerdotibus et diacono tradere.

---

(110) F. E. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western*, I, Eastern Liturgies, 1896, p. 387.

(111) P. 149.

In ceteris ritibus orientalibus. Apud ceteros Orientales non catholicos concelebratio eucharistica longius quam in ritu ritu byzantino a sacramentali concelebratione abest; concelebrantium enim munus est cum celebrante altari adstare et, ad summum, secundariis quibusdam ritibus fungi, v. g., sanctuarium et ecclesiam thurificare, communionem ministris inferioribus et populo distribuere. Eorum autem non est orationes cum celebrante recitare, multo minus ipsam anaphoram (112).

A lege tamen omnium Orientalium non catholicorum communi recedunt ecclesiae **slavae,** vel saltem ecclesia russa. In pontificali enim anno 1902 Moscoviae impresso haec rubrica de concelebratione plurium presbyterorum cum episcopo tempore consecrationis apposita est:

Liquet quantum conveniat ut ista dominica verba: *Accipite, comedite* et *Bibite ex hoc omnes,* recitent in panem et in vinum omnes concelebrantes, coniuncte, secreto, unam vocem cum pontifice efficientes; neque ullus vel uno verbo pontifici praecurrat, vel eum sequatur sed tamquam ex uno ore omnes simul dicant. Postea (convenit) ut coniuncte recitent omnes secreto in discum (patenam): *Et fac igitur panem hunc,* similiterque et in calicem: *Atque calicem hunc* et reliqua. (113)

Etsi igitur lege praescripta non est sacramentalis concelebratio, valde tamen commendatur.

Distinctius describitur idem ritus apud CLEMENTEM SKALSKIJ. Praeter ceteras autem anaphorae partes quas in ecclesia Constantinopolitana quoque omnes concelebrantes recitare iubentur, statuitur ab omnibus

---

(112) Marquis OF BUTE, *The Coptic morning service of the Lord's day*[2] London, 1909, pp. 9; 23; 38; 72. In ecclesia Aethiopica sacerdotes concelebrantes diebus sollemnioribus duodecim sunt. Altari adstant per totam missam, at quamquam nihil dicunt nihilque agunt, cum celebrante ita coniuncti reputantur ut ipsi tamquam celebrantes habeantur. Duo tamen ex iis munere assistentium funguntur, unus « ad librum ministrando », alter candelam accensam ad sinistram celebrantis tenendo.

(113) *Ordo Pontificalis ministerii* (slavonice), Moscoviae, 1896, fol. 47.v

concelebrantibus recitanda esse etiam verba invocationis: *Et fac ergo panem hunc pretiosum corpus Christi, tui atque hunc calicem pretiosum sanguinem Christi tui, Transmutans* (tempore aoristo quod, latine vix reddi potest, graece autem verbo *μεταβαλών* exprimitur) *Spiritu tuo Sancto* et cetera usque ad verba *neque in crimen neque in condemnationem.* (114)

Nihilominus panem et calicem signat tantummodo pontifex.

Quod vero ad verba institutionis pertinet, utrum necne secreto a concelebrantibus dicenda sint dum a pontifice proclamantur, an penitus ab iis omittenda sint, idem dubium hic remanet quod iam supra de usu ecclesiae Constantinopolitanae notavimus. At hic adhibita pontificalis rubrica facile solvitur.

Est nihilominus qui affirmet has praescriptiones in ecclesia russa parum observari et concelebrationem eadem ratione atque in ecclesia Constantinopolitana peragi consuevisse (115); omitti videlicet a concelebrantibus formulam invocationis et fortasse etiam institutionis verba. Quare concludendum est concelebrantibus certe deesse voluntatem eucharistiam conficiendi seu sacramentaliter concelebrandi.

II. *Historia.*

Fuisse olim in universa ecclesia Orientis et Occidentis idque a remotissima antiquitate morem ut in omni fere sollemniore missarum celebratione, praeter principalem celebrantem (puta ipsum singularum ecclesiarum episcopum), praeter diaconos ceterosque clericos, adessent etiam presbyteri qui peculiari munere

---

(114) Sacerdos CLEMENS SKALSKIJ, *Liturgia Sancti Ioannis Chysostomi.* Manuale in usum ministrorum sacrorum (i. e. sacerdotum et diaconorum) et ecclesiasticorum in officiis pontificalibus cum explicatione ritus ordinationis ad gradus ministerii sacri et ecclesiastici et (explicatione) honorificae concessionis epigonatii, pileoli, kamilafkii etc. (russice), Petroburgi, 1902, p. 58-61.

(115) DE MEESTER O. S. B. *De Concelebratione in Ecclesia Orientali praesertim iuxta ritum byzantinum*, Ephemerides liturgicae, t. 37 (1923), p. 153.

in ista celebratione fungerentur seu celebranti aliquo modo concelebrarent, res est adeo e sescentis disertissimis testimoniis manifesta, ut qui eam demonstrare aggrederetur, lucernam mero meridie accendere velle dicendus esset.

Etenim quaestio de concelebratione eucharistica episcoporum et presbyterorum propria, non est, ut iam saepe monuimus, utrum necne ista concelebratio in usu fuerit, sed *qualis* ea fuerit, utrum sacramentalis an caerimonialis tantum.

Quod discrimen duarum concelebrationum eucharisticarum, quamvis necessarium et rerum naturae insitum appareat, vix aut ne vix quidem observatam esse ab iis qui hactenus de concelebratione scripserunt negari non potest indeque est quod dissertationes suas ingenti documentorum pondere onerarunt, quae demonstrant quidem id quod luce clarius est nullaque demonstratione eget, id autem unum quod dubium est, nullatenus vel certe non satis resolvunt.

Itaque hanc tantum quaestionem nobis solvendam proponimus, utrum episcoporum et presbyterorum eucharistica concelebratio, quae in omnibus ecclesiis orientalibus et occidentalibus olim pervulgata fuisse constat, sacramentalis fuerit an tantummodo caerimonialis, ea verba eodem omnino sensu quem initio nostrae dissertationis definivimus intellegentes.

Quod si quaestio ita definitur, fatendum est admodum pauca esse testimonia quae ad illam dirimendam (si modo solvi possit) aliquid certi conferunt; pleraque enim quae ab historicis afferre solent, ab ipso primo aspectu ad praesens nostrum intentum inutilia apparent.

I. **De ritibus latinis.** Quando inceperit mos ut novus abbas cum episcopo concelebraret, nondum potuimus investigare sed valde antiquus certe non est. At non deest ratio existimandi istam concelebrationem fuisse initio sacramentalem ad instar concelebrationis

novi episcopi. Etenim saltem usque ad annum 1510, quo denuo editum est Pontificale romanum (116) ab AUGUSTINO PATRITIO primum concinnatum, de missa ab abbate post suam benedictionem simul cum episcopo perficienda praescribitur tantum, ut abbas missam absolvat, neque ulla additur restrictio: *Abbas etiam in scabello suo missam perficit* (117). In editione vero eiusdem Pontificalis Venetiis, anno 1561, parata, iam, ut in hodierno Pontificali, statuitur: *(Abbas) medius inter assistentes suos genuflexus legit totam missam, exceptis verbis consecrationis que non proferet* (118).

Quare credi potest concelebrationem novi abbatis medio saeculo XVI^{0} e sacramentali in caerimonialem esse mutatam.

Ecclesiae Romanae fuisse olim consuetudinem ut presbyteri cardinales diebus quibusdam sollemnioribus simul cum papa missam sacramentaliter celebrarent, explicitis verbis Ordo romanus I affirmat:

> In diebus festis, id est Paschae, Pentecostes, sancti Petri, Nativitatis Domini, per has quatuor solemnitates habent colligendas presbyteri cardinales, unusquisque tenens corporalem in manu sua; et venit archidiaconus, et porrigit unicuique eorum oblatas tres. Et accedente Pontifice ad altare, dextra laevaque circumdant altare, et simul cum illo canonem dicunt, tenentes oblatas in manibus, non super altare, ut vox Pontificis valentius audiatur; et simul consecrant corpus et sanguinem Domini, sed tantum pontifex facit super altare crucem dextra laevaque (119).

Non nulla tamen de isto documento notanda veniunt. 1^{0}) Verba quae retulimus non in ipso ordine I continentur sed in una ex appendicibus quae ei in editione MABILLONII annexae sunt; haec autem appen-

---

(116) *Pontificale noviter impressum: perpulchrisque Characteribus diligentissime annotatum* [Venetiis, 1510].

(117) Vol. 51.r

(118) P. 59.

(119) PL 78, 958 CD - 959 A.

dix nn. 48-51 constat. Iam vero facile demonstratur eam non levi temporis intervallo ipso ordine recentiorem esse adeoque non ante s. VIII^{m} conscriptam esse (120). 2^{0}) Eadem appendix in uno tantum codice manuscripto conservata est, id est in cod. San Gallensi, e quo Mabillonius eam desumpsit; in eoque, eadem ratione atque in praedicta editione, Ordini romano I annexa est. In codice autem Veronensi pauca tantum verba ex initio eiusdem appendicis reperiuntur, idque rursus post textum Ordinis romani I. Haec sunt:

In diebus autem festis id est Pascha, Pentecosten, sancti Petri, Natalis Domini, per has quatuor sollemnitates habent colligendas . . . . . annuente eis primicerio cum manu sub planeta percontatu Pontificis (121).

Quibus observatis, agnoscendum certe est isto documento nihil clarius optari posse.

Ei autem alia quaedam coniungenda sunt, quibus idem fere usus refertur, quamvis paulo minus explicite.

Primum est Ordo Sancti Amandi dictus, quem supra s. VIII^{0} concinnatum esse diximus. De concelebratione cardinalium ecclesiae Romanae cum pontifice haec statuit:

In Natale Domini sive in Aepyphania et in sabbato sancto seu in Dominica sancta et in feria secunda, in Ascensa Domini et in Pentecosten vel in natale sancti Petri et sancti Pauli, stant episcopi post pontificem inclinato capite, presbiteri vero dextra levaque, et tenet unusquisque corporale in manu sua, et dantur eis ab archidiacono oblatas duas ad unumquemque, et discit pontifex canon ut audiatur ab eis, et sanctificantur oblaciones quas tenent, sicut et pontifex. (122)

---

(120) H. GRISAR S. I., *Analecta Romana*, Vol. I, Roma, 1899, pp. 201-207. Ipse Ordo I non solum concelebrationem sacramentalem non commemorat sed eam omnino exludit, ut e multis indiciis patet. V. g., PL 78, 945 A ; 946 B etc.

(121) I. BIANCHINI, *Anastasii Bibliothecarii de Vitis Romanorum Pontificum... cum notis variarum*, t. III, Romae, 1728, p. XLII.

(122) L. DUCHESNE, *Les origines du culte chrétien*^{6}, p. 480.

Verbum *sanctificantur* perperam pro *sanctificant* a librario scriptum esse asserit DUCHESNE (123); res tamen, quamvis facile accidere potuerit, non omnino certa nobis videtur. Sensum autem sententiae valde diversum esse prout unum vel alterum legendum est unusquisque statim intellegit. Ceterum, quamquam loci significatio satis dubia est, potius innuitur canonem a celebrante recitari, a concelebrantibus vero tantum audiri debere. Denique non clare apparet utrum presbyteri tantum an etiam episcopi concelebrare dicantur. Primum tamen nobis veri similius videtur; sacramentaliter enim concelebrantium non est post celebrantem capite inclinato stare, dum recitatur canon.

Alterum testimonium est AMALARII METENSIS in suo *Libro officiali,* l. I, c. 12, ubi explicans quare in ordine romano ad benedicendum oleum infirmorum praescribatur, ut simul cum pontifice oleum benedicant etiam omnes presbyteri, ita argumentatur:

> Mos est romanae ecclesiae ut in confectione immolationis Christi adsint presbyteri et simul cum pontifice verbis et manibus conficiant. At quia in ipsa periocha (id est parte missae) concluditur (continetur) consecratio huius olei, oportet ut simili modo sicut et cetera, cum pontifice presbyteri oleum conficiant (124).

E textu satis apparet *conficere,* si de missa intellegitur, idem esse debere atque *consecrare*; *manibus* autem conficere aliud esse non potest quam super pane et vino signa crucis ritu praescripta facere. Ista igitur assertione, descriptio Amalarii a descriptione Ordinis romani I differt; in hoc enim expressis verbis notatur pontificis tantum esse panem et vinum cruce signare.

De diebus vero quibus ita presbyteri cum papa

---

(123) O. c., p. 480, n. 1.

(124) PL 105, 1016 B. Hic locus sine ulla mutatione in altera et in tertia editione *Libri officialis* conservatus est.

celebrabant, silet Amalarius. Nulla enim ratio est existimandi eum tantummodo de missa feriae V in Cena Domini mentionem facere velle. Immo satis frequentem fuisse istam concelebrationem verba quae retulimus suadent.

Tertium documentum quod testimonio Ordinis romani I adiungendum est, praebet Ordo romanus XI seu Liber politicus a Benedicto, canonico S. Petri, saeculo XII^{0} scriptus, ubi describit ordinem missae in vigilia Nativitatis Domini a pontifice celebrandae:

> Tunc VII cardinales ascendunt ad altare cum libris, III ex una parte et IVor ex alia parte. Et pontifex a diaconis sustentatus intrat ad altare in canone ad sanctificandam hostiam cum cardinalibus (125).

Neque hic igitur expressis verbis affirmatur cardinales cum papa consecrare, satis clare tamen innuitur. Cur enim cardinales statim ante canonis initium ad altare cum libris adscenderent, si canonem simul cum pontifice legere non debuissent? Nomine cardinalium, ni fallimur, presbyteri tantum intellegendi sunt; hi ergo iam non omnes sed septem tantum ex iis pontifici concelebrare debebant.

Huc quoque spectat testimonium Innocentii III:

> Consueverunt autem presbyteri cardinales Romanum circumstare pontificem, et cum eo pariter celebrare. Cumque consummatum est sacrificium de manu eius communionem recipere, significantes apostolos, qui cum Domino pariter discumbentes sacram de manu eius eucharistiam acceperunt, et in eo quod ipsi concelebrant, ostendunt apostolos tunc a Domino ritum huius sacrificii didicisse (126).

Quamquam enim de presbyteris cardinalibus non explicitis verbis asserit eos consecrare cum pontifice,

---

(125) BENEDICTI Beati Petri canonici *Liber Politicus ad Guidonem de Castello tunc cardinalem Sancti Marci, postmodum factus est Celestinus secundus*, n. 20, edit. L. FABRE et L. DUCHESNE, *Le Liber Censuum de l'Eglise Romaine* (Bibliothèque des Ecoles Françaises d'Athènes et de Rome, 2.e série, VI, 5) t. II, 1905, p. 146.

(126) *De Sacro altaris mysterio*, l. IV, c. 25, PL 217, 873 D-874 A.

eam tamen esse eius mentem declarant ipsa capitis inscriptio: *De diversis sacerdotibus super eandem hostiam celebrantibus,* et quaestio quae in eo solvitur: Quandonam fit consecratio si forte non omnes concelebrantes simul concelebrationis consecratoria verba pronuntient?

Etiam concelebrationem in ordine romano descriptam respicere videtur caput 2 *epistulae I* PS-ANACLETI in collectione PS-ISIDORIANA.

Ut episcopus Deo sacrificans testes secum habeat. Ipsi autem, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in sacratis Deo sacrificare locis probentur . . . . . Episcopus Deo sacrificans, testes (ut praefixum est) secum habeat, et plures quam alius sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, sic maioris testimonii incremento indigent. In solemnioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, et subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, in fronte et a tergo, et presbyteri e regione dextra laevaque, contrito corde et humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum a malevolis hominibus, et consensum eius praebeant sacrificio. Peracta autem consecratione, omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim et apostoli statuerunt et sancta Romana tenet ecclesia (127).

Si hoc loco mentio fit concelebrationis sacramentalis, quod facile crediderimus, haec verbis *et consensum eius praebeant sacrificio* exprimitur. Certe locutio valde ambigua est.

Ritum sacramentalis concelebrationis testatur obiter *epistula* IOANNIS VIII ad Photium Constantinopolitanum, qua suos legatos excusat, quod cum patriarcha noluerunt *consecrare.*

Quod dicitur autem, sanctam Constantinopolitanam Ecclesiam in te convenire, teque privatam sedem recipere, missos

---

(127) PG 2, 794 D-795. Cfr L. HINSCHIUS, *Decretales Pseudo - Isidori et Capitula Angibramni,* Lipsiae, 1863, p. 66.

vero nostros tecum minime *consecrare*, de adunatione omnium Deo gratias agimus; sed missis nostris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipsa sedes haberet, antea comprobavimus. (128)

Photium in sua epistula ad Ioannem verbum *consecrare, ἁγιάζειν*, vel aliud simile adhibuisse vix credendum est. In utraque enim versione epistulae Ioannis VIII, cum in versione ab ipso Photio in Synodo Constantinopolitana, 879, lecta (129), tum in versione authentica (130), verbum consecrare verbo *συλλειτουργεῖν, comministrare, concelebrare,* redditum est. Restat ut dicamus Ioannem concelebrationem cleri Constantinopolitani cum suo patriarcha ad instar concelebrationis romanae, id est concelebrationis sacramentalis, concepisse. Num iure id fecerit, postea dicendum erit.

Durandus Mimatensis testimonia Amalarii Metensis et Innocentii exscripsit, sensum tamen prioris non leviter amplians.

Et summus pontifex quoties divina celebrat, sacerdotes ei adstantes verbis et manibus cum eo consecrant: et quia, ut iam dictum est, huius olei (olei infirmorum feria V in Cena Domini inter missae sollemnitates benedicendi) consecratio est *ἐμβολισμός* canonis: idcirco eam totam, sicut et canonem sacerdotes cum eo dicunt. (131)

Non autem dixerat Amalarius concelebrationem fieri quotiescumque pontifex celebrabat, sed tantummodo morem esse ecclesiae romanae ut in celebratione sacrificii eucharistici adessent presbyteri et simul cum

---

(123) Epistula 248, PL 123, 871 A. De ista epistula et de eius adulteratione a Photio perpetrata, v. Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles*, IV, pp. 580 ss.

(129) Mansi, 17, 413 B *ὅτι οἱ ἀποκρισιάριοι ἡμῶν εὐθέως οὐκ ἠθέλησαν συλλειτουργῆσαί σοι.*

(130) Mansi, 16, 504 B *τοὺς δὲ ἡμῶν ἀποκρισιαρίους μὴ θελῆσαι συλλειτουργεῖν σοι.*

(131) *Rationale divinorum officiorum*, l. IV, c. 41, n. 50, edit. Venetiana 1577, fol. 112. v. Cfr Periodica, c. XVI (1927), p. 184*.

papa consecrarent. Ex appendice vero Ordinis romani I novimus illam concelebrationem s. IX⁰ maioribus tantum sollemnitatibus fieri solitam fuisse. Fortasse ad corrigendam Durandi assertionem, satis esset post verbum *divina* inserere hoc alterum: *sollemniter.*

Extra dubium ergo positum videtur per plura saecula, id est a VII° ad XIII^um^, in ecclesia Romana morem fuisse ut sollemnioribus quibusdan diebus presbyteri cardinales primum omnes, postea septem tantum, simul cum pontifice sacramentaliter celebrarent. At de isto ritu statim plures oriuntur quaestiones:

1⁰) Quando iste ritus ortus sit et num re vera, ut solet dici, a primis ecclesiae romanae initiis in ea observatus sit.

2⁰) Quando observari cessaverit idem ritus.

3⁰) Num in ecclesia Romana ritus sacramentalis concelebrationis etiam extra paucos istos dies sollemniores dies, puta singulis dominicis vel etiam cotidie, atque aliis atque pontifici Romano licitus fuerit.

4⁰) Num extra ecclesiam Romanam (id est ecclesiam Urbis), in alia qualibet ecclesia latina idem ritus sacramentalis concelebrationis agi consueverit.

Quod ad primam quaestionem pertinet, fatendum videtur nullum testimonium ordine S. Amandi adeoque saeculo VIII⁰ antiquius reperiri posse quo omnino certa ratione affirmatur iam ante istud tempus cardinales cum pontifice romano sacramentaliter concelebrare solitos esse (132).

Nihil sane efficitur ex eo quod ab EUSEBIO narratur de Anacleto papa qui Polycarpo Romae degenti,

---

(132) In praesenti dissertationis parte quaeremus tantummodo quid e testimoniis ad concelebrationem eucharisticam in ecclesia Romana spectantibus de isto ritu deduci possit. Quae vero e generalioribus rationibus non solum quod ad ecclesiam Romanam sed ad omnem ecclesiam christianam attinet statui possunt in conclusione dissertationis opportunius exponentur.

honoris causa eucharistiam in ecclesiae conventu celebrare concessit (133).

Ad concelebrationem eucharisticam referendam esse putat DUCHESNE (134) hanc brevem et obscurissimam *Libri pontificalis* narrationem de Zephyrino papa (198-207):

> Et fecit constitutum de ecclesia, et patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesia, et ministros supportantes, donec episcopus missae celebraret, ante se sacerdotes adstantes, sic missae celebrarentur; excepto quod ius episcopi interest tantum, clerus sustineret omnibus praesentes; ex ea consecratione de manu episcopi iam coronam consecratam acciperet presbyter tradendam populo. (135)

Ista enim verba Duchesne hac ratione interpretanda putat: Zephyrinus consuetudinem instituit ut in ecclesia, dum episcopus missam celebraret, ante sacerdotes coram eo adstantibus patenae vitreae a ministris sustinerentur. Integrae celebrationi clerum totum interesse necesse erat, praeter eos quos episcopus exemerat vel ad aliud munus destinaverat. Postquam autem consecratio peracta erat, presbyteri erat acceptam de manu episcopi consecratam coronam (id est consecratum panem) populo tradere (136).

Nobis tamen videtur ex relatis verbis demonstrari non posse iam ante consecrationem coronas fuisse in illis vitreis patenis collocandas, ut a singulis praesbyteris consecrarentur. Verius diceretur patenas ante presbyteros ideo tenendas fuisse ut in iis, quod presbyterorum munus erat, panes consecratos confringerent atque deinde ad populum deferrent (137).

---

(133) *Historia ecclesiastica*, V, c. 24, edit. E. SCHWARTZ et TH. MOMMSEN, *Eusebius Werke*, 1903, Bd II, T. 1, (GCS), 495.

(134) *Les Origines du culte chrétien*[5], p. 185, n. 2; *Liber Pontificalis*, I, p. 139 n. 3; p. 246, n. 9.

(135) *Liber Pontificalis*, edit. DUCHESNE, I, 139.

(136) O. c., I, 139, n. 3.

(137) *Ordo romanus I*, n. 19, PL 78, 946 B.

Concelebrationis sacramentalis aliud indicium agnoscit posse putat rursus Duchesne in altero eiusdem *Libri Pontificalis* loco ubi de Hilaro papa (416-468) refertur eum supellectilem constituisse omnium vasorum sacrorum quae per diversas ecclesias, ubi missae stationales celebrari solebant, circumferenda erant:

In urbe vero Roma constituit ministeria qui circuirent constitutas stationes:
scyphum aureum stationarium pens. lib. VIII;
scyphos argenteos XXV per titulos, pens. sing. lib. X;
amas argenteas XXV, pens. sing. lib. X;
calices argenteos ministeriales L, pens. sing. lib. II (138).

Patenae quidem hic non nominantur sed e vita Zephyrini iam novimus morem fuisse ut coram singulis sacerdotibus concelebrantibus patena una teneretur (139) et in vita Urbani (222-230) additur: *Hic fecit ministeria sacrata* (id est vasa sacra) *omnia argentea et patenas argenteas XXV posuit.*

Scyphus aureus, qui primo loco recensetur, erat calix praecipuus qui in altari coram ipso pontifice ponebatur; amae vero, vasa magnae capacitatis in quae infundebatur vinum quod a fidelibus in missa offerebatur; calices denique ministeriales dicebantur calices minores quibus fidelibus communio sub altera specie praebebatur. Quinam autem erant scyphi isti argentei quorum post scyphum principalem fit mentio et quinam eorum usus?

Nexum aliquem fuisse inter numerum illorum 25 scyphorum argenteorum, 25 patenarum pariter argentearum, 25 amarum atque 50 (2 × 25) calicum minorum ministerialium et numerum titulorum urbis Romae, qui tunc 25 quoque erant veri simillimum est. Haec autem numerorum convenientiam inde, verbi gratia, effici potuit quod singuli tituli patenam unam, unum

(138) Edit. DUCHESNE, I, 244.
(139) Ibid. 139.

scyphum unamque amam, duos autem calices ministeriales in missis stationalibus adhibenda curiae pontificali procurare debuerant vel sponte sua dono illi dederant (140).

At Duchesne, quamvis caute, ut virum arti criticae deditum decebat, aliam rei explicationem suggerit. Existimat enim non solum 25 patenas argenteas sed 25 quoque argenteos scyphos a 25 presbyteris cardinalibus adhibendos fuisse cum in missis stationalibus papae concelebrabant; ante saeculum VIII^{m} vel IX^{m} enim legem fuisse ut in missis stationalibus a pontifice celebratis fideles e 25 paroeciis romanis interessent, singulos autem coetus proprius presbyter cardinalis in ecclesia regeret, eiusque curam haberet, praesertim in confringendis panibus ad communionem necessariis et communione sub utraque specie tradenda; immo fortasse quemadmodum panem quem minister coram iis in patenis tenebant simul consecrabant, ita etiam singulos concelebrantes suum calicem consecravisse (141).

At hanc ultimam sententiae partem nullatenus probari posse putamus. Non credendum est praeter amplam patenam ingentem quoque calicem ante singulos presbyteros concelebrantes ab altero ministro fuisse tenendum; id certe nullibi factum fuisse narratur; in altari vero unum tantum pontificis calicem collocare fas erat. Praeterea qua ratione asseratur 25 scyphos fuisse ad singulas stationes afferendos non intellegimus. Num etiam 25 amae portandae erant, quas 6 500 fidelium oblationes implere non potuissent? (142) In

---

(140) Ibid , 143.

(141) *Liber Pontificalis*, I, 246-247.

(142) Amae argenteae in ecclesia Lateranensi adhibitae (*Liber Pontificalis*, edit. DUCHESNE, I, 173) pariter singulae decem libras pondo valebant; continebant autem singulae unum medimnum seu 52,50 litra. Itaque 25 amae continebant 1312,50 litra. Cum autem singuli fideles multo plus quam quintam litri partem offerre non potuerint, ad implendas 25 amas stationales saltem 6562

eo Ordinis romani I loco quo recensentur vasa sacra quae ad singulas missas stationales portanda erant, plures quidem scyphi praeter scyphum pontificis nominantur sed aliis eiusdem ordinis locis et in omnibus ordinibus romanis subsequentibus, ubi ipsi missae ritus describuntur, unius tantum scyphi praeter calicem pontificis mentio est, illius scilicet in quo vino non consecrato aliquantum vini consecrati e calice pontificis admiscebatur, ut istud mixtum fidelibus in communionem daretur.

Quare existimamus ex allata *Libri Pontifiealis* narratione nihil concludi posse de concelebratione sacramentali presbyterorum cardinalium cum pontifice romano.

De concelebratione in *Traditione Apostolica* HIPPOLYTI ROMANI descripta iam supra demonstravimus eam non sacramentalem fuisse vel certe nullo pacto demonstrari posse eam fuisse talem (143).

Praesertim contra diaconos ecclesiae Romanae latum esse canonem Nicaenum 18 non nulli historici existimaverunt adeoque illum peculiari modo huius ecclesiae usus respicere (144). Iam vero mentio in eo fieri videtur sacramentalis presbyterorum concelebrationis. Statuit enim:

> Pervenit ad sanctam synodum, quod in nonnullis locis et civitatibus diaconi dant presbyteris eucharistiam, quod nec canon neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent *(τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν)*, iis qui offerunt *(τοῖς προφέρουσι)*, dent corpus Christi. Iam vero illud etiam cognitum est, quod iam quidam ex diaconis etiam ante episcopos eucharistiam attingunt. Haec ergo omnia auferantur, diaconi intra suas mensuras *(τοῖς ἰδίοις μέτροις)* permaneant: scientes

---

fideles ad missam pontificis concurrere oportebat! Etiam ad frequentissimos stationum conventus sufficiebant igitur quinque vel sex amae argenteae.

(143) *Periodica*, t. XVI (1927), p. 191*-193*.

(144) HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, I, 613.

quod sunt quidem episcopi ministri *(ὑπηρέται)*, presbyteris vero minores. (145).

Manifestum quidem est abusum hoc canone condemnatum, vix fieri potuisse sine episcoporum, presbyterorum et diaconorum eucharistica concelebratione. At quaestio iterum est utrum necne ista eucharistica concelebratio sacramentalis fuerit. Certe eam sacramentalem fuisse e descripto abusu non necessario inferendum est; nam, etiam si presbyteri cum episcopo non consecrassent, praedictum abusum diaconi profecto committere potuissent. At nonne rem ipsa canonis verba innuunt, ubi videlicet diaconis potestatem offerendi non habentibus opponuntur sacerdotes, non solum ut sunt ista offerendi potestate praediti, sed tamquam illa potestate actu utentes, id est hic et nunc offerentes? Verbum autem *offerre* eo sensu quo etiam fideles offerre dici possint non esse intellegendum patet, sed hic idem significare videtur atque verbum *consecrare*.

Canonem ita intellegi posse, immo facillime ita explicari non negamus. Sed negamus eum ita explicari debere. Etenim 1⁰) verba *τοῖς προφέρουσι* non necessario interpretanda sunt de oblatione in ipsa concelebratione peracta sed de munere offerendi episcoporum et presbyterorum proprio aequo iure intellegi possunt (146). Ratio cur diaconi presbyteris communionem dare non decet ea est quod hi illis dignitate praecellunt: dignitas autem ista potius in ipso munere quam in eius functione sita est, ita ut etiamsi extra sacramentalem concelebrationem presbyter ad communionem accederet, diaconi non esset eam illi praebere. 2⁰) Nullo pacto constat patribus concilii omnino idem fuisse actum offerendi et actum pronuntiandi consecratoria

(145) MANSI, II, 675 (Interprete Genziano Herveto).

(146) Si actum et non solum munus significare voluissent Patres, tempore aoristo potius quam praesenti usi essent.

verba in panem et vinum, ut ex iis fieret corpus et sanguis Christi. Certe ille presbyter quoque offerre dici poterat, et quidem ratione et potestate sacerdotii propria, qui pontifici ad altare adstans, illi operanti et oranti manifestum et continuum assensum praebebat, maxime dum ab illo sollemnis recitabatur eucharistica oratio atque corpus et sanguis Christi conficiebatur. Nonne modo omnino peculiari consecrationis adeoque etiam oblationis a pontefice peractae socius atque particeps idem dicendus erat?

Concludendum igitur nobis est canonem Nicaenum 18, si solus sumitur, pro certo testimonio moris sacramentalis concelebrationis haberi non posse.

Quidam historici existimant usum concelebrationis sacramentalis deduci posse e celeberrimo illo loco epistulae INNOCENTII I ad Decentium Eugubinum episcopum, in quo de fermento sacro agitur quod a papa consecratum per acolythos ad singulos presbyteros cardinales die dominica in suis ecclesiis ministerio sacro retentos deferebatur:

> De fermento vero, quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiae nostrae intra civitatem sint constitutae. Quarum presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non iudicent separatos. Quod per paroecias fieri debere non puto; quia nec longe portanda sunt sacramenta (nec nos per coemeteria diversa constitutis presbyteris destinamus) et presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam (146 *bis*).

Quoniam disertis verbis ab Innocentio statuitur — ita argumentatur P. de Puniet — presbyteros in paroeciis, id est ruri, constitutos ius habuisse atque licentiam sacramenta conficiendi, implicite ab eo negatur presbyteros qui ecclesiis in Urbe sitis addicti erant

(146 *bis*) PL 20, 556 B - 557 A.

istud ius istamque licentiam habuisse. Unde sequitur harum ecclesiarum presbyteros seu presbyteros cardinales vel numquam, saltem in Urbe, eucharistiam celebrare potuisse vel cum episcopo romano concelebrare solitos fuisse. Iam vero primum admitti non potest. Restat ut alterum asseratur (147).

Haec argumentatio quamvis pressa et valida videatur, non paucis tamen dubiis et difficultatibus obnoxia est.

1) Ex argumentatione P. de Puniet sequeretur cum pontifice Romano plus centum presbyteros concelebrare solitos fuisse, quoniam singulis titulis plures sacerdotes addicti erant (148).

2) Non apparet qua de causa presbyteri in suis titulis die dominica detenti sint, nisi in iis eucharistiam celebrare habuerint.

3) Credi non potest fideles sane plurimos, qui missae pontifici interesse non poterant omni dominica eucharistia esse privatos. Quanta enim cura episcopo romano fuerit ut fideles sui singulis dominicis opportunitatem haberent « missam celebrandi » liquet, verbi causa, ex epistula Leonis Magni ad Dioscorum Alexandrinum qua eum exhortatur ut in Alexandrina basilica diebus sollemnioribus missa toties iteretur « quoties basilicam praesentia novae plebis impleverit » (148 *bis*). Eundem autem usum Romae observari innuit. Multo magis igitur credendum est illorum fidelium gratia qui propter ingentem locorum distantiam in ecclesiam ubi papa celebrabat mature adesse non poterant missa in singulis titulis celebraretur (149).

---

(147) *Concélébration liturgique*, DAL III, 2474. P. de Puniet existimat presbyteros cardinales *tantummodo* in hebdomada cum papa concelebrare consuevisse. Id tamen parum veri simile apparet. A concelebratione illi tantum presbyteri eximebantur qui ab ea ministerii sacri necessitatibus prohibebantur.

(148) I. P. Kirsch, *Die römischen Titelkirchen im Altertum* (Studien zur Geschichte und Kultur des Altertums IX, 1. 2), Paterborn, 1918, pp. 175-182.

(148 *bis*) *Epist.* IX, c. 2, PL 54, 626-627.

(149) Cfr Innocentii I *epistulam 2.am ad Victricium Rothomagensem*

4) Si interpretanda sunt verba Innocentii, ut vult P. de Puniet, quid est istud fermentum quod singulis dominicis ad presbyteros in suis titulis retentos deferebatur? Fermentum enim pani et vino in novo sacrificio consecratis adiungendum erat, immo in calicem immittendum erat; non seorsim sumebatur. Ita tamen a presbyteris cardinalibus sumendum fuisset, si hi die dominico a missa celebranda abstinere debuissent. Praeterea, si is fuisset fermenti usus, presbyteri igitur cardinales singulis dominicis sub una specie idque extra missarum sollemnitates, immo extra fidelium conventum seu privatim communionem accepissent!

5⁰) Quid dicendum est de plurimis istis presbyteris qui, etsi Romae degebant, titulis tamen addicti non erant? Num fortasse iis licebat quod cardinalibus vetitum erat? Num ii quoque cum pontifice sacramentaliter concelebrabant quotiescumque iis eucharistiam celebrare lubebat?

Itaque discrimen inter presbyteros ecclesiarum ruri constitutarum et presbyteros titulorum Urbis in epistula Innocentii commemorata non in hoc videtur fuisse, quod illis seorsim ab episcopo, his tantummodo cum papa eucharistiam conficere fas erat sed in hoc quod primi ipsius sui muneris vi et quasi suo iure,

---

episcopum, c. 9, PL 20, 475. 476. « Praeterea quod dignum et pudicum et honestum est, tenere Ecclesia omni modo debet, ut Sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coeant; quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur... Quanto magis (quam sacerdotes Antiquae Legis) hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debebunt, quibus vel Sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si Paulus ad Corinthios scribit dicens, Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, et hoc utique laicis praecipit; multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere ». Haec Innocentii verba quatenus ad ecclesiam Romanam pertinent interpretatur P. de Puniet de presbyteris cardinalibus cum papa in hebdomada sacramentaliter concelebrantibus. Sensus tamen eorum multo latius patet; intellegi enim possunt de omni concelebratione eucharistica etiam levitarum et praeterea de qualibet sacrificii eucharistica celebratione, etiam sine concelebrantibus peracta.

alteri pro episcopo Romano tantum adeoque quasi alieno iure eucharistiam conficiebant. Huius subiectionis manifestandae causa, non autem solummodo propter eorum consolationem, ad illos fermentum a pontifice consecratum mitti solebat.

Formulae canonis Romani quales iam saeculo VII^{0} recitabantur (150) certissimum sunt indicium sunt concelebrationis eucharisticae sed ex iis nullatenus efficitur istam concelebrationem fuisse sacramentalem. Sane in iis saepe inter se opponuntur celebrantes et fideles : v. g., *circumstancium...* pro quibus tibi *offerimus ;* Hanc ... oblationem *servitutis nostrae,* sed et *cunctae familiae* tuae ; *Nos servi* tui, sed et *plebs* tua sancta. Non enim dubium est quin verba *servitus nostra, servi tui* minus humilitatem precantium manifestet quam eorum munus seu sacrum ministerium. Liquet autem concelebrantes ita a fidelibus esse distinctos et cum celebrante coniunctos ut, etiam si principalis tantum celebrans canonem recitabat, is peculiari modo pro concelebrantibus ageret illosque et prima persona et seorsim a fidelibus nominare posset et deberet. Quare locutiones quas retulimus nihil habent quo demonstretur eas fuisse ab omnibus concelebrantibus recitandas. Praeterea diaconi ceterique ministri sacri sane in plebe non computabantur sed inter servos ; et iure merito. Etsi enim celebrantes seu offerentes non erant, erant certe celebrantium comministri, *συλλειτουργοί.* Canonem tamen profecto non recitabant, Si autem ministri, quamquam canonem non recitabant simul cum celebrante nominabantur, cur non poterant eodem modo nominari et presbyteri concelebrantes, etsi neque ipsi canonem dicebant ?

Notandum est denique etiam fideles adstantes sem-

---

(150) DAL, II, 1866-1868. Verba *pro quibus tibi offerimus vel,* s. VII multo recentiora sunt.

per prima persona plurali simul cum celebrante induci: Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et *plebs* tua sancta..... *offerimus* praeclarae maiestati tuae... Vel: *Nobis* quoque peccatoribus famulis tuis. Famuli enim qui hic nominantur non sunt tantum concelebrantes et eorum comministri sed cum iis omnes fideles adstantes, ut e toto orationis contextu liquet. Hi autem omnes opponuntur fidelibus, sive vivis sive defunctis, quorum in utroque *Memento* specialis memoria facta est.

Hic denique commemoranda est sacramentalis concelebratio presbyterorum cardinalium cum pontifice romano in benedicendo oleo infirmorum feria V in Cena Domini. Praescribit enim Sacramentarium Gregorianum:

> In ipsa die ita conficitur chrisma: In ultimo ad missam, antequam dicatur per quem haec omnia Domine semper bona creas, levantur de ampullis, quas offerunt populi et benedicit tam domnus papa quam omnes presbyteri. (151)

Namque, ut iam animadverterat Amalarius, ratio huius concelebrationis haec certe erat quod totus canon etiam presbyteris cardinalibus simul cum pontifice recitandus erat, formula autem olei infirmorum benedictionis canonis pars reputabatur. (152)

Praeterea sacramentalis concelebrationis in consecratione chrismatis, quae eodem die, statim post pontificis communionem, fiebat, nullum indicium est ante saeculum XII^{m} vel XIII^{m}. In benedictione autem olei catechumenorum quae consecrationem chrismatis subsequebatur numquam sacramentalis concelebratio cardinalium cum pontifice in usu fuisse videtur. (153)

De concelebratione rursus in benedicendo oleo

---

(151) Edit. H. LIETZMAN, *Das Sacramentarium Gregorianum nach dem Aachener Urexemplar*, 1921, p. 45.

(152) V. supra, p. 109*.

(153) DE PUNIET, *Concélébration liturgique*. Participation à la bénédiction des huiles, DAL, III, 2481-2482.

infirmorum, observandum est nullam eius mentionem fieri neque in Sacramentario Gelasiano neque in appendice Ordinis romani I, in qua ritus maioris hebdomadae describuntur. (154)

At dixerit quispiam: Esto. Nullum sit ante saeculum VIII[m] testimonium quo omnino certis disertisque verbis mos sacramentalis concelebrationis Romani pontificis cum suis presbyteris cardinalibus asseratur.

Ad probandum autem istum ritum in ecclesia romana iam antiquitus, immo ab ipsis eius initiis in usu fuisse, satis est ut constet eum fuisse aliquando in ea observatum. Talis est enim concelebrationis sacramentalis ritus ut, ubi primum florebat, ibi potestea facile obsolescere, ubi vero ignotus erat, illuc vix aut ne vix quidem induci potuerit. Seu, ut aliis verbis idem dicatur, e concelebratione sacramentali sensim sine sensu ad caerimonialem transitur, non autem a caerimoniali ad sacramentalem.

Sane non negabimus istud argumentum magnam vim habere posse, sed non putamus illud ad praesentem nostram questionem solvendam sufficere. Peculiaris enim erat condicio et ordo ecclesiae romanae. Dum in aliis maioribus imperii romani urbibus (Alexandriae, Antiochiae, etc) diu una tantum vel duae ecclesiae constitutae fuerunt, Romae mox, praeter duas basilicas pontificales, plures aliae ecclesiae conditae sunt intra Urbem, quarum sacerdotes licentiam habuerunt missam singulis dominicis et festis diebus celebrandi. Cum autem iisdem istis diebus plures eorum cum pontificem concelebrare cogerentur, facile intellegitur, eos id simul cum pontifice facere consuevisse, quod seorsim ab eo in suis titulis agebant, id est eucharistiam conficere. Hoc tamen non significat eos a principio intellexisse se ista agendi ratione ipsos

(154) PL 78, 962.

per se consecrare, vel id efficientius facere quam cum pontifici consecranti manifestum quidem sed tacitum assensum praebebant.

Ceteroquin in sollemni chrismatis consecratione re vera ecclesia romana morem concelebrationis sacramentalis paulatim admisit (155). Attamen multo difficilius explicatur haec admissio presbyterorum ad ritum consecrationis chrismatis, quae fuit semper privilegium episcopi, quam licentia cardinalibus concelebrantibus concessa id agendi quod etiam seorsim facere poterant et faciebant.

Altera quaestio de consuetudine sacramentalis concelebrationis presbyterorum cardinalium cum pontifice romano erat, quando ea obsolevisset.

De hac autem re habemus explicitum testimonium DURANDI A S. PORCIANO asserentis sua aetate concelebrationem istam iam penitus non fieri. Scribit enim:

> Quod autem dicitur de Innocentio qui videtur approbasse illam consuetudinem, potest dici quod approbat, ut doctor et non ut Papa, nec doctrina sua tenetur in omnibus, nec Ecclesia Romana tenet illud quod ipse dicit de presbyteris Cardinalibus concelebrantibus cum Papa, et si fiebat tempore suo, nunc tamen non fit, quia visum est periculum posse facile contingere in tali celebratione, imo vix fieret quin periculum contingeret, et ideo illa consuetudo abolita est, sicut nobis constat, qui in curia Romana longo tempore stetimus et adhuc ibidem sumus, et missis summorum Pontificum interfuimus in quibus illa consuetudo numquam fuit observata, et si observaretur non esset necessarium credere quod bene fieret, quia secundum Hieronymum non quod fit Romae, sed quod fieri debet attendendum est. (156)

Nec minus facilis est solutio tertiae quaestionis nostrae, quatenus in ea quaeritur utrum in ecclesia

(155) DE PUNIET, l. c. (v. n. 153).

(156) *In librum IV Sententiarum*, Distinct. XIII, qu. 3, n. 14, edit. Veneta 1571 fol. 326. r.

Romana praeter papam alii episcopi, puta episcopos suburbicarios seu cardinales, vel etiam presbyteri secum concelebrantes presbyteros habere potuerint. Nullum enim est testimonium ex iis quae retulimus, quin sacramentalem concelebrationem pro privilegio Romani pontificis exhibeat. Cum autem pro papa alius episcopus vel presbyter quidam e dignioribus missam celebrabat, is non nullos quidem ritus missae papalis proprios servabat, sed inter istos ritus numquam computatur ritus sacramentalis concelebrationis.

Non est autem de concelebratione intellegendum id quod in *Libro pontificali* de Stephano III (768-772) narratur :

> Hic statuit ut omni dominico die a septem episcopis ebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant, missarum solemnia super altare beati Petri celebraretur et *Gloria in excelsis Deo* ediceretur (157).

Ista enim verba significant tantummodo singulis dominicis unum ex septem episcopis cardinalibus munere missam in ecclesia Lateranensi celebrandi fungi solitum fuisse. Si enim singulis dominicis inter se concelebrassent, sane non fuissent hebdomadarii appellandi. Credendum est nihilominus cum istis episcopis presbyteros ecclesiae Lateranensi addictos concelebravisse, quamquam non sacramentaliter.

Ceterum ita interpretandam esse narrationem *Libri Pontificalis* demonstrant ea quae de eadem re referuntur a IOANNE DIACONO in *Libro de Ecclesia Lateranensi,* n. VIII, et iterum versus finem opusculi (158).

De diebus autem quibus fieri solebat concelebratio sacramentalis, difficilior est solutio, cum testimonia quae illuc spectant parum inter se consona appareant. Haec videntur statui posse.

---

(157) Edit. DUCHESNE, II, 478.
(158) PL 78, 1385; 1392 AB.

Certum est primis saeculis concelebrationem presbyterorum cardinalium peragendam fuisse quotiescumque papa missam sollemnem (non privatam) celebrabat. Sed, ut demonstrare conati sumus, non constat utrum statim ab initio an post plura tantum saecula ista concelebratio fuerit sacramentalis.

Rursus certum est a s. VIII^{0} presbyteris cardinalibus concelebrandum quidem fuisse cum papa in omni missa ab eo sollemniter celebrata, id est in omni missa stationali; concelebrationem autem istam quater tantum vel quinquies in anno sacramentalem fuisse.

Ad tertiam vero quaestionem longior est responsio. Quare satius nobis visum est illam ad aliud tempus differre.

I. M. Hanssens, S. I.

(Continuabitur)

Notanda quaedam de meliore ratione qua incumbendum sit in lucrandos Christo primores Indicorum.

Gravem profecto quaestionem aggredimur, nec cui adaequatam solutionem dare proponimus vel adeo dare posse speramus. Sed iam non inutile existimamus non nulla tradere quae ab erroribus praeservent et ostendant qua via incedendum sit ad uberiorem messem spiritualem parandam in immensa regione, quae circa ter centies milies milia incolarum continet. Praeterea, cum homines etiam genere maxime diversi omnes tamen unum genus humanum componant, argumento analogiae uti licet, ut quae de Indis demonstrantur ad alias gentes aliquo modo valeant et proin ad eas prudenter traduci queant.

De ordinibus inferioribus qui in Indiis despectui habentur nunc scribere non cogitamus. Ceterum de methodo adhibenda ad eos convertendos nulla exstat controversia. Ad fidem catholicam adducendi sunt per affectus et effectus quos vera caritas gignere consuevit; i. e. per caritatem quae, pauperes honorans, eos indicibili consolatione replet, per caritatem operosam quae novit eos ab oppressoribus protegere, de utilibus artibus erudire et sic ad vitam honestiorem evehere. De Christo et Ecclesia optime merentur missionarii qui nullam operam neglegunt ut humilium multitudo Christum cognoscere et amare discat. Nonne ipse Dominus hoc signum messianicum protulit: pauperes evangelizantur? Nonne Christus iussit ut apostoli nuntium pacis iis ferrent a quibus reciperentur? Nonne Apostoli Gentibus praedicarunt postquam a Iudaeis repulsi sunt?

Non ideo tamen fas est ut missionarii beneficio praedicationis suae proceres excludant, praesertim cum id perpetuo notetur, populum ad exemplum eorum qui gradu et dignitate praevalent se componere? Quid plura? Nobis normam agendi praestituit enc. litt. *Rerum Ecclesiae,* 28 feb. 1926, de sacris missionibus. « Hortamur, sic ipse Pontifex, ne optimates regionis eorumque subolem neglegatis. Esto quidem ab humilioribus e plebe verbum Dei eiusque praecones facilius admitti; esto, Iesum Christum de se testificatum esse: *Spiritus Domini... evangelizare pauperibus misit me* (1). Sed praeterquam quod debemus illud Pauli ante oculos habere propositum: *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (2), usu atque experientia praeterea docemur, primoribus civitatis ad Christi religionem semel traductis, tenuiores e populo eorum vestigiis facile ingredi » (3).

---

(1) Luc. 4, 18.
(2) Rom. 1, 14.
(3) *Per.* XV, 15.

Praestat iam sub oculis ponere *quae* conversioni procerum seu primatum *obstant.*

Praeter magnam profecto difficultatem quam pariunt consectaria familiaria et oeconomica converso Brachmano, qui extraneus factus suis, saepe bonis spoliatus, paene extorris patriae evadit:

Obstat ingenitum apud ipsos praeiudicium quod « relativismi » religiosi nomine designare licet. Deus, si quidem, ut ipsi sentiunt, benigna sua Providentia suam cuique genti religionem praestituit, in qua quis proficere quidem optime potest, sed in qua permanere debet. Quare si quid melius in aliena religione apprehenderint, id ipsis imitationem potius quam conversionem suadebit.

Relativismus iste gradu differt ab « indifferentismo ». Indifferens cuiuslibet religionis potius incuriosus est, cum omnes aequali aestimatione vel contemptu prosequatur, dum hic, omissa omni valoris absoluti ratione, relativa praestantia religionis patriae praedicatur.

Quis statim non videt quam arte iste relativismus cohaereat nationalismo, seu superbiae isti quae patria instituta, non ut meliora sed ut patria amat, admiratur, caeco affectu complectitur qui alienarum gentium instituta considerare seu aestimare dedignatur.

Obstat praeterea ingrata sane et semper praesens conscientia dominationis europaeae, quae animum aliquo modo avertit a religione quae non tam catholica quam europaea esse perhibetur.

Impedimenta ista nullam sane causam seu excusationem missionariis dant vel desperandi de evangelica magis excultorum Indorum conversione, vel cessandi a labore. In quam conclusionem negativam omnes, saltem « speculative » conveniunt. Semper inconcussum manet istud « maior est qui in vobis est quam qui in mun-

do » (1). Nulla gens est quae inhabilis sit ad recipiendam divinam veritatem, nulla anima est quin sit naturaliter christiana, nulla pars mundi quo regnum Christi non pertineat. Quomodo Christo inexsuperabilia esse possent adiuncta quae Ipse disposuit seu permisit? Ceterum exstant conversi Brachmani: sunt centeni; ergo et plura milia esse possunt.

Quaestio igitur ponitur opportuna et urgentissima de meliore ratione praeparandi conversionem procerum, et per proceres, populi numerosissimi et tam apti ad capiendam vim et valorem abnegationis et oblivionis sui, quae fundant spiritualem catholicismi doctrinam. Urgentissimam vocamus quaestionem, tum quia propagatores adulterati christianismi haereticarum sectarum maximos conatus adhibent ut Indos ad se trahant, tum quia Islamitae non exiguam iam istius gentis partem fanatismo musulmano infecerunt.

Quaestionem tamen istam plene versare nec cogitamus nec in praesenti prudenter auderemus.

Nonne enim inter eos qui in ipsa regione indefessam operam navant de meliore methodo amice contenditur?

Ita recens R. P. HERAS, S. I., professor historiae indicae in Collegio S. Francisci Xaverii, Universitatis Bombayensis, existimavit etiam hodie a missionariis vestigia premenda esse celebris Patris DE NOBILI, ac proin non solum (quod nemo negabit) sibi penitiorem cognitionem comparari debere rerum Indicarum: linguae, litterarum, historiae, sed in stylo aedificiorum sacrorum, in genere musices, immo in personali vivendi ratione, (v. g. abstinentiis) se conformare cum Indianorum moribus (2).

Quam generoso animo ac proin quam meritorie

---

(1) 1 Io. 4, 4.

(2) Cfr *The Examiner*, 1927, 24 sept., 1 et 8 oct.

P. Robertus de Nobili (1577-1656) per plures annos, labores, privationes, separationem a fratribus suis assumpserit ut Indicos Christo lucrifaceret nemo ignorat. Neque etiam est qui improbare vel minoris facere possit studia servandi in moribus Indianis quae secundum rationem servari possunt, et summopere vitandi ne fides nostra minus catholica quam europaea seu Occidentalis esse videatur. Sed estne in ista laudabili cautione magna spes conversionis gentis reponenda? Atque estne hodie etiam commendandum ut missionarii Occidentales usurpent rationem vivendi Indicorum? Id plures infitias eunt, v. g. R. D. Gonsalves (1).

Etenim, ex quo P. de Nobili e vivis excessit, adiuncta exteriora non parum mutata sunt. Commercia inter populos adeo assidua facta sunt ut non pauci inter excultos Indicos exteriorem consuetudinem vivendi et vestiendi Occidentalium adoptarint. Quid igitur causam conversionum iuvabit servilis imitatio morum qui in ipso Indiarum imperio coeperunt quidpiam obsoletum apparere? Audiantur haec Brachmani neoconversi: « In India res hodie ita se habent, ut quivis Brachmanus vestes occidentales induere, mores sequi, carnes comedere, fumum tabaci haurire, etc. possit, nec ideo tamen genere Brachmanorum excidere, dummodo Baptismum recuset, et, ad placandas anxietates seniorum, paucos ritus religiosos peragere pergat ». (*The Examiner,* 1927, 17 dec.)

Immo nimia ista Indicorum imitatio causae Christi nocumenta afferre posset, ex vanitate nationali quae exinde foveretur, et in haec vel similia facile erumperet: « videte, etiam catholici ad nos imitatione accedere incipiunt ». Quid, quod hodie studium apud

(1) Cfr *The Examiner*, 1927, 15 oct.

ipsos Indicos nascitur suos conceptus inter Christianos seminandi!

Quod plus est: generaliore ratione, in huiusmodi morum exteriorum mutatione, dici potest haberi aliquid innaturale, affectatum, fictum, quod in aetate minus ad actionum analysim et crisim propensa, allicere animos potuit, hodie vero facile adulationis vel hypocrisis nota inureretur. Psychologia autem nostra humana istud habet, ut nolimus vinci ab adulatoribus. Praeterea, ista artificialis compositio quasi necessario deprehenderetur manca et inelegans, ac proin deridiculo haberetur.

Quocirca, etiam in conversione schismaticorum Europae, ne nimis fidatur adoptione rituum Orientalium. Ubi speciales desint circumstantiae quae manifesto aliam ac studium placendi causam huiusmodi mutationis suppeditent, ut si quis tamquam Vicarius Apostolicus ecclesiae diversi ritus praeficiatur, ne transeamus ad ritum nobis extraneum, sed potius alia - quae non deficiunt - signa sincerae existimationis et affectus demus. Nonne huc aliquo modo appellare possimus verba S. Pauli: « Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat » (1 Cor. 7, 10)?

Verum, ut iam supra monebamus, haec duo simul attendenda sunt: ne exteriorem consuetudinem nostram alienigenis quasi obtrudamus et ut magis perfectam celebremus, neve nimis studio servandi consueta laboremus, ita ut magis Hinduistae quam ipsi Indici artificiose esse velimus. In qua re igitur diversitas regionum Indiarum neglegi non potest, cum mores occidentales varias partes tam extensi imperii inaequaliter permearint.

Ita in archidioecesi Bombeyensi magna populi pars lingua, vestitu et moribus europaeis utitur; dum meridionalis regio magis suis moribus vivere pergit.

Hic ergo missionarius musicam orientalem promovebit, nec nomina neoconversorum mutabit, nec consuetudines irreprehensibiles mutabit, sedulo cavens ne cuiuspiam inutilis offensionis praebeat occasionem.

Sed etiam si accommodatio nostra ad Indicas regiones inter iustos limites contineatur, quid magnum ex exteriore concordia exspectari potest, ubi non externa species sed anima mutanda est; ubi studium obiectivae seu absolutae veritatis substituendum est relativismo; ubi pro nationalismo succedere debet temperatus ille amor patriae qui cum humilitate christiana componitur; ubi mens catholica infundenda est?

Quaenam tentanda videntur ut horam tam optabilem maturemus qua salutiferum crucis vexillum vere ut dominans in imperio Indiarum conspiciendum erit; atque interea, non soli inferiores gentis ordines sed etiam proceres multi ad fidem veram disponantur et convertantur?

Sicut ab initio monuimus, non nulla tantum indicare proponimus quae, ni fallimur, omnes qui sine praeoccupata mente res considerent, sine negotio consentientes habebunt. Quare etiam quibusdam punctis controversis disputandis abstinebimus: v. g. praestatne infidelibus solam theologiam naturalem immediate tradere, an statim in scholis supernaturaliter revelata docere; quanam proportione exstent oportet scholae elementares et collegia dicta « universitaria »?

Itaque, his omissis, haec incunctanter suadenda videntur.

1. Oportet ut scholae adsint superioris gradus, ad easque etiam paganis accessus paretur. Hi, si scholis nostris excluderentur, adirent instituta sectarum haereticarum vel etiam, quod peius foret, instituta publica vel neutralia, vel propria Indicorum, in quibus igitur ratione humanis mediis irreparabili in suis erroribus confirmarentur. Conversiones, esto, non sint

multae, sed ex fama scientiae quae inde ecclesiae catholicae accrescit, ex benevola gratitudine qua magistros catholicos prosequuntur, ex ipso contactu cum adolescentibus et sacerdotibus qui virtutes christianas colunt, animi semina christiana recipiunt quae quondam in laetam segetem accrescent. Itaque caveamus ne falsa imagine successus magis instantis decipiamur, sed discamus ulteriora etiam considerare, memores ipsius dicti a Domino (Io. 4, 37): « alius est qui seminat, alius est qui metit ».

In ipsis conventibus missionum protestantium, magni fit remota ista animorum praeparatio ad religionem christianam, et conversi ex ordine superiore, quamvis sint rariores, celebrantur ut decus Ecclesiae Indiarum et antesignani multitudinis.

2. In hoc maxime insistendum est, ut missionarii catholici probitate, zelo et etiam exteriore vitae austeritate sint distincti. Nonne hoc est ingenitum genti Indianae ut honore et fiducia sua prosequatur eos qui ipso vitae genere se his rebus terrenis superiores exhibeant? Praesens etiam experientia demonstrat speciali auctoritate eos frui qui sanctioris vitae esse comprobentur. Hanc rationem praedicandi Christum crucifixum populus Indiarum amat et sibi postulat. Qui Christo, non sibi vivit, Christo animas lucratur.

3. Solida institutio ipsorum Indorum qui conversi sunt: ut exemplo sint vitae, et doctrina etiam aliquo modo praestantes. Ubique cernimus vim particularem quae inest in membris familiae ad persuadendum propinquis; in operariis ad convertendos operarios. In Indiis praeterea pluries evenit ut pagani difficultates suas religiosas laicis potius quam sacerdotibus proponant. Si tunc ipsi, — ut interdum accidit, — aptum responsum dare nequeant, saepe magni boni occasio transivit. Atque historia ostendit re vera plures ad regionem catholicam opera laicorum accessisse.

Qua porro aptiore via et ratione haec penitior eruditio religiosa laicis catholicis dari poterit?

Si sibi permittantur, non magis in Indiis quam in aliis regionibus, hanc sollicitudinem perficiendi elementares notiones in scholis perceptas laici habebunt. Die quidem dominica contionibus in ecclesia habitis intersunt; sed directae ad confusam multitudinem, contiones istae proprie theologicae esse nequeunt. Catecheticas instructiones audire nolunt, quasi factas pro rudi vulgo ad quem ipsi pertinere non putant. Hinc fit ut sensim sine sensu modica instructio religiosa per octo annos in scholis acquisita, solummodo incerta vestigia in intellectu reliquerit.

Supersunt tunc, ut media eruditionis, conferentiae publicae, cursus apologetici. His tamen praestare arbitramur ii qui vocantur circuli studiorum, in quibus, duce perito quodam sacerdote, selecti iuvenes partes discentium et docentium agere consueverunt.

Dum tanti facimus actionem laicorum Indorum, implicite utilitatem cleri indigenae satis praedicasse videmur.

4. Verum in primis memoremus efficaciam assiduae orationis, quae gratias appellat sine quibus nec ad Deum convertuntur infideles, nec fideles diu perseverant vel perfectionem assequuntur. Atque in ipso s. missionum argumento mirabile nobis documentum dedit S. Pontifex, cum recentissimo decreto, *S. Teresiam* a Iesu Infante, pari iure cum *S. Francisco Xaverio,* principalem patronum sacrarum expeditionum pronuntiavit, sic sollemniter protestans humilem monialem, stricta clausura conclusam, tantum precibus et immolatione sui fecisse et posse pro missionibus quantum peregrinationibus et laboribus suis thaumaturgus apostolus Indiarum.

Officialis simul gravis et perspicax, Sir *Charles Trevelyan,* hanc sententiam protulit: « Multi de modo

quo Indiae convertentur errant. Existimo conversionem istam fore collectivam sicut maiores nostri collective conversi sunt. Directa missionariorum opera educativa, indirecte libris omnis generis, ephemeridibus, relationibus cum Europaeis et omnibus mediis quibus concipere possumus communicationem scientiae, regio omnibus modis eruditione christiana penetrabitur. Quando autem societas penitus repleta erit scientia christiana et publica opinio ad has partes firmiter inclinaverit, tandem aliquando milia et milia convertentur ». (In vita DUFF scripta a SMITH).

In sic prolatam sententiam hoc animadvertendum est, neque omnibus libris et scriptis Europaeis, neque omni conversatione cum Europaeis, neque omni humana scientia genuinum christianismum exhiberi vel amplectendum proponi. Verum alia mere ab antiquis erroribus avertere possunt, alia vero mentem vere christianam positiva ratione effingunt. Promiscua tantae diversitatis elementa possint etiam, ut alibi accidit, mentes scepticas vel areligiosas parare. Quod periculum tamen minus esse videtur in Indiis, propter religiosam et mysticam populi indolem. Huiusmodi tamen est ut orando et operando certam et proximiorem faciamus vocationem Indiarum ad veram Christi religionem.

D.r GRACIAS, *Bombayensis*.

De canone 466 et de recta applicatione can. 6, 2°.

Species facti. In paroecia N. evenit ut in ipso die festo quo missa pro populo applicanda est, celebrandae sint sollemnes exsequiae. Estne ideo fas parocho ut tunc non per se Missam pro populo applicet, sed alium sibi substituat, soluto congruente stipendio ?

Nullum dubium est quin parochus obligatione tum *personali* tum *reali* teneatur celebrandi pro grege

suo. Id est, debet quidem per se Missam pro populo applicare ; canon tamen praevidet eum impediri posse. Ipso enim can. 466 § 1 tenetur ad normam can. 339, ubi, de Episcopo § 4 hoc legitur : « si ab eius celebratione legitime impediatur, statis diebus applicet per alium ».

Quaestio igitur huc redit, utrum necne exsequiae tamquam legitimum impedimentum haberi possint. Esse posse legitimum impedimentum affirmavimus *Epitome*, I, n. 508, 2⁰ (ed. 3). Id negat autem R. D. De Meester, in optimo opere *Iuris canonici et iuris canonico-civilis Compendium*, I, n. 846. Et videtur quidem firmis argumentis inniti. Etenim, attento can. 6, 2⁰ : « Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi ». Iam vero, *S. C. Concilii*, in Fesulana, ad haec dubia : « I. An parochi dominicis aliisque festis diebus, praesente cadavere, possint celebrare missam pro defuncto et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam in casu ? Et quatenus negative, II. An saltem applicationi Missae pro populo supplere possint per alium sacerdotem in casu ? Respondit ad I. et ad II Negative. (1).

Nihilo minus, si propriam vim responsi *S. C. Concilii* perpenderimus, reperiemus argumentum istud esse in casu parum efficax. Quid enim iudicavit S. C. Concilii ? Aestimavit necessitatem exsequiarum celebrandarum non sufficere tanquam causam impedientem. Nonne iudicium istud pendet ex ipsis adiunctis quae variare possunt, et postulare ut hodie causa exsequiarum multo gravior aestimetur quam olim ? Iam vero responsum in Fesulana datum est 18 iun. 1770 et 26 ian. 1771.

(1) Cfr *Nouv. Rev. Theol.*, t. 24 (1892), p. 248.

Ab eo tempore non parum mutata sunt adiuncta, et facile fieri potest ut, in tali loco, vel pro talibus exsequiis celebratio personalis magis pro funere quam pro missa conventuali urgenda sit. Ipso autem canone 419 § 2: « Si quis eodem die urgeatur onere utriusque Missae et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium, vel per se die sequenti ».

Nonne, v. g. fieri potest ut substitutio alius sacerdotis in locum parochi praesentis, pro exsequiis in tali loco vel tali aetate, aequo animo a paroecianis feratur, dum alia aetate vel alio loco paroecianos serio offenderet? Quid si, ut hodie evenit, sollemnitate exsequiarum impedienda sunt funera mere civilia, ut dicitur?

Quocirca, quando quartum Concilium provinciale Mechliniense (1920) recognitum est in S. Congregatione Concilii, art. 150, qui ut legitimam causam impedimenti a personali celebratione missae pro populo, indicavit « exsequias aut aliud sollemne officium quod differri non possit », dispositio ista in nullam incurrit reprehensionem.

Itaque manet quidem canoni 6 sua vis; manet responsis *S. C. Concilii* sua auctoritas; sed probe distinguenda sunt responsa quae ius qua tale interpretantur, et responsa quae applicationem iuris ad mutabile factum continent.

A. VERMEERSCH, S. I.

De Metu qui, saltem ex lege positiva, excusat ab obligationibus vitiato consensu susceptis, praecipue de metu ab intrinseco vel extrinseco.

I. **Species facti.** 1. Cornelius adulescens, a Superioribus Instituti religiosi adoptatus est ut, post per-

acta in convictu, seu minore, ut dicitur, noviciatu, studia humaniora, religionem ingrederetur et Sacerdos apostolicus fieret. Sensim tamen sine sensu, amisso candore et fervore, Cornelius a statu religioso et sacerdotali se animo aversum sentit. Verum, facultatibus oeconomicis destitutus, nullam aliam optionem sibi esse animadvertit nisi vel sacerdotii vel artis manualis. Quare studia facere perrexit, in quorum fine animo resignato etsi invitus religioni nomen dedit et sacros ordines suscepit. Brevi autem postea, assumpti status pertaesus, in modum exuendi importabile onus inquirere coepit, et spes aliqua dispensationis sibi affulgere putavit ex can. 214, qui immunem ab annexis oneribus efficit clericum qui metu gravi coactus ordinem sacrum suscepit: se enim gravi metu condicionis nimis vilis coactum esse ut ad sacros ordines ascenderet.

2. Thaddaeus noverat a matre sua summopere optari ut in ordine sacerdotali Deo inserviret. Parum tamen se ad statum sacerdotalem propensum expertus est dum, simul cum annis, crescebat in eo desiderium nuptiarum. Cum autem consilium capessendi statum laicalem matri aperuisset, haec adeo perturbata et commota est ut in morbum incideret. Medici autem Thaddeo declararunt huiusmodi commotiones matri evadere posse letales, propter cordis debilitatem. Thaddaeus, bonus filius, matri promisit se seminarium maius ingressurum esse ut sacros ordines susciperet, et a matre nimiam tristitiam declinaret. Ipse tamen animo alienus manebat a vita sacerdotali. Quare, mortua matre, postulavit ut ad statum laicalem sine ullo onere redigeretur, cum ex gravi profecto timore occidendi matrem ordinationem acceptasset.

Propter huiusmodi casus et frustraneas spes exemptionis ab oneribus cum sacra ordinatione coniunctis, alacritas, zelus, immo virtus sacerdotalis non leve de-

trimentum accipiunt. Ideo visum est de metu quo usus can. 214 permittitur distincte dicere ut huiusmodi errores praevertantur.

II. **Variae notiones liminares.** Ut observat BALLERINI, *Opus Theolog. morale,* tract. *De actibus humanis*, c. VI, n. XL, scholae admiserunt definitionem iurisperitorum qua, L. 1 D. *Quod metus causa gestum est* (IV, 2) metus definitur: « instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio ».

Consentiunt etiam mentis trepidationem tantam esse posse ut, ratione penitus perturbata, actus humanus pereat, nec quae ex tali metu profluunt imputari vel aliquid iuridice efficere queant. Metus sic perturbans nullum locum habet in theologia morali: de eo agendum nobis non est.

Cum non agitur de praeceptis negativis iuris naturalis, a quibus servandis nullum incommodum, nulla mali praevisio excusare possunt, e metu nasci potest incommodum istud nimium quocum aliae leges iam non obligare dicuntur (1). Atque etiam quando praeceptum vim suam servabat, imputatio delicti in foro externo, propter metum minuitur, ita ut non raro metus a contrahenda censura praeservet. Sed neque de isto metu sermonem in praesenti miscemus.

Plures autem sunt actus iuridici qui propter metum fiunt infirmi: puta vota facta ex metu, promissiones contractuum, matrimonium et professionem religiosam, cooptationem in novicios; atque pari modo, obligationes ordinis sacri non tenent eum qui ordinem sacrum ex gravi metu susceperit.

Verum hic, non sola mentis trepidatio sed etiam eius causa attendenda est. Ac trita nobis examinanda offertur distinctio, qua metus *ab intrinseco* a metu *ab extrinseco* distinguitur. In qua re, ut probe monet

(1) Cfr. SUAREZ, *Act. hum.* disp. 3, sect. 1, n. VII de metu excusante a legis obligatione.

R. P. PRUEMMER, O. P., *Manuale theol. mor.*, II, 68, nota 2, sedulo vitandae sunt confusiones quae, ubi agatur de matrimonio, de professione religiosa vel de oneribus ordinis sacri valde damnosae saepe evadunt propter errores, falsas exspectationes quae deceptos interdum ad extremam perniciem adducunt.

Videamus igitur quaenam sit genuina significatio ipsius divisionis, et quaenam sit eius vis in actus iuridicos.

III. **Quid est metus ab intrinseco et metus ab extrinseco?** In primis observes divisionem istam non ab omnibus referri. Eam frustra quaesivimus apud SUAREZ, *De act. human.* d. 3, s. 1, n. 7; apud LESSIUM, *De iust.* L. 2, c. 17, n. 35-49; apud MOLINA, Tr. II, d. 267, n. 1-4; apud S. ALPHONSUM, *Theol. mor.* in variis locis, nisi L. III, n. 197, de voto, ubi intra parentheses, haec dicit: « Sicut etiam valida sunt vota facta ex metu intrinseco aut iuste incusso »; et L. VI, n. 1049 de matrimonio, ubi distinctionem utriusque metus ponit.

Age porro, SCHMALZGRUEBER (1663-1739), *Ius eccles.*, L. II. tit. 40, distinctionem his verbis reddit, quae nullam ansam errandi praebent. Metus dividitur « ratione causae, in eum qui *infertur a causa necessaria,* sive extrinseca sive intrinseca, ut si a morbo, periculo naufragii, vel alia causa naturali oritur, et in eum qui infertur *a causa libera creata* si, v. g., incutitur ab homine ».

Multo ante tamen LAYMANN (1574-1635) *Theol. mor.* L. 1, Tr. 2, c. 6, n. 4, verba *metus ab extrinseco incussi* adhibuit, sed n. 3 clare indicaverat quid intellegeret: « Metus alius est qui ab intrinseco proficisci dicitur, cum ad avertendum malum, seu ex causis naturalibus, seu ex quocumque alio infortunio exortum, *ultro* aliquis medium eligit, quod alioquin nollet: ut si metu naufragii pecunias abicias, castitatis votum

edas. Item si quis, supplicio afficiendus, matrimonium puellae spondeat, ut mortem evadat, vel pecuniam offerat ut iudicem sibi conciliet. Alius vero metus est qui ab extrinseca persona directe incutitur ad extorquendum alicuius rei consensum... vel iuste... vel iniuste ».

Non aliter Card. DE LUGO, *Iust.* d. 22, n. 112: « Supponendum tertio, metum alium incuti ab intrinseco, hoc est a causis naturalibus, ut a morbo, tempestate, feris et similibus; alium incuti ab extrinseco, i. e. a causa libera ».

Quam significationem communem dicere possumus. Cfr v. g. PRUEMMER, I, 68. BALLERINI tamen, *De act. hum.* n. XLII, quem imitatur NOLDIN-SCHMITZ, I, 55, nimis adhaerens physicae rationi, metum ex causa sua infeliciter dividit in metum intrinsecum (1), qui a cuiusque propria corporis aut animi infirmitate proficiscitur, et extrinsecum qui ab exteriore causa excitatur. Hunc dein subdistinguit in metum ex causa naturali et metum ex causa libera.

Infelicem vocamus istam divisionem, quia, ut fatetur ipse BALLERINI, n. 76, in sua explicatione, « nihil interest num a corporis aut anini imbecillitate an a causa necessaria profluat ». Est proin inutilis et impertinens ratio dividendi.

Card. D'ANNIBALE, *Summula*, I, 138, simul divisionem refert et explicare conatur dicendo: « Metus dicitur *ab intrinseco,* cum res ipsa metum facit; *ab extrinseco*, cum alius infert metum (male hoc subiungit, quod non est necessarium: « ad consensum extorquendum »).

Per se melius fuisset si scriptores usi essent formula SCHMALZGRUEBER, quae nulli aequivocationi exponitur; praevaluit tamen ista distinctio metus ab intrinseco et metus ab extrinseco. Animadvertendum igitur

(1) Cum ipse metus non possit esse nisi intrinsecus, supponimus metum intrinsecum vel extrinsecum poni pro metu ab intrinseco vel ab extrinseco.

est voces istas non referri ad metus *occasionem*, quae in nobis vel extra nos adesse possit, sed ad ipsam passionem metus, quae, *in illa occasione,* vel *ultro* exorta sit, vel quam, ex occasione, *causa creata libera* excitarit vel auxerit. *Ultroneus* metus esse dicitur ab intrinseco, etiam si occasio externa fuerit; metus causa libera creata excitatus dicitur ab extrinseco, etiamsi occasio interna fuerit, ut si quis usus fuerit aliena infirmitate ad ei terrorem iniciendum. Istius distinctionis hanc rationem dedimus (*Theol. mor.* I, n. **79**) « *Formale* discrimen in metu tunc solummodo habetur quando causa libera humana intervenit: tunc agens ex metu sub dependentia ponitur innaturali et saepe illegitima alterius personae. Haec dependentia seu subordinatio ratio est cur lex divina vel humana actus quosdam ex metu factos ratos habere nolit. »

II. **Quisnam metus iuridicos actus infirmat.**

Resp. ut, adducta ratione, mox scribebamus, nullus metus ab intrinseco, sed metus ab extrinseco, si ceterae praeterea condiciones impleantur. Audiatur SCHMALZGRUEBER, in L. 1, t. XL, n. 8: « *Certum est* 1. esse validos, nec rescissione obnoxios actus qui metu etiam gravi gesti sunt, si iste proveniat a principio intrinseco, vel extrinseco naturali non libero ».

Ratio enim irritationis seu rescissionis, ut ait MOLINA (tr. II, d. 267 n. 1) habetur haec, quia « necesse est ut (promissio) neque per metum neque per vim aut dolum sit extorta: Ratio est (sic pergit n. 2) quia aequitas non patitur ut ex iniquitate quis commodum reportet vel sibi vel alii; et « quoniam id involuntarii mixti quod in ea promissione invenitur per iniustitiam est causatum ».

Corollaria. 1. Neque Cornelius neque Thaddaeus ullum argumentum ex suo meto sumere possunt. Ambo enim mere adiunctis permoti sunt ut statum sacerdotalem eligerent. Nullae minae, nullae preces importunae

adhibitae sunt: ut aliquid ipsis prodesset, opus fuisset aliquo abusu vel usu, qui nullus fuit.

2. Ipse metus qui reverentialis dicitur non oritur ex sola reverentia qua quis parentes vel Superiores colit, sed tunc demum nascitur cum, propter parentum vel Superiorum dissensum seu indignationem, reverentia ut obstaculum voluntati subditi interponitur.

A. VERMEERSCH, S. I.

De renuntiatione noviciorum, et can. 568.

Can. 568 statuit: « In noviciatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novicius renuntiaverit, eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita sed ipso iure irrita est ».

Absoluta istius canonis sanctio ansam dedit dubitandi, in sequenti specie facti.

Parochus quidam, quem Anastasium vocare possumus, Ordinem religiosum ingressus est. Mox autem parochiani, modum quo ab ipsis discesserat indignati, apud Episcopum protestati sunt se numquam iam Anastasium, si fortasse e noviciatu egrediatur, ut parochum habere velle. Tanti fuere clamores, ut Episcopus, discussa causa, ad tramites can. 2148, cum duobus examinatoribus, novicium ad paroeciae renuntiationem faciendam invitaverit. Anastasius libenter annuit, et Episcopus, can. 2150 secutus, paroeciam ex renuntiatione vacantem declaravit, aliumque parochum nominavit.

Sed, propter c. 568, de validitate istius nominationis dubitari coeptum est.

Ac sane, nostra sententia, satius fuisset et iuri magis consentaneum, ut, per noviciatum, Episcopus omni decreto circa istam paroeciam abstinuisset, et mere vicarium substitutum constituisset.

Si nimis urgebat causa, saltem debuisset novicio

prospicere ita ut, si inconstans foret, congruis alimentis non careret.

Cum tamen, secundum can. 2149 § 1, novicius, nisi renuntiasset, fuisset amovendus, coacta ista renuntiatio excipienda videtur a can. 568, qui voluntariam abdicationem seu renuntiationem supponit.

Quinam sunt pueri de quibus in can. 1373 § 1, et 1374?

I. *Ratio istius quaestionis* desumitur ex mira sententia quorundam doctorum qui, can. 88 § 3 appellantes, *puerum* in Codice iuris canonici eum intellegendum esse contendunt qui nondum septem annos completos natus sit. Sic enim sonat c. 88 § 3: « Impubes, ante plenum septennium dicitur infans, seu puer vel parvulus, et censetur non sui compos ».

Inde haec consectaria colligunt:

a) Positivum praeceptum c. 1373 § 1, vi cuius « in qualibet elementaria schola pueris, pro eorum aetate, tradenda est institutio religiosa », de iis solis fertur qui septem annos nondum compleverunt.

b) Prohibitio positiva: « Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent », scholis talibus iam non arcet filios catholicos qui septennium excesserunt.

Mira profecta sententia, secundum quam iis tantum qui nondum sui compotes sunt institutio religiosa in scholis elementariis tradenda foret; et iis tantum qui, incapaces peccati, formale perversionis periculum incurrere non possunt, ab isto periculo caveretur!

Huiusmodi lex non nihil sensum communem offendere videretur; et quia suspicio contrarietatis cum sensu communi in sapientem legislatorem profecto

cadere nequit, necesse est ut crimen huiusmodi transferamus ad interpretationem « doctorum », qui, cum homines sint, « in suius cogitationibus evanescere possunt ».

II. Iam ostendamus interpretationem quae, tamquam sensui communi adversa certo respuenda est, minime etiam cum solitis interpretationis normis componi posse.

1. Quid « doctos » iuvat can. 88 § 3? Affirmat, quod verissimum et notissimum est, pueros vocari impuberes ante plenum septennium. Dum hoc affirmat, num negat idem nomen in impuberes post septennium convenire posse? Immo, dum nomen *puer* ad voces infantis et parvuli apponit, nonne iam insinuat, nomen infantis seu parvuli esse magis proprium, dum nomen pueri est magis generale et indefinitum?

Praeterea, quis ignorat, usu latino Romano, verba de aetate variare. Etsi adolescentia per se dicat aetatem nondum plenae maturitatis, et prima adolescentia a septennio incipiat, nihilo minus classici auctores nomine adolescentum etiam homines triginta, quadraginta annorum compellunt?. Atque pariter, dum VARRO nobis dicit puerum esse qui nondum quindecim annos attigerit, ita ut idem sit qui impubes, ipse CICERO puerum vocat adolescentem, seu potius iuvenem qui 18 vel 19 annos erat natus. (Cfr exempla apud *Forcellini* voce, *Puer*).

Exiguum igitur seu potius nullum subsidium « doctis » affert can. 88 § 3.

2. Si autem can. 1373 § 1 et 1374 directe consideremus:

a) Can. 1373, cum in § 2 pleniorem religiosam doctrinam tradi iubeat iuventuti quae medias vel superiores scholas celebrat, vocabulis, *pueri* et *iuventus* omnes profecto complectitur qui nondum studia sua compleverint, omnesque vult in religione erudiri. Pueri igitur ibi sunt quotquot nondum iuvenes vocari pos-

sunt. An dixeris, attenta positiva lege, institutione religiosa carere eos solos posse qui, septennio quidem sunt maiores, nondum tamen sunt iuvenes?

Immo, nonne ipsa verba can. 1373 § 1 « pro eorum aetate » designant institutionem quae ad variam aetatem aptetur? Varietas autem huiusmodi non iam post septem annos haberi desinit; immo post septem anuos maior esse deprehenditur.

b) Observandus occurrit can. 6, qui vult ut canones qui cum veteri iure congruunt, secundum veteris iuris interpretationem intellegantur. Iam vero, non semel sed pluribus decretis Ecclesia institutionem religiosam in scholis habendam praecipit, vel educandos catholicos a scholis acatholicis neutris ant mixtis prohibuit.

Decreta ista pleraque in subiecta nota 2 et 3 Codicis allegantur.

Nota 2 se refert ad c. 1373. Et fons praecipuus indicatur Enc. *Constanti,* 2 sept. 1893, in qua, — non longe ante finem, — *pueri* dicuntur qui scholas elementarias, *adolescentes* vero qui medias et superiores scholas frequentant (*Acta* Leonis XIII, III, p. 236), — Citantur enc. *Acerbo nimis,* 15 april. 1905, quibus Pius X, n. V, vult ut scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque institutis *iuventam* quae publicas scholas celebrat « *ubi religiosae rei mentio nulla inicitur* ». (Acta Pii X, II, p. 81). Remittimur tandem ad Instr. *S. C. Episcoporum et Regularium,* 28 maii 1896, quae commendat ut conspicui sacerdotes nominentur praeceptores doctrinae christianae in gymnasiis (*Fontes,* IV, 2030).

Inde manifestum est, can. 1373 de scholis omnis gradus valere, pueros autem per se intellegi quotquot in scholis elementariis versantur.

Nota dein 3 canoni 1374 subicitur. Iam vero, vetitum generale cum temperamento interventus Ordinarii, seu praeceptum can. 1374 in ibi citatis decretis tradi-

tur non solum pro scholis elementariis, sed: contra scholas mixtas Helvetiae (*S. Off.,* 21 mart. 1866. *Fontes,* IV, n. 992); contra scholas publicas neutrales (*S. Off.,* 24 nov. 1875. *Fontes,* IV, n. 1046); de scholis quae praeparant ad studia Universitatum (*S. C. Ep. et Reg.* 21 iul. 1896. *Fontes,* IV, n. 2031); de scholis ubi docetur lingua latina (*S. C. de P. Fide,* 1659, *Collectanea,* I, n. 135); contra scholas Biblicas (*P. F. Coll.,* 18 sept. 1819, I. n. 738); contra scholas paganorum (*P. F.,* 18 iul. 1848. *Coll.,* n. 872); de scholis secundariis (*P. F.,* 7 apr. 1860, *Coll.,* n. 1990); de scholis et collegiis (*P. F.,* 20 mart. 1865, *Coll.,* n. 1271); de ipsis Universitatibus ubi periculosae sunt scholae mixtae (*P. F.,* 6. 7. aug. 1867. *Coll.,* n. 1312); de scholis et convictibus mixtis et scholis Universitariis (*P. F.,* 25 april 1868, *Coll.,* n. 1329); de scholis elementariis pro pueris; et de collegiis pro adolescentibus (*P. F.,* 18 oct. 1883, *Coll.,* n. 1606, XI, 4).

Ipsi autem alumni vocantur pueri, puellae, adolescentes, giovani, fanciulli, succrescens iuventus. Finis iste indicatur (*P. F.,* 14 mart. 1895, n. 1890) « ut (pueri) una cum litterarum rudimentis ac liberalioribus disciplinis christianae vitae instituta alte recipiant ».

Conclusio. Dum in can. 1373 pueri a iuvenibus distinguuntur, in c. 1374 pueri intellegendi sunt omnes qui scholas etiam superiores celebrant, seu quorum institutio nondum est completa.

A. Vermeersch, S. I.

Applicatio in Italia decreti " Inter reliquas „ 1 ian. 1911 (1).

Religiosi qui, in Italia, studia theologiae ita obeunt vel praeparant ut, 26 annos nati, curae animarum

(1) N. B. Haec *Periodica* continent decretum *Inter reliquas*, t. 5, p. 282; declar. 1 feb. 1912, t. 6, p. 199; resp. 15 iul. 1919, t, 10, p. 70.

dicandi sint, suntne considerandi ut formaliter obnoxii servitio militari, an possunt haberi pro virtualiter exemptis ?

Si eos virtualiter exemptos declares, neque a professione perpetua vel sollemni prohibebuntur, et ordines etiam sacros recipere poterunt ; si autem eosdem ut astrictos servitio militari tractes, sine S. Sedis indulto, nec valide professionem perpetuam vel sollemnem facere nec licite ad ordines ascendere poterunt. Qui ordines, id probe notes, non sunt soli ordines sacri, sed etiam minores, immo prima tonsura. Cfr c. 987, 5⁰ et c. 950.

Quaestionem istam recens versarunt duo egregii religiosi, de iure canonico, praecipue religiosorum, optime meriti, filius S. Dominici et filius S. Francisci ; prior in *Monitore Ecclesiastico,* 1928, p. 177 alter in *Apollinaris,* 1928, p. 71. Prior benignam, alter severiorem sententiam propugnavit.

Ut necessitatem indulti demonstret, R. P. D' AMBROISE, F. M. Cap. verba urget ipsius decreti *Inter reliquas*, quibus inhabiles ad perpetuam professionem pronuntiantur iuvenes quos a servitio militari exemptos esse non constat. Atqui, sic ipse R. Pater, non constat exemptos esse iuvenes qui studiis theologicis operam dant, nec constabit ante quam 32 annos aetatis compleverint. Ex ipso enim tenore decreti-legis 17 mart. 1924, quo solo exemptio inniti queat, servitium militare mere ipsis *differtur ;* appellantur in decreto *militares ;* et si, ob quamlibet causam, propositum vitae sacerdotalis mutent, vel cessent a ministeriis sacris, ilico stipendia mereri debebunt.

R. P. FANFANI, O. P., contra, eos pro exemptis habet, quia moraliter certum est eos numquam futuros esse milites ; quia S. C. de Sacramentis non uni episcopo postulanti indulsit ut Episcopus *in casibus particularibus* ordinaret quos prudenter existimasset liberos facere posse a militia ; et quia, in dubiis, benignior interpretatio accipienda est.

Ut iam sincere proferamus quid ipsi sentiamus, assentiri non possumus R. P. FANFANI, dum haec inter se aequipollere existimat : « constat eos *exemptos esse* » et « constat, seu potius, moraliter certum est,

eos *exemptos fore* » : haec inter se non convertuntur. Nec habemus pro religiosis indultum quod S. C. *de Sacramentis* concedit Episcopis. Praeterea R. P. Fanfani generaliter liberos existimat quotquot studiis theologicae operam dant, dum *S. C. de Sacramentis* mere iudicium in singulis casibus Episcopis permittit. Et nonne ipsi religiosi non aequaliter firmi sunt in vocatione sua ? Addas etiam decreta S. C. ita lata esse ut *legalis* exemptio necessaria esse videatur, nec sufficiat etiam moralis certitudo de facto futuro. Secus, cur resp. *S. C. de Religiosis*, 15 iul. 1919 declaraverit vota cessare etiam eo die quo religiosus « inhabilis absolute et in perpetuum declaretur » ? Hactenus nemo permisit vota perpetua vel sollemnem professionem religioso quem infirmitas certo inhabilem faciat. Hoc tamen fortiori ratione admitti deberet, si sententia R. P. Fanfani congrueret cum mente S. Sedis. Demum, resp. 1 febr. 1912, in casu prorsus simili eorum qui propter firmum propositum se addicendi missionibus exteris fruebantur condicione iuridica quae anno 1924 ad omnes qui se praepararent ad curam animarum extensa est, respondit eos per se ad professionem perpetuam admitti non posse ; et ultimo tantum studiorum anno concessit ut, additis certis cautionibus, promoverentur ad perpetuam professionem et sacros ordines.

Quocirca, cum R. P. d' Ambrosio pro se et verba et mentem legislatoris habere videatur, ei astipulandum esse censemus, donec authentica declaratio non intervenerit.

A. Vermeersch, S. J.

Solutio casus propositi p. 92*

Ad I. Tum confessarius, tum professor theologiae vera quidem ex parte dixerunt, et simul tamen ex parte erronea suaserunt.

Constat quidem nullam validam ordinis susceptio-

nem omissa tonsura impediri; sed non minus constat eam esse Ecclesiae voluntatem, ut regulae de ordinibus rite et suo ordine suscipiendis etiam ad primam tonsuram applicentur. Immo can. 960 hoc expresse nos docet: « In iure verba: *ordinare*, *ordo*, *ordinatio, sacra ordinatio,* comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, ordines enumeratos in can. 949, et ipsam primam tonsuram, nisi aliud ex natura rei vel ex contextu verborum eruatur. »

Quocirca etiam ille qui *malitiose,* omissa tonsura, ad ordines accesserit, fuerit ipso facto, propter *saltum*, a receptis ordinibus suspensus, vi can. 2374.

Ideo, cum verba « Dominus pars hereditatis meae, » etc. sint instar formae nec aliquid significent nisi in ore eius qui tonsuram accipit, tonsura a subiecto silente recepta invalide recipitur et est vel iteranda, vel supplenda dispensatione, quam solus E. Pontifex impertire potest. Quamvis autem tonsura clericum efficiat ac proin habilem reddat ad iurisdictionem ecclesiasticam, multo magis tamen clericus est qui veros ordines suscepit. Ficticia igitur est ista perpetua exclusio a iurisdictione quam professor theologiae Leandro minabatur.

Ad II. Claudius nullatenus erat impeditus. Etsi enim vox *acatholicus* omnes designare possit qui non sunt catholici, sive baptizati sive non baptizati, et ampla ista significatione usurpetur v. g. c. 1350 § 1; 1149; 1152; 1099 § 1, n. 2^0, magis proprie tamen de iis dicitur qui sola recta baptizatorum fide carent. Sic intellegitur c. 542 de iis qui sectae acatholicae adhaeserint; et c. 693 de acatholicorum ascriptione fidelium associationi.

Si vero respicias ad ius praecedens, manifestum fit hoc loco, i. e. in c. 987, 1, non agi nisi de haereticis. Irregulares dicebantur propter delictum parentum. Delinquentes autem sunt soli Ecclesiae subditi. Cfr

WERNZ, *Ius Decr.* II, n. 139, qui etiam addit p. 223, prohibitionem istam non posse, sine interventu S. Sedis, extendi ad eos qui a Turcis vel aliis infidelibus originem traxerint.

Ad III. Secundum principia quae magis ac magis confirmantur, dixeris Gracchum de sua ordinatione dubitare non posse. Nihilo minus, cum S. Sedes hactenus velit ut sub condicione iteretur ordinatio in qua nulla vel vitiosa fuerit instrumentorum traditio, Gracchus sacris operari non poterit licite ante quam ordinatio condicionate ei iterata fuerit.

Casus moralis canonicus de reductione missarum et recursu ad S. Sedem.

Ordinarius N. a S. Sede indultum impetraverat, vi cuius posset ad taxam dioecesanam reducere missas fundatas. Iam vero, evenit ut testator quidam Mariam instituisset legatariam, adiecto onere curandi ut per quinquaginta annos quinquaginta missae ad intentionem testatoris, singulis annis celebrarentur.

Quinque autem annis post mortem testatoris et acceptatum legatum, taxa missarum duplo aucta est. Maria, quae non erat valde dives, Ordinarium adivit dolens quod nunc onus testamenti tantopere sit aggravatum. Cui Ordinarius benigne: « Cessa a querelis, filia mea; satis erit ut in posterum cures viginti quinque missas singulis annis ».

Eius tamen Vicarius generalis dubitat de applicatione indulti ad istum casus. Inde haec quaeruntur:

I. Quid opus est ut Missae dici possint fundatae? Agiturne in praesenti de missis fundatis?

II. Nonne potuit Ordinarius, ut exsecutor natus legatorum piorum, intentionem defuncti ita interpretari, ut aequam missarum reductionem legitime admitteret?

III. Si erravit de usu sui indulti, ad quodnam dicasterium S. Sedis per se vel per quemnam alium poterit vel debebit recurrere?

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

De dubio matrimonio ob dubium baptismum

1. Notum est ius ante Codicem constanti SS. CC. praxi confirmatum: « Baptismus dubius sive dubio iuris sive dubio facti, in ordine ad validitatem matrimonii sive contrahendi sive contracti, censendus est validus ». Cf. *C. S. O.* 17 nov. 1830; 5 iul. 1853 ad 3; 18 dec. 1872; 10 iun. 1896. — WERNZ, *Ius Decret.*, IV n. 507 cum notis.

2. De vi dubii baptismi quod ad matrimonium *contrahendum* Codex silet; quare casus ad normam generalium principiorum iuris solvendus est. Quae solutio non eadem erit in dubio facti atque in dubio iuris. Factum enim non praesumitur sed probatur; dum actus positus pro valido habendus est donec contrarium probetur. Quare *in foro externo* ille cuius baptismus est dubiae validitatis pro baptizato habetur et legi ecclesiasticae de impedimentis matrimonii subdito.

De vi baptismi dubii quod ad validitatem matrimonii *contracti* agit can. 1070, § 2 de cuius interpretatione canonistae non omnino consentiunt. « Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matri-

monii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam ».

3. Iam vero quaeri potest num principium in hoc c. 1070, § 2 statutum veteri regulae de praesumpta validitate baptismi in ordine ad validitatem matrimonii contradicat necne. — Admissa iuris mutatione, ulterius quaeri potest num praesumptio novo iure statuta matrimoniis ante d. 19 maii 1918 contractis, post vero illam diem in disceptationem adductis, applicanda sit, an iuxta *praesumptiones* ante Codicem vigentes valor illorum matrimoniorum sit aestimandus (1).

Tandem, etiam si c. 1070, § 2 solis matrimoniis quae ex eiusdem canonis § 1 dubia sint applicandus sit, quaeritur num c. 1014, cuius c. 1070, § 2 est specialis conclusio, omnibus matrimoniis dubiis, etiam ante Codicem contractis, applicandus sit.

De his satis intricatis quaestionibus pauca visum est proponere, cum nostris temporibus non missionariorum tantum, sed omnium parochorum recta interpretatio illorum canonum tantum intersit.

4. **De vi c. 1070, § 2.**

1. Contra atque in *Epitome I. C.*, II, n. 345, 3, censebamus, nunc cum plerisque canonistis admittimus c. 1070, § 2 certe referri tantum ad matrimonia de quibus agit c. 1070, § 1, sc. inter partem *non baptizatam* et partem *catholicam* (sive talis iam fuerit ex baptismo, sive talis evaserit conversione ad fidem catholicam, ut declarat ipsa § 1 can. 1070).

Argumentum nostrum hoc est: Si c. 1070, § 2 esset principium omnino generale, pro matrimoniis aliis (sc. in quibus neutra pars est *catholica)* post

(1) Nemo non videt hanc quaestionem omnino differre ab illa « Estne ius novum de impedimentis matrimonii applicandum matrimoniis ante Codicem contractis ». Hoc neque umquam asserui neque in praxim deduxi, contra atque asserit Dr A. C. M. S in *Ned. kath. St.*, 1925, 26.

Codicem contractis, praesumptionem inutilem et absurdam contineret. Etenim a die 19 maii 1918 omnia matrimonia inter duas partes *non-catholicas* (neque baptismate, neque professione) sunt (saltem quod disparitatem cultus attinet) valida, quidquid sit de certitudine aut dubio circa earum baptismum. Atqui si c. 1070, § 2 ageret de matrimoniis quibuslibet in quibus saltem altera pars est dubie baptizata, statueret *a) standum esse pro valore* matrimonii quod *certe est validum; b)* standum esse pro valore, *donec* certe probetur, etc.

Atque etiam si certo probetur alteram partem esse baptizatam (in secta), alteram vero non baptizatam, matrimonium *est et manet validum*. Ergo praesumptio esset absurda.

Hoc argumentum confirmat ea quae e contextu desumebantur.

2. C. 1070, § 2 praesumptioni qua baptismus dubius in ordine ad validitatem matrimonii validus censebatur, suffecitne *novam praesumptionem*, sc. validitatis matrimonii, ubi haec a dubio impedimento disparitatis cultus pendet?

a) Plerique canonistae id affirmant. Cf. VIDAL *Ius canon.*, V, n. 270; DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio*, n. 587; TRIEBS, *Prakt. Handb.*, II, § 48, p. 329; VERMEERSCH, *Theol. mor.* n. 779; etc. Contra ARENDT, *Ius Pontif.*, V, 1925, 133. CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 419, etsi satis ambigue loquitur, in uno saltem casu sublatam esse antiquam praesumptionem admittit. Quod prorsus sufficit: nam tota quaestio est utrum praesumptio validitatis baptismi praesumptionem validitatis matrimonii regat an vice-versa, quidquid sit de *materiali* similitudine conclusionis.

b) Haec sententia optimum argumentum ex verbis c. 1070, § 2 sumere potest.

Cum enim *solus* c. 1070, § 2 loquatur de relatione inter baptismum dubium et valorem matrimonii, ad solvendos casus appellat non veterem praesumptionem, toties per duo saecula repetitam, sed c. 1014 qui favorem iuris erga matrimonium confirmat.

c) Unus saltem casus fingi potest, quo c. 1070, § 2 aperte contradicat veteri praesumptioni in favorem baptismi. Si catholicus dubie baptizatus contraxit cum haeretico, cuius baptismus tempore matrimonii communiter ut validus habebatur aut saltem dubius erat, etiamsi baptismus haeretici postea certo nullus probetur, standum erit pro valore matrimonii donec certo probetur catholicum esse baptizatum. Iamvero ante Codicem, hoc matrimonium, detecta nullitate baptismi partis acatholicae, nullum esset declaratum.

5. Iam diximus in novo iure in omni casu dubii matrimonii praesumptionem iuris validitati matrimonii favere, sive e c. 1070, § 2 sive e c. 1014, nisi de usu privilegii fidei agatur. Quaerendum nunc est num haec *praesumptio* matrimoniis ante Codicem contractis applicanda sit. Iamvero ut in eadem materia disparitatis cultus stemus, illa matrimonia ad duplicem classem reduci possunt, sc.

a) matrimonia inita inter partem « catholicam » et partem non catholicam;

b) matrimonia inita inter duas partes acatholicas, quarum alterutra saltem dubie erat baptizata.

Prima classis condiciones c. 1070, § 2 iam implebat; altera veteri impedimento, non autem hoc canone regitur; quare solus c. 1014 ei applicari possit.

Ad quaestionem clarius proponendam sit hoc exemplum: A^0 1916, Titius, methodista dubie baptizatus, matrimonium iniit cum Caïa anabaptista, non baptizata, quam postea, divortio civili obtento, dereliquit. Quaeritur num illud matrimonium, de quo hodie

disceptatur, tamquam validum an invalidum habendum sit.

Procul dubio, *si* Titius est baptizatus, matrimonium est nullum; A^0 1916 enim, disparitas cultus invalidum faciebat matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam. Sed *dubium* est num Titius sit baptizatus. Porro quaestione posita ante d. 19 maii 1918, matrimonium invalidum declaratum esset. Vigebat enim princium: « Baptismus dubius in ordine ad validitatem matrimonii tamquam validus censendus est ». At hodie, ut videtur probatum, iam istud principium non viget.

Versamur in applicatione difficilis principii « Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur » (c. 10). Iamvero haec saltem ut verisimilia proponi possunt:

Praesumptio validatis matrimonii *non est forma* quaedam seu medium probationis, *sed dispensatio probationis* ex coniectura legislatoris. Quod ex ipso Codicis textu satis apparet. Dicit enim: « Matrimonium gaudet *favore iuris;* quare in dubio *standum est* pro valore matrimonii, *donec* contrarium probetur.... » (c. 1014). C. 1070, § 2 ex ipsis eius verbis non est nisi applicatio principii in c. 1014 contenti.

Porro praesumptiones legales regunt facta sub lege anteriori posita (1). Neque hoc mirum est, cum nova praesumptio legis censenda sit melior priore.

Nonne a legislatore pendet ut dubie baptizati non *censeantur* ligati lege impedimenti matrimonii? si aestimat maximi momenti esse ut pro valore matrimonii stet praesumptio, cur non potest definire hanc praesumptionem etiam tenere quando dubium de validitate matrimonii venit e dubio baptismo?

Dicat forte quis: Si dubius baptismus sola causa

(1) Cf. PLANIOL, *Traité élémentaire de droit civil*, I, n. 251.

sit dubii matrimonii, primo solvendum est dubium de baptismo. Atqui vi principii generaliter admissi, actus positus pro valido habendus est donec contrarium probetur. Itaque vi huius praesumptionis, quam iurisprudentia SS. CC. per duo saecula confirmavit, matrimonium initum ab haeretico dubie baptizato cum parte non baptizata ante d. 19 maii 1918 nullum habendum est.

Cui obiectioni respondere licet. Ubi duae praesumptiones inter se pugnant, aut se invicem excipiunt, licet legislatori definire quaenam alteram evincat. Nunc Codex firmiter statuit validitatem matrimonii praesumi, etiam quando dubio baptismo dubium de matrimonio nititur. Tota ergo quaestio redit: estne haec nova praesumptio legalis facto sub veteri iure posito applicanda?

Ni fallimur, ille solus refellerit nostrum argumentum qui demonstraverit hanc praesumptionem esse « medium probationis ». Nam quidquid ad media probationis pertinet, ad normam veteris, non novae legis definiendum est. Ne putet quis ad hanc demonstrationem satis esse quod de praesumptionibus agatur Lib. IV, tit. X, de probationibus. Nam, ut supra diximus, praesumptio legalis quae dicitur, nedum sit sicuti verae quaedam praesumptiones medium probationis, potius est dispensatio probationis.

Neque aestimet quis applicatione novae legis in hoc casu violari principium c. 10 de non-retroactivitate legis. Qui enim matrimonium ante Codicem contraxit, sane valide aut invalide ad normam veteris legis contraxit. Sed nullum ius quaesitum acquiri potuit de modo solvendi dubium oriundum contra tale matrimonium, si excipias, ut patet, valorem actorum et testimoniorum sub veteri lege validorum.

Cui explicationi, ut sincere loquamur, haec instantia opponi possit. Praesumptio legalis est interpretatio legis vigentis. V. g. praesumptio legalis in favorem

baptismi vigens ante Codicem interpretabatur extensionem quam S. Sedes legi de impedimentis matrimonii dabat. Ergo validitas matrimonii sub veteri iure contracti secundum extensionem legis tunc vigentis aestimanda est.

Respondebimus legislatorem mutavisse voluntatem suam de extensione impedimenti e baptismo dubio oriundi. Cum ergo sub veteri iure mere *praesumeret* hominem dubie baptizatum sua lege teneri, — quae praesumptio difficultate non carebat, — hodie vero malit matrimonio totam vim suam relinquere donec eius invaliditas ex hoc capite demonstretur, nihil obstare videtur quin nova lex in nostro casu applicetur.

Tandem R. P. Arendt *(Ius Pont.*, 1925, 140) concedemus in casu nostro privilegium *Paulinum* non esse appellandum. Non enim idem est matrimonium in infidelitate initum atque illud quod inter infidelem et partem dubie baptizatam est contractum. Sed cum dubium sit hoc matrimonium, si bonum fidei hoc postulaverit, dispensatio a *vinculo naturali* non excluditur et haec est applicatio privilegii *fidei*. Talis dispensationis exemplum habetur in rescripto ad petitionem episcopi Helenen., 6 nov. 1924 (Cf. *N. R. Th.*, 1925, 326).

Et haec quidem de difficili quaestione proponere voluimus, quae si a peritioribus melius explicabuntur, veritati cedere parati sumus.

I. CREUSEN, S. I.
Prof. in Lovaniensi collegio theol. et phil. S. I.

De sollemnitatibus actuum iuridicorum.

De exterioribus condicionibus dicturi quibus leges positivae actus iuridicos propter bonum commune munire solent, ut plene firmi vel prorsus liciti sint, recordamur triplicem plerumque esse aspectum rerum quas mens humana penetrare, seu scientifice cognoscere cupit: primus est simplicitatis, alter est complexionis, tertius est intuitionis. Primus apparente facilitate mentem allicit; alter proposito labore mentem deterret; tertius mentem percepta evidentia solatur et remuneratur. Porro, in argumento quod tractandum suscipimus, facile nobis erit lectorem ab errore existimatae simplicitatis ad persuasionem rei non parum impeditae deducere. Faxit Deus O. M. ut iucundam veritatis possessionem ipsi conatu nostro aliqua ratione praeparemus:

I. De requisitis sollemnitatibus et actibus infirmis.

1. **Sollemnitates** de quibus frequens erit sermo **dividuntur** in *essentiales* et *accidentales*, prout actui sub poena nullitatis imponuntur vel non imponuntur (1).

---

(1) Ex legis praescripto sollemnitates vel contribuunt tantum quoddam complementum non requisitum ut actus consistat, ut est plerumque scriptura, et sane *accidentales* sunt; vel ponuntur a lege uti condiciones implendae ad ipsum actus valorem: v. g. consensus consultorum de quo in can. 105, et iuridice *substantiales* seu *essentiales* vocantur, vocabulo desumpto ab elementis ipsius actus, quae naturaliter sunt et dicuntur *essentialia*, *constitutiva* actus: v. g. consensus contrahentium et res vel pretium in venditione. Cfr D' ANNIBALE, *ediz. 4.* II, 301, ubi ait: « Actuum substantialia sunt *res*, *causa*, *voluntas* ». Hinc, in can. 105, voluntas seu consensus Superioris est elementum *constitutivum* et *substantiale* actus, dum consensus consultorum, etsi, in se inspectus, sit aliquid substantiale, tamen, quoad actum Superioris est sollemnitas *iuridice* substantialis. Aliis verbis: votum consultoris seu consilii est sollemnitas circa actum Superioris, sed est de essentia ipsius actus consultoris.

At ipsa sollemnitas substantialis, lege sub poena nullitatis requisita, alia est formae potius *extrinsecae* (quae, ut ait D' ANNIBALE, II, 314, aliud factum constituit ab actu; et tale est, ni fallimur, dictum votum consultorum), alia est formae iuridice *intrinsecae*, quae ab ipso actu quasi *species* separari ne-

Immo accidentales, etsi de sua natura sint *praeceptivae*, — si earum observatio stricte sub debito oboedientiae praecipiatur, — possunt aliquando esse *directivae* tantum vel *optativae,* si tantum inculcantur, desiderantur a lege: ut est, v. g. in eodem can. 105 sub finem n. 1, *accessio Superioris ad consilium praesertim concors consultorum*, ita ut Superioris actus, illa clausula irrationabiliter spreta, futurus sit validus et etiam licitus quamquam non laudandus.

2. Notandum est etiam quod, praeter leges ipso facto *irritantes* actum aut *inhabilitantes* personam, adsunt leges *rescissoriae* tantum, nempe facientes actum *non irritum* sed *irritabilem*, aut personam, ut ita dicam, *inhabilitabilem* (per rescissionem et restitutionem in integrum [1]).

Quapropter ad sollemnitates substantiales, - quae, si desint, ipso facto *irritus* est actus, proxime accedunt illae quae, si desint, actus validus quidem est, sed obnoxius *rescissioni,* intra datum tempus, per iudicis sententiam (2).

---

quit: v. g. in matrimonio praesentia parochi et testium, de qua dicitur, quod *forma dat esse rei*. Neglecta forma extrinseca, actus dicitur *irritus* (D' ANNIBALE, I, 213) et potest ratihabitione convalescere (D' ANNIBALE, II, 315); neglecta vero forma intrinseca, actus dicitur *infectus*: i. e. omnino non est, et convalescere nequit.

(1) V. g. si Superior vel consultores, de quibus in can. 105, consensum praebent ex vi, nihil praebent (actus est irritus, immo infectus); si ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo, actum validum ponunt sed rescindibilem (c. 103). Ita infamia iuris secum fert *nullitatem* actuum legitimorum concessionis beneficii, etc.; infamia facti *rescindibilitatem* tantum (c. 2294). Ita in officiis ecclesiasticis, provisio facta in carente qualitatibus requisitis, est nulla, si ita in iure cautum sit; secus est valida sed *rescindibilis* (c. 153 § 3); et pariter electio facta ante vacationem beneficii, *irrita est;* si vero fieret in persona *mulieris*, esset profecto *nulla* ex inhabilitate personae; sed esset tantum irritabilis, si quis elector, iuxta c. 162 § 2, neglectus fuisset.

(2) Dico *intra datum tempus per iudicis sententiam,* quia plerumque, sententia tempestive non interveniente, actus omnino convalescit, vel persona omnino habilis evadit, statim ac cesset defectus, vel transeat tempus statutum ad petendam rescissionem vel inhabilitatem (Cfr can. 162 § 2; 1689 § 1). Et idem dicendum est de actu quem lex dicit laborare vitio nullitatis sanabilis intra tempus assignatum ad petendam declarationem nullitatis (c. 1895): hoc enim tempore transacto sine tali petitione, actus ille sanatur.

3. **Quid in dubio an agatur de casu irritationis vel minoris sanctionis?**

In genere fatendum est quod, in defectu clarae clausulae irritantis, rescissoriae, prohibitoriae et similis, non est facile determinare in praxi quaenam sollemnitates censendae sint unius alteriusve speciei. Quapropter, in dubio, quod minimum est tenendum (Can. 11 et 15). *In dubio*, dixi, quia si lex actum fieri vetat, nec, si factus fuerit, irritum vel rescindibilem esse iubet, tunc profecto, ipse iudex nequit sua sententia *irritationem* vel *rescissionem* inducere, quia iudicis est secundum leges iudicare, non leges condere. (Cfr. D' ANNIBALE, I, 210 not. 3; BUCCERONI, I, 233, 1°.) Quando autem agitur de irritatione vel rescissione, non est exigendum plus quam postulatur per verba accepta in rigorosa et propria significatione.

4. Ex dictis, et praesertim ex c. 105 collato cum c. 1680, § 1, patet quod actus Superioris non rite positus, invalidus esse potest sive ex *ipso naturali iure*, si nempe deest aliquid substantiale (utputa si Superior agit ex vi extrinseca cui resisti nequit: desideratur enim naturalis consensus seu voluntas), sive ex lege *positiva*. Invaliditas autem iuridica oritur ex lege quae esse potest (Cfr BUCCERONI, I, 223 et D' ANNIBALE, I, 209-216) sive *inhabilitans*, si nempe lex personas facit inidoneas, incapaces, inhabiles illis actibus agendis, obeundis, ineundis; sive *irritans* actum, sive *prohibens decreto irritante munita* (v. g. c. 1227).

Quoad legem irritantem, quae magis respicit nostras sollemnitates, hoc notamus in particulari, cum D' ANNIBALE (I, 213); « Has (leges irritantes) accipio, quae non nullis actibus formam vel sollemnia constituunt, quibus posthabitis, nihil actum intellegitur. Porro *forma* est quae ab ipso actu, quasi *species* separari

non potest,... ut actus coram certa persona publica fiant (v. g. matrimonia coram parocho et testibus)... *Sollemnia,* quae accedunt extrinsecus, utputa, ne bona Ecclesiae veneant sine beneplacito Apostolico, vel bona minorum, sine decreto iudicis ». « Neglectaforma, quia *forma est quae dat esse rei,* actus dici consueverunt *infecti* (quasi actus quibus aliquid substantiale deest); sollemniis neglectis (v. g. consensu consultorum de quo in c. 105) *irriti* proprio nomine; sed his vocabulis plerumque indiscrete utimur » (D' ANN., I, 213, nota 8).

5. Fas nunc sit hanc theoriam applicare ad sequens exemplum;

In rerum ecclesiasticarum alienatione, ad valorem actus, requiritur: - 1^0 mutuus consensus contrahentium, qui est *elementum naturale et constitutivum* ipsius actus ; 2^0 *licentia legitimi Superioris* (cfr c. 1532, § 1-3) quae, ni fallimur, est de *forma seu sollemnitate intrinseca* alienationis (1), et 3^0, limitate ad Ordinarii licentiam, ad valorem requiritur etiam, ut sollemnitas ipsius licentiae (2) *extrinseca,* consensus aliquorum, de quibus in c. 1532 § 2; dum defectus *auditionis* consilii administrativi (c. 1532) redderet licentiam obnoxiam *rescissioni* secundum nostram sententiam, *irritationi* secundum aliam sententiam; et, secundum tertiam

---

(1) Alii tenent Beneplacitum Apostolicum vel licentiam Ordinarii esse tantum de *forma seu sollemnitate extrinseca* ipsius alienationis (Cfr D' ANNIBALE, I, 213 et II, 314 nota 9; necnon BUCCERONI, I, 223, 4°), sed opinio nostra fundatur in natura bonorum ecclesiasticorum quae a personis moralibus canonice recognitis possidentur non independenter, sed sub auctoritate legitimi Superioris, praesertim Romani Pontificis, cui competit dominium altum et eminens super omnia bona ecclesiastica (can. 1499 § 2, 1518); immo dominium proprie dictum, aiebant PENNACCHI (in Const. *Apostolicae Sedis*, p. 132, n. 4) et Card. PETRA (I, p. 58, n. 64) sed sententia ista nunc explosa est can. 1499 § 2, quae dominium singulis personis moralibus agnoscit. Is concludit: « Dictum Beneplacitum est requisitum pro *forma essentiali* ».

(2) Iste consensus consultorum, ut innuimus n. 1 nota 1, est *de essentia* ipsius actus consultorum, simulque *de sollemnitate* licentiae dandae a Superiore; sicut licentia est de essentia ipsius actus Superioris concedentis, dum est sollemnitas respectu actionis Titii alienantis.

sententiam, nec rescissioni, nec irritationi, cum actus esset tantum illicitus.

Demum, si omitteretur *publica licitatio,* vel aliqua alia accidentalis formalitas (de his formalitatibus in c. 1531, 2, aut c. 1541 § 1) alienatio esset valida sed *illicita*, quia illae sollemnitates accidentales ibi sunt *praeceptivae*. Aliud esset dicendum de Ordinario dante licentiam alienandi res non excedentes valorem mille libellarum (c. 1532 § 2) : ille enim non peccaret, quamvis laudandus non esset, si, *audito* Consilio administrationis concorditer contrario alienationi, hanc nihilo minus permitteret sine ulla praevalente ratione (Cfr c. 105, 1° sub finem, ubi non praeceptive sed optative inculcatur Superiori *accessio ad Consilium, praesertim concors consultorum*).

II. De sanatione actum infirmorum.

6. **Saepe saepius suboritur quaestio an sanari possit Superioris actus,** de quo in c. 105, **invalidus** ob aliquod vitium;

Quaestio ista salebrosa est; eam tamen declinare non possumus.

Vidimus iam talem defectum esse posse vel in substantia actus (deficiente, v. g. consensu naturali in agente) vel circa personae habilitatem, vel circa sollemnitatem substantialem (si defuit consensus consultorum). Quaestionem autem non ponimus de sanatione *per Apostolicam dispensationem*. In hac unice attendenda sunt verba et clausulae rescripti, utrum v. g. agatur de sanatione in radice an potius de dispensatione ordinaria (1). Verum, sine huiusmodi dis-

(1) Sanatio in radice ab ordinaria dispensatione in hoc praesertim differt, quod non requirat renovationem consensus naturaliter validi, dummodo hic ne sit retractatus, sed sit veluti voluntas habitualiter persistens.

pensatione Apostolica, quaerimus de via *simplicis convalidationis,* si haec tamen iure positivo vel admittatur vel *saltem non prohibeatur.* Putamus enim, silente lege positiva, sanationem simplici convalidatione fieri posse, seu actum qui ob aliquem de dictis defectibus invalidus fuerit sanari posse, attento iure naturae, non solum, quod manifestum est, per integri actus renovationem, positi sine praecedente defectu, sed etiam, — dummodo adhuc exstent substantialia, — *per positionem solius rei ab initio omissae* vel *non rite positae,* at addita, ex lege vel ex praxi canonica, renovatione etiam consensus, naturaliter tamen validi, et retractati vel non (1).

Hactenus in genere. In specie, simplex sanatio seu convalidatio actus Superioris, sine interventu dispensationis Legislatoris, distincte tractanda videtur in triplici puncto:

A. *De sanatione actus invalidi ob defectum consensus naturalis in agente;*

B. *De sanatione actus invalidi ob defectum habilitatis;*

C. *De sanatione actus invalidi ob defectum sollemnitatum essentialium.*

De A et de B breviter; fusius de C.

7. A. *De sanatione actus invalidi ob defectum naturalis consensus.*

---

(1) Aliquando, ex lege canonica requiritur omnino legitima renovatio totius actus: v. g. in convalidatione professionis religiosae (c. 588), et etiam in simplici convalidatione matrimonii (c. 1132-1137). At etiam limitate ad renovationem consensus, aliquid aliud lege canonica requiritur in eo qui consensum renovat. Etenim, impedimento sublato et permanentibus aliis requisitis quae iuridice sunt substantialia, necessaria est, in consentiente, cognitio, scientia impedimenti et nullitatis ab impedimento promanantis. V. g. si prior consensus fuit irritus ex errore, vi, etc. novus consensus poni debet post cognitionem erroris, post vim ablatam, et non prius quam consentiens *sciat* priorem consensum fuisse invalidum ob errorem, vim, etc. Ita etiam salvandum est ius tertii, cui lex, v. g. concedit actionem seu querelam *nullitatis* circa actum nullum, vel actionem *rescissoriam* circa actum rescindibilem. (Cfr. c. 103-104; 1679-1689; 1892, ss.)

Supposito *solo defectu consensus* personae habilis, et adhuc exsistentibus aliis substantialibus, necnon sollemnitatibus ex iure debitis, dico:

1. quod si defectus fuerit et manserit *mere internus,* satis erit interius consentire (etiam in matrimonio: can. 1136 § 2);

2. quod nulla lex humana naturalem consensum supplere solet (aliquando non potest, v. g. in matrimonio). Itaque actus nullus ex consensus defectu sanari nequit, nisi iste naturalis consensus ponatur. Immo, ex lege positiva, si agens consensum istum *exterius vel in forma publica omiserit*, lex positiva exigit ut consensus exterius, immo in forma probatoria detur (1).

3. Si agitur *de contractibus*, in quibus mutuus est consensus naturalis, altera pars, ignara de contractus nullitate, non est monenda, dummodo in consensu ab ipsa rite dato perseveret. Neque naturali neque positivo iure plus requiritur. Cfr c. 1136 § 1. Censetur autem perseverare voluntas quae numquam retractata fuerit. Cfr D' ANNIBALE, I, 133.

B. *De sanatione actus invalidi ob defectum habilitatis.*

Hoc loco supponimus personam quidem consensisse sed fuisse inhabilem, et, tempore quo persona fiat habilis (ob sublatum impedimentum) alia substantialia et debitas sollemnitates adhuc perseverare. Tunc:

(1) *Publicum* est quod *probari* possit in foro externo. Sufficit ergo ut agens consensum suum manifestet aliquo signo apto ad destruendum illum publicum consensus defectum. Ni fallimur, necesse non est ut consentiat *forma iure praescripta,* v. g. in casu c. 105, cum nova sollemnitate seu *novo consensu consultorum.* Id quidem expresse in matrimonio, can. 1136 § 3 exigitur. Sed, in matrimonio renovatio istius formae, coram parocho et duobus testibus, necessaria est, quia est aliquid unum cum renovatione publici consensus invalide iam positi; dum consensus consultorum constituit sollemnitatem extrinsecus accedentem ad actum Superioris, est aliud factum; et praeterea renovatio istius voti consultorum nullibi expresse exigitur sub poena nullitatis novi consensus Superioris: supponimus defectum tantummodo in Superiore fuisse dum votum Consultorum rite positum fuit. Applicanda igitur est norma generalis de qua in can. 11 et 15.

1. *Ex iure naturae,* cessante quomodocumque illo impedimento, iam nihil obstat quin actus fiat validus statim ac persona fiat habilis.

Id quidem *ex rei natura;* nam iure canonico, ut bene notat WERNZ-VIDAL, II, 193, viget regula: « Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit » (R. I. 18 in 6⁰). Idque valet etiam si *tractu temporis* impedimentum cessaverit (1). Itaque lex canonica aliquid aliud exigit, i. e. renovationem (publicam vel privatam) consensus agentis postquam defectus (publicus vel privatus) habilitatis sublatus fuerit, ut *iuridice* dici possit sanatus actus qui ob solum defectum capacitatis invalidus erat. Recurri profecto potest ad dispensationem vel ad sanationem in radice, sed, in praesenti, de simplici convalidatione, sine dispensatione, agimus, ut iam monuimus.

2. *In materia matrimoniali,* certum est ex iure canonico, si valori aliquod impedimentum ecclesiasticum obstiterit, etiam renovationem consensus requiri. Atque, ut consensus novus sit iuridice efficax, consentiens impedimentum cognoscere debet, ne, sicut

---

(1) Exemplum habemus in *matrimoniis* initis ante Codicem, cum impedimento, v. g. consanguinitatis in quarto gradu lineae collateralis (Cfr Resp. Comm. Codicis I. C., 2-3 iun. 1918). Idem dic de *collatione beneficii,* quae iure superiore erat insufficiens titulus excardinationis, dum, ex can. 114, incardinatio in loco beneficii *ipsa collatione* haberi potest.

Quare, si ante Codicem clericus quispiam beneficium in aliena dioecesi obtinuerit, non censebitur vi can. 114 incardinatus. *Hodierna* enim beneficii *possessio* aequiperari non potest cum *hodierna collatione,* quia aliud est beneficii possessio, aliud eius collatio, ut optime arguit Consultor in causa *Adrien.*, apud *S. Cong. Conc.* (14 febr. et 11 iul. 1925, *Per.* XV, 73). Pariter invalida manet collatio beneficii facta alicui nondum clerico, quamvis postea tonsuram susceperit (D'ANNIBALE, II, 315, not. 14).

Quid autem si clericus, nondum sacerdos, obtinuerit canonicatum (c. 404) vel paroeciam (c. 453 § 1)? Ex c. 153 § 3 coll. cum c. 404 et 453, provisio canonicatus dicenda est *valida etsi irritabilis; invalida* autem provisio paroeciae. Hinc, si tractu temporis ille clericus fit sacerdos, ilico provisio canonicatus convalescit, nisi iam a iudice irritata fuerit; at provisio paroeciae invalida manet, nisi accedat novus consensus collatoris in forma publica. Invalida quoque foret designatio Vicarii Capitularis qui tricesimum annum nondum explevisset (c. 434), etsi paulo post attingeret aetatem legitimam: convalidatio consensum Capituli in forma iuridica datum exigeret. Cfr WERNZ-VIDAL, II, 193.

prior consensus, ignorantia vel errore laboraverit. Ipsa renovatio forma iure praescripta facienda est, seu coram parocho et duobus testibus, si impedimentum publicum fuerit.

Observes tamen, si impedimentum occultum uni parti tantum notum fuerit, satis esse « ut sola pars, impedimenti conscia, consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu dato perseveret ».

Verum in can. 105, cum Codex *neque expresse neque aequivalenter* exigat novam sollemnitatem extrinsecam seu novum Consultorum votum, existimamus iterationem istius sollemnitatis minime requiri ad valorem actus, seu novam formam iure praescriptam, ut convalescat actus quem fecerit persona publice incapax; sed sufficere ut persona facta capax novum consensum exprimat aliquo signo apto ad publicitatem. Casus fuerit Episcopi qui licentiam alienandi bona ecclesiastica dederit antequam possessionem dioecesis ceperit (c. 334 § 2. 3).

C. *De sanatione actus invalidi ob defectum sollemnitatis substantialis.*

8. Hoc loco actus supponitur factus a persona habili et cum aliis requisitis substantialibus, adhuc perseverantibus, et solam ab initio defuisse sollemnitatem extrinsecus *substantialem,* v. g. consensum Consultorum. Ad aliquid agendum necessarius est, ex iure naturae consensus agentis (ac proin, in contractibus, consensus utriusque partis); ex lege autem positiva interdum etiam ad valorem necessarius est consensus Capituli vel Consultorum. *Quid opus est ad huiusmodi actum sanandum?*

In primis notamus, ad sanandum actum qui propter defectum consensus consultorum (1) sit nullus, non

(1) In praesenti loquimur de solo *consensu*, nam actus positus non *audito consilio*, vel non indiget sanatione si actus fuerit validus, vel sanar

sufficit quodlibet votum, sed ponendum est tale quale ipsa lex vel ipsa ratio exigit, et praecipue ut Consultores *noverint*, praecedentem consensum fuisse invalide positum vel nullo modo positum (utputa quia non petitus fuit, vel pro re diversa fuerit rogatus, etc) et velint nunc consensum istum dare ad auferendam nullitatis causam, ergo praecise ad sanandum actum nullum Superioris. Opus praeterea est ut legitime ponatur, ac proin publice exquiratur si defectus voti fuerit publicus (2). Cfr. D'ANNIBALE, II, 419.

Iam hoc praeterea quaeritur. Suppleto Consultorum consensu, et ita remota unica causa nullitatis, sanaturne re ipsa, sine alio actu principalis agentis, actus irritus, *an opus etiam est novo consensu principalis agentis,* immo iteratione totius actus et aliarum sollemnitatum? Si ipse Legislator huiusmodi completam renovationem exegerit, manifestum est eam esse necessariam. Id evenit, v. g. in provisione officii nondum vacantis (c. 150 § 1); in professione religiosa (c. 586 § 1); in matrimonio (c. 1137); in sententia iudiciali *insanabili* ob defectum, v. g. *legitimi mandati* in procuratore (c. 1892. 1659); et ita porro, in aliis actibus quibus lex imponit aliquam sollemnitatem intrinsecam et inseparabilem (Cfr BUCCERONI, I, 223, 4°).

In genere autem, silente Legislatore, praevalet lex naturalis; et, quia versamur in odiosis (D'ANNIBALE,

---

nequit per postumum consilium; quia, ut plures aiunt, de essentia consilii est ut petatur antea et praecedat actus expeditionem; de natura sua est condicio antecedens actum (cfr. GONZALES, Reg. 8 Cancell. gl. 46, n. 3; et SUAREZ, *De Leg.* L. 8, c. 13); dum illam sanationem admittit ALOYSIUS TROMBETTA, quaerens (cap. 5, 2) « utrum in casu omissionis, actus nullus validari possit per *consensum* vel *consilium postumum* Capituli. Resp. *Affirmative;* etenim actus Episcopi in tantum erat nullus in quantum non habebat secum iudicium Capituli; si ergo hoc iudicium postea et quidem libere accedat et consonet in idem, non est amplius cur actus episcopalis non sit validus dicendus ».

(2) Plerumque expressio consensus publica est; potest tamen aliquando esse privata, v. g. si agatur de una vel altera persona interroganda, praesertim si iis imponitur iusiurandum de secreto servando (c. 105, n. 2° in fine).

I, 184, n. 23), quod minimum est tenendum. Itaque, si in aliqua alienatione facienda requiritur consensus sive Consultorum sive Capituli Cathedralis, sanabitur, — nisi aliud expresse cautum sit in lege, — per solam positionem voti praetermissi, et necesse non est repetere consensum alium iam datum, nec consensum principalis agentis iam validum. Rationem iam indicavimus, cum monuimus consensum Consultorum non esse de forma intrinseca actus Superioris, sed esse actum distinctum et separabilem.

Iterum quaeritur: Quid *in dubio,* an in aliquo actu Superioris defuerit illa sollemnitas voti, de qua in c. 105?

In tali dubio, GONZALES (gl. 47, n. 64 fine) observat praestationem consensus Capituli, cum sit factum aliquod, non praesumi sed probandum esse, v. g. per diuturnam observationem, seu, ut ipse existimat, decem annorum. BARBOSA vero (I. E. U., lib. 1, c. 32, n. 13) spatium triginta annorum postulat; a D'ANNIBALE autem vis istius observantiae foro conscientiae circumscribi videtur (II, 314 nota 10). Maluerimus, nullo interposito intervallo, statim post exortum dubium applicare regulam: « In dubio omne factum praesumitur recte factum, quod de iure (a Superiore ecclesiastico) faciendum erat (1) ».

A *S. Congr. Concillii,* 14 ian. 1922, responsum est ad V, si Consilium administrationis et Capitulum Ecclesiae cathedralis inter se dissentiant, ab Ordinario alterutrius consensum suppleri minime posse, sive agatur de alienatione, sive de quolibet aequipollenti contractu, sed recurrendum esse ad S. Sedem, si Ordinarius agere voluerit. (Cfr *Monitore Eccl.*, 1922, p. 106, vel *Per.* XI, 9).

---

(1) A *Superiore tantum ecclesiastico*, in quo profecto praesumitur non solum plena scientia iuris, sed etiam recta voluntas istud exsequendi.

Intervenit hic etiam quaestio, semper laboriosa *de non retroactivitate legis.* Itaque, si lex nova necessitatem ponendi consensum seu sollemnitatem aufera, vel si, contra, diversam a praecedente sollemnitatem imponat, quid iuris? Sanaturne actus per simplicem introductionem novae legis abrogantis istam sollemnitatem, vel per observationem sollemnitatis diversae nunc requisitae?

Existimamus actum istum non sanari *a)* neque automatice, momento quo nova lex vigere incipit, quia lex non est retroactiva et non respicit praeterita (c. 10): haec proinde remanent valida vel invalida prout erant ante novam legem; — *b)* neque per hodiernam observantiam *veteris* sollemnitatis omissae, quae fuit causa nullitatis actus. Nunc enim posita, nihil est et nihil valet (1). — *c)* Nec sanari potest observando *novam* sollemnitatem nova lege requisitam, quia sollemnitas ista imponitur pro novis actibus ponendis non pro actibus praeteritis, sive validi sive invalidi fuerint. Necesse igitur erit vel petere dispensationem Apostolicam vel actum ex integro renovare.

9. Quaeres *num peccet Superior qui actum irritum faciat,* non observando sollemnitatem requisitam?

Cum Bucceroni (I, 224) respondemus: Peccat si actus *malus* sit, sicut matrimonium cum consanguineo initum; vel si actus *damnosus* sit, sive iustitia sive caritas, sive res publica, sive religio laedatur, sicut laederentur non servatis sollemnitatibus in electionibus ad officia ecclesiastica, in collationibus beneficiorum, etc; peccat demum, si actus non solum *irritus,* sed etiam *prohibitus* sit ipsa lege, ut in matrimoniis non servare formam praescriptam (lex illa dicitur irritans-prohibens, vel

(1) Finge casum quo Codex abrogasset, pro aliquo actu, necessitatem consensus Capituli, et actus ille ante Codicem sine voto Capituli fuisset effectus: actus huiusmodi, sane invalidus, hodie sanari nequit, quia lex Codicis non agit retro, et quia actus Capituli, iam non requisitus, nullius valoris iuridici esse potest.

prohibens munita decreto irritante). *Negative* autem, si actus ipse neque *malus* neque *damnosus*, neque lege *prohibitus* sit; tunc enim est tantum frustraneus; ut si quis testamentum scribat omissa subscriptione, vel nondum adeptus aetatem praescriptam lege.

In praxi examinandi sunt singuli casus et canones, ut actum pronuntiemus vel malum vel damnosum vel lege prohibitum. In canone autem 105, omnino negandum est actum sine debita sollemnitate factum esse tantum frustraneum. Optime enim BUCCERONI, l. c.: « Licet autem lex non obliget in conscientia ad actum omittendum, si sit in tali casu *mere irritans* et non simul prohibens, obligat tamen ad standum iis omnibus quae intrinsece ex irritatione nascuntur. Auctoritati autem legitime praecipienti obtemperandum est ».

III. **De foro quo actus sint infirmi.**

10. Demum, *si quaeritur quo foro irritus sit actus non sollemnis,* certum est quod, neglecta aliqua sollemnitate ad valorem requisita (v. g. consensu Consultorum), actus *non sollemnis* est saltem in foro externo irritus; sed quid dicendum de foro interno?

Ut aliis verbis utamur: actus iuridice invalidus sed naturaliter validus, valetne in conscientia? (1). Ni fallimur, haec principia sunt tenenda.

1. Viget, saltem in foro interno, lex naturalis, — quae profecto nulla sollemnia ordinat, — nisi *clare praesumi possit* legem humanam qua sollemnia praescribuntur eadem *etiam in foro interno* urgere voluisse:

---

(1) Dicimus *valet:* id enim nunc agimus ut cognoscamus quaenam rata vel irrita sint, minus autem quaenam licita vel illicita, commendanda vel dissuadenda sint. Per accidens tantum, numero superiore, inquisivimus in peccatum Superioris qui actum irritum fecerit.

tunc enim in ipso interno foro lex humana legi naturali, in re per se indifferenti, praevalet. Quod minime ipsi legi naturali adversatur, cum lex positiva mere ad requisita e lege naturae alia superaddiderit.

2. Quod ad legem civilem, haec *praesumptio* admittitur. Iura civitatum nullam plerumque curam habent de foro interno, sed externo regendo contenta sunt. Ordinarie igitur, de solo iure civili tractando, ius naturae iuri civili praevalet quod ad valorem actuum. Aliis verbis, quando ius civile sollemnia ad valorem exigit, actus *non sollemnis* est irritus in solo foro exteriore, nisi expresse in lege, vel aequivalenter, ex rei natura, etiam in foro interno irritus declaretur. In casibus autem particularibus videre oportet an et quando et quousque ius civile sollemnia ad valorem actus imponat: utrum in utroque foro an in solo foro externo (cfr SCAVINI, II, 578 et 600; NOLDIN, II, 356); utrum ad solam probationem an primario ad valorem et secundario tantum ad probationem (D'ANNIBALE, II, 313). Verum, ne in longinqua digrediamur, de solo iure canonico simus solliciti (1).

3. Lex canonica de utroque foro sollicita est. Quando igitur canones sollemnia exigunt ad valorem alicuius actus, hic, si non cum debitis sollemnitatibus est positus, non in solo foro externo sed etiam in interno est irritus, nisi expresse vel aequivalenter effectus ad forum externum coartetur. Non omnes tamen Canonistae de hac re conveniunt. Omnes quidem admittunt in fraudis praesumptione niti legem quae sollemnitatem ad valorem requirit. Sed praesumptio vel *facti* vel *iuris* esse potest. Si est *facti tantum*, absente fraude, actus non sollemnis est validus in foro interiore. Si est *iuris*, etiam absente fraude, actus

(1) Haec etiam canonistis nota sint oportet, praesertim in materia contractuum, pro qua, intra certos limites, ius canonicum nos ad civile remittit, can. 1529.

semper est in utroque foro irritus: lex nititur in praesumptione gravis et generalis periculi fraudis. Hinc, alii semper praesumptionem *facti* haberi contendunt; alii, praesumptionem *iuris* affirmant.

Qua exsistente controversia, et ob difficilem distinctionem inter utramque praesumptionem, alii possessori favendum esse declarant, ante iudicis sententiam, cui, postquam lata est, standum erit (cfr D'ANNIBALE, I, 213; BUCCERONI, I, 223, 4). Nobis, in solis legibus ecclesiasticis praefertur sententia S. ALPHONSI, I, 151, existimantis probabiliorem esse opinionem illorum qui dicunt tales leges fundari in praesumptione *iuris*, seu in communi periculo fraudis et doli, quod periculum semper adest. Neque obicias, S. Doctorem possessori favere, L. 3, 711 et 927, namque ibi versatur in civili materia contractuum et testamentorum. Quando autem agit de legatis piis (III, 925, sub finem) et de alienatione rerum ecclesiasticarum (IV, 187, 5) tenet eandem sententiam quam in L. I, 151. Et recte quidem, quia in iure canonico semper concordandum est utrumque forum, sicut scripsit LUGO *(De iust et iure*, disp. 7, n. 6): « Si leges solum pro foro externo essent (i. e. relicta diversa obligatione in foro conscientiae) non fuisset bene provisum bono communi; nec ad sedandas conscientias, immo ad illaqueandas deservirent ».

Paucis verbis: Plerumque quando actus est naturaliter validus et iuridice invalidus;

a) In *materia civili* effectus legis naturalis observandus est in foro interno; in foro autem externo, effectus legis positivae;

b) In materia canonica, in utroque foro lege positiva standum est.

Hactenus de sollemnitatibus. In posterum materias affines tractare nobis in animo est.

F. S. *Vic. gen.*

An valida esse possit assistentia matrimonio mixto hodie praestita, non obstante cautionum omissione et deficientia iustae gravisque causae.

1. Ut vis huius quaestionis perspiciatur, duo prae oculis retinenda sunt, quae in iure apertissime constant. I. Matrimonium inter partes ambas baptizatas, quarum altera profitetur fidem catholici baptismatis, altera vero sit adscripta sectae acatholicae, etsi ab Ecclesia severissime prohibetur, non tamen est per se invalidum. Quamvis enim lege divina vetitum sit tum formaliter cooperari acatholico in sacramenti confectione, tum sese et prolem nascituram temere exponere periculo proximo perversionis, haec lex tamen non eo usque urgetur sive ex se sola, sive ex iure positivo Ecclesiae, ut, si spreta fuerit, eo ipso actum faciat irritum.

2. Equidem sicut disparitas *cultus* inter infidelem et catholicum non solum necessitati sacramenti adversatur, uti docuit S. Thomas (1), sed etiam perfectae unitati consortii coniugalis et propagationi servorum Dei, quae eidem competunt in officium naturae: ita sin et magis, duplici huic fini detrimentum affertur diversa *fidei* vel solius professione: quod ab antiquo agnitum est in Ecclesia (2) et nostra praesertim aetate lugenda experientia demonstrat. Quocirca notus est canon Concilii Trullani (a. 692) quo non minus haec fidei quam illa cultus discrepantia valori nuptiarum obstare statutum fuit. Occidentalis tamen Ecclesia, tum ut sacramenti unitas incolumis servaretur inter coniuges ambos baptizatos, tum ne occasio facilior

(1) In Supplem. Summ. Theol. 0. 59, A. 1. ad 5.

(2) Albizi, *De inconstant. in Fide,* Cap. XXXVI, n. 178, 179. Ubi citatur etiam s. Ioann. Chrysost. In Homil. 30 in Matt.

praeberetur invaliditati nuptiarum quae fere nequeunt evitari in assiduo commercio familiarum diversae religionis, nunquam admisit quoad mixta connubia, hunc disciplinae Trullanae rigorem. Quemadmodum neque ab initio propagationis Evangelii inter gentes, ne validitati nuptiarum obstare videretur, noluit irritare connubia fidelium cum infidelibus: ita eadem ratione, crescente usque multitudine haereticorum et schismaticorum in Ecclesiae sinu, coacta fuit mixta connubia illicita tantum proclamare normasque edocere fideles removendi pericula fidei et moribus impendentia, si ex rerum vicissitudine ea toleranda esse videret.

3. Revera cooperatio illa in mutua sacramenti administratione fieri potest materialis tantum ex parte nupturientis catholici relate ad peccatum alterius acatholici, sique graves urgeant causae, ab Ecclesia permittitur; similiter proximum perversionis periculum remotum fieri potest non solum omisso matrimonio, sed etiam debitis cautionibus adhibitis in eo ineundo. Imo ad praevenienda maiora scandala, Ecclesia quandoque aestimavit quibusdam in locis ubi commixtio catholicorum cum acatholicis in ordinaria vitae consuetudine erat inevitabilis, tolerabilius esse malum mixti connubii, cautionibus illis recusatis, initi, quam valde maius malum et scandalum quod oriretur ex eius invaliditate. Ubi ergo ad hanc validitatem requirebatur *passiva* parochi assistentia, Ecclesia non vetuit ibidem eam adhiberi; quippe cuius effectus iuridicus solus erat valor agnitus initi contractus, nequaquam vero cooperatio formalis aut approbatio connivens peccato nupturientium, quod totum ipsis solis erat imputabile. Quot mala et peccata gravissima Ecclesia hodie praesertim, exercitio sublato potestatis coercitivae quae plene ipsi competit, cogitur tolerare, ne peiora damna inferantur!

4. Unde manifestum est hanc gravissimam causam

semper exigi maioris mali avertendi, ut Ecclesia nedum licite tantum sed et valide potuerit, tolerando flagrantem violationem legis divinae in matrimonio mixto absque cautelis illis inito, iuridicum validitatis effectum ei ex parte sua adhibere *passiva* illa praestita assistentia.

5. II. Alterum quod maxime interest recolere in praesenti, consistit in cura indefessa qua Ecclesia nullum omisit medium ut fideles averteret a mixtis nuptiis ineundis; dum perspectam habebat moralem impossibilitatem eas generatim irritas ex se statuere, voluit tamen ad validitatem earum, necessitatem inducere formae catholicae celebrationis, unde indirecte saltem adstringeret fideles ad subeundam Ecclesiae vigilantiam ne absque debitis cautelis et causis, se sinerent ab acatholicorum seductione in eas implicari.

6. Equidem et fides tepescens catholicorum et crescens usque nedum multitudo cuiusvis generis sectariorum sed et pervicax arrogantia, coegerunt Ecclesiam praecipue ab aetate Benedicti XIV, ut in multis locis ne invalida pullularent connubia inter baptizatos, exemptionem concederet a Tridentino clandestinitatis dirimente impedimento pro mixtis istis nuptiis.

7. Atvero diebus nostris, cum effective fuisset demonstratum ex benigniori illa disciplina, tantum abesse, generatim loquendo, ut scandala minuerentur, ut potius indifferentismus atque irreligio enormiter diffunderentur spreta catholica prolis educatione, quae etsi praescripta et promissa, plerumque non observatur: cumque sperata diminutio unionum invalidarum vergere videretur in maius fidei morumque christianorum damnum: (1) ideo a vicennio omnia privilegia

(1) Ita N. Farrugia O. S. A. *De matr.* n. 131: « Ex recensione ab ipsis protestantibus facta Stat. Amer. Foeder. sexaginta sex iuvenes per centum, ex matrimoniis mixtis nati, nullam colunt religionem; dum, quando ambo parentes

sive leges particulares coeptae sunt aboleri quae mixtis nuptiis favebant relate ad requisitam testis qualificati in Ecclesia catholica aliorumque testium assistentiam, et forma eadem quae matrimonio catholico substantialiter exigitur, illis etiam ad validitatem imposita fuit, uti constat canonibus 1099 § 1, 1^0 et 2^0 et 1102 § 1.

8. Praescriptum huius hodierni canonis 1102 § 1, ut scilicet parochus assistendo matrimoniis mixtis requireret exciperetque contrahentium consensum, iam anno 1908 in promulgatione Decreti « Ne temere », generaliter neque ulla facta distinctione sancitum fuerat art. IV ad assistentiae validitatem. Imo expresse definitum fuerat responsione ad III, idipsum valere etiam pro matrimonio mixto, a Congregatione plenaria d. 27 Iulii, 1908. Cum tamen, uti expresse legitur in Act. Ap. Sedis, IV, pag. 444, graves in praxi ortae essent difficultates relate ad mixtas nuptias in quibus, denegatis pervicaciter a partibus debitis cautionibus, Sancta Sedes, attentis peculiaribus quorumdam locorum circumstantiis, *materialem tantum parochi praesentiam,* per modum exceptionis ac veluti ultimum *tolerantiae* limitem, antea aliquando permiserat: Suprema Congregatio S. Officii, decreto d. 21-23 Junii 1912, probante Summo Pontifice, statuerat praescriptionem supradictam art. IV § 3 Decreti « Ne temere » in matrimoniis illis mixtis absque cautionibus sic toleratis, locum posthac non habere, sed standum taxative praecedentibus S. Sedis concessionibus ad rem et instructionibus: nimirum, sicut dictum fuerat in litteris

---

sunt catholici, octo per centum religioni valedicunt... Iuxta computum factum in regno Wurtemburgensi, pro 1464 matrimoniis mixtis, 819 celebrata sunt coram ministro protestantico, 229 mere civiliter et 416 dumtaxat ritu catholico; pro 3683 prolibus sexus masculini e mixtis nuptiis natis, 2131 educantur protestantice, 388 non sunt baptizatae et 1164 educantur in religione catholica ». Hae computationes factae fuerant, 16 vel 18 ante annos; nec puto hodie diminui in favorem religionis catholicae.

Gregorii XVI ad Episcopos Hungariae, d. 30 Aprilis 1841 (1), « parochus... poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes ageret meri *testis,* ut aiunt, *qualificati,* seu *auctorizabilis*, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat ». Assistentia nempe quae dicta est *passiva,* ideo praecise, uti superius animadversum est, quia relate ad sacrilegam sacramenti confectionem mutuo a contrahentibus sibi invicem ministratam, omnino materialiter se habebat, neque ullum alium iuridicum effectum nanciscebatur, praeter actus validitatem; imo ipse iste insuetus agendi modus erat positiva exclusio cuiusvis approbationis vel conniventiae ex parte Ecclesiae; et Papa Gregorius publicis suis litteris protestatus fuerat se ad hanc *tolerantiam unica de causa adduci seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae catholicae incommoda obvenirent.* (2)

9. Haec itaque extraordinaria atque exceptionalis assistentiae passivae disciplina servanda fuit quamdiu a S. Sede aestimatum fuit malum huiusmodi tolerandum, ne maiora impenderent. Porro paulo post Decretum « Ne temere » et deinceps usque ad Codicis promulgationem, mens S. Sedis, uti notissimum est, se prodidit usque magis alienam a quavis sive generali sive particulari dispositione quae matrimonio mixto sustinendo videretur conducere, et in ipsis singularibus admittendis dispensationibus quotidie se praebet difficiliorem, omnem quaeritando modum praeveniendi tractatus qui in ipsum concluduntur, aut

(1) Collect. P. F. I, n. 920.

(2) D. 5 Augusti 1916 declaratum est a S. Off. hanc assistentiam passivam pro solis locis adhiberi posse, pro quibus expresse concessa fuerat; alibi matrimonia sub ea inita, esse nedum illicita, sed etiam invalida (Act. Ap. Sed. VIII, pag. 316).

praevia instructione praescripta, adducendi partem acatholicam ad conversionem, antequam contractum ineat. (1)

10. Dum igitur hodiernis Codicis I. C. praescriptis et tolerantia matrimonii mixti, omissis cautionibus, et passiva illa assistentia sunt pro quovis loco penitus abolitae, nequaquam otiosa videtur esse quaestio ab initio posita, utrum nempe assistentia sive nefarie, sive ex crassa ignorantia, a parocho neglectis omnibus cautionibus ac deficiente gravi causa, matrimonio mixto praestita ad tramitem canonis 1102 § 1, possit efficere ut *illicitus solummodo* non vero etiam *invalidus* sit actus ita attentatus.

11. Et affirmativa sententia videretur exinde posse sustineri, quod deficiente dispensatione ab impedimento mixtae religionis, matrimonium non irritatur, sed per se tantum impeditur tamquam illicitum : unica vero ratio invaliditatis quae obvenit ex defectu formae substantialis, in casu ex hypothesi non videtur intercessisse, cum legitimus parochus fecerit interrogationes de consensu secundum praescriptum can. 1095. Nec peccatum subiective admissum ab huiusmodi parocho magis officit validitati actus, quam officiat validitati sacramenti in reliquis rite collati, indignitas ministri subiectiva.

12. Atvero gravissimae rationes in contrarium urgeri iure meritoque possunt. Primo, constans est apud DD. nostros assertio absoluta, « quodsi uti scripsit Wernz, IV, n. 583, prohibitio *legis divinae* in casu particulari non est sublata, a nulla potestate humana licita et VALIDA dispensatio super impedimento mixtae religionis *quatenus nititur iure divino*,

---

(1) Qua de re omnino legendum egregium opusculum, cui titulus: Efficax antidotum ad matrimonia mixta praecavenda, Auctoribus P. M. V. Kelly, O. S. B. et Canonico J. B. Géniesse. Romae, F. Pustet, 1923.

concedi potest » (1). Quae assertio deducitur ex declaratione expressa S. Sedis, in multis instructionibus et litteris iterata (2), dispensationem non concedi a lege ecclesiastica prohibente nisi in tuto positae omnino sint CONDICIONES QUAE IURE NATURALI ET DIVINO REQUIRUNTUR. Id porro Codice sancitur collatis canonibus 1060 et 1061 § 1; atque in facultate quae delegatur sive Ordinariis, sive Nuntiis, semper intelligitur huiusmodi condicio s. q. n. exercitii concessionis.

13. Mens igitur S. Sedis proditur apertissima, ut remotum omnino sit quodcumque periculum violandi ius divinum, concessione dispensationis ab impedimento iuris Ecclesiae. Ideoque recta illatione scripsit citatus P. CAPPELLO, « Nec dispensatio licita et *valida* super huiusmodi impedimento, *quatenus nititur iure divino,* concedi potest a Romano Pontefice » (3).

14. Revera constat in aliis etiam materiis, S. Sedem diligentissime cavere ab huiusmodi periculo, quamvis probe sciat se facultate divino-ministeriali *interpretandi* ius naturale esse praeditam: ita v. gr. non attentat solutionem vinculi matrimonii rati, nisi omnino constiterit de facto non consummationis eiusdem et de causa proportionate gravi; non dispensat in 1^0 gradu consanguinitatis in linea collaterali, quam-

---

(1) Consonant Vidal, *De matr.* n. 175; Fel. Cappello, *De matr.* n. 309; Ios. Creusen, in Epit. II, n. 306.

(2) Referuntur a multis auctoribus, Cf.. sis, Vidal, l. c. n. 177, nota 2.

(3) Neque intellegitur cur Wernz, contentus fuerit *seponendi* solum quaestionem de possibilitate huius dispensationis in S. Pontifice, tamquam *inutilem*, eo quod *de facto* numquam dispensat in casu. (Ibid. n. 583, nota 24; sicut et Vidal. l. c. n. 175, nota 21). Nisi quod non defuit qui existimaret dispensationem a Summo Pontifice concessam SINE IUSTA CAUSA fore quidem illicitam, sed validam (Gasparri, *De matr.* n. 455 in fine). Quod quidem verum esset si in tuto positae essent condiciones iure divino requisitae, quia impedimentum urgeret solo humano Ecclesiae iure. Sin vero, aperte falsum esset. Neque obiici potest concessio supra relata assistentiae passivae, partibus etiam renitentibus a praestandis cautionibus: nam propter gravissimam causam evitandi graviora mala, NON QUIDEM CONCEDEBATUR DISPENSATIO, sed tantum *tolerabatur* unio nefaria, sublata eius invaliditate.

diu dubium positivum substiterit de hac cognatione (can ; 1076 § 3). Non enim ex plenitudine charismatis Vicario Christi D. collati, argui potest facultas dispensandi in huiusmodi lege vel secundaria iuris divini, nisi reapse constiterit de eiusdem concessione, saltem a posteriori ex facto exercitii potestatis, protracto a Summo Pastore cui Spiritus Sanctus iugiter assistit.

15. At si ita est, si nempe ipsa concessio dispensandi a lege humano-ecclesiastica impedimenti mixtae religionis, solummodo impedientis matrimonium, valida non est, omissis praedictis clausulis, praetermissave gravi causa, idque ob periculum violandi legem divinam clausulas illas et causam requirentem, nonne a *fortiori invalida* dicenda erit ipsa *activa* assistentia a parocho adhibita matrimonio mixto, spretis cautionibus, ac deficiente causa iusta et gravi ?

16. Sedulo advertatur neutiquam ista conclusione transitum fieri illegitimum atque illogicum ab invalidate *impedimenti* ecclesiastici *impedientis* tantum, in praemissis, ad ipsam *matrimonii* invaliditatem in conclusione, adeo ut syllogismus quatuor terminis sophistice componeretur: — in conclusione enim non asseritur immediate nullitas *matrimonii,* sed invaliditas *assistentiae activae,* ex qua invalidate sequitur matrimonium iniri absque forma substantiali requisita can. 1099 § 1, 2^0 ; ideoque invalide ex hoc formae substantialis defectu, qui ante innovatam Codicis nomenclaturam, appellabatur *impedimentum clandestinitatis.*

17. Porro sufficit ut in propatulo ponatur veritas et necessitas huius illationis quae emergit ex supradictis. Hodie ex canone 1102 cui certe non refragatur S. Officium, ad valorem assistentiae activae requiritur inter alia, ut parochus seu testis qualificatus REQUIRAT EXCIPIATQUE CONTRAHENTIUM CONSENSUM ; atque in eo consistit una ex substantialibus discrepantiis quibus S. Sedes in condendo art. IV § 3^0 « Ne temere », vo-

luit penitus excludere possibilitatem matrimonii ex inopinato contracti adhibita passiva illa testis qualificati assistentia, quae sub regimine Tridentino, validati actus sufficiebat, ad excludendam clandestinitatem. Nimirum ad valorem assistentiae hodie requiritur 1^0 ut sit omnino ultronea, exclusa quacumque vis aut metus coactione, quod est elementum *negativum* modi requisiti; 2^0 ut active exerceatur provocando atque ex officio suscipiendo mutuum contrahentium consensum: quod elementum est *positivum* modi substantialiter requisiti. « Dum itaque ad validitatem assistentiae exigitur, sicut egomet scribebam novemdecim ante annos (1) ut testis qualificatus *requirat* atque *excipiat* nupturientium consensum, aperte significatur exigi ut nomine Ecclesiae, in eius ordine *publico et sociali,* assumat actum ab eis confectum atque *excipiendo* ipsum in *fieri* suo, reddat ipsum publicitate et solemnitate praescripta investitum ».

18. Parochus quidem in praesenti, partes agit *notarii,* i. e. « personae ab auctoritate publica constitutae ut acta... ab ipsa conscripta fidem faciant » (2). Attamen, praeter hanc partem officii quae nullatenus influit in ipsum actum a partibus peractum, *activa* cooperatio eidem praestanda heic attribuitur, non iurisdictionalis sed mere administrativa. Hac lege igitur completum fuit votum inter alios a P. Wernz manifestatum anno 1904, dum scribebat (*Ius Decretal.* vol. IV, n. 190, nota 273): « Ex natura rei nihil obstaret quominus Ecclesia solemnes illas interrogationes et responsiones in Rituali Romano ad *licitam* celebratio-

(1) In opella, *Analysis theologico-canonica Decreti « Ne temere ». Romae,* 1909. Pag. 241.

Atque ibidem in nota 50: « Qualicumque forma exprimatur ista quam dicerem provocatio facta a ministro Ecclesiae, valebit; ipse *requirendo* invitat et inducit veluti in aulam publici fori Ecclesiae sponsos ad actum ineundum; ipsum deinde *excipiendo* dum fit, agnoscit uti publicum ac publici iuris ».

(2) Vidal, *De processibus* (a. 1927), n. 102 et nota 48.

nem nuptiarum statutas, requireret ut solemnitates *essentiales*... Qua disciplina instituta, parochi, qui nunc in ordine ad *valorem* matrimonii sola sua assistentia passiva interveniunt, sed contra improvisas nuptias et sponsorum dolos sunt fere inermes, melius essent protecti ».

19. Finis equidem a S. Sede intentus in hoc condendo articulo Decreti « Ne temere » fuerat expresse significatus ut matrimonia ex inopinato abolerentur; ad quem consequendum profecto iam satis contulissent alia huius commatis verba: « dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti », quippe quibus assistentia plene ultronea exprimebatur; verum sub eadem particula validitatem essentialiter denotante, *dummodo*, non sola illa clausula coactionem excludens et alia postulationem exigens sponsorum, continentur, sed etiam haec parochi activa requisitio et susceptio: ad finem scilicet obtinendum nedum duo media exiguntur sed insuper etiam tertium quo activa parochi cooperatio quam maxime urgetur.

20. Imo in Canone rogatio et invitatio Decreti « Ne temere » articulo expressae, apposite omissae sunt ut insistatur praecipue in ultronea et activa parochi ipsius intromissione (1).

21. His itaque sedulo perspectis, videtur ineluctabiliter admittenda conclusio superius enuntiata: Sanctam Sedem nedum velle sed ne posse quidem validam et ratam habere assistentiam a parocho attentatam matrimonio mixto, non obstante completa omissione cautionum iure divino requisitarum, iustaque et gravi causa deficiente; ideoque matrimonium istud

(1) Cfr Vermeersch, *De forma Sponsalium et matrimonii*, Edit. 3a, 1912, n. 46, ubi, etsi paulo timidius, eamdem necessariam exhibet interpretationem, aliis adscitis, Besson, Boudinhon etc. Idem in tract. mor. de Matr. (1923) n. 795, 7, loquitur magis categorice. Ita etiam Creusen, Epit. 1 II, n. 394. Nec videtur posse calculus adiici oppositae opinioni ab aliquo confusius insinuatae.

fuit invalidum ex capite formae substantialiter deficientis, ad tramitem canonum 1102 § 1 et 1095 § 1, n. 3.

Videat igitur eruditus lector num quidquam defuerit in consequentia huiusce assumptae thesis ex allatis et probatis praemissis.

22. Libentissime suscipio tres difficultates huic meae qualicumque conclusioni obiectas a viro peritissimo, ex quarum solutione nescio utrum consequentia eiusdem conclusionis, potius quam infirmetur, non validius corroborari videatur.

I. Supponamus acatholicum baptizatum et catholicam in regione ubi missionarius catholicus bis tantum vel ter in anno praesto esse potest, matrimonium inire coram duobus testibus, cautionibus penitus omissis: Quis porro diffitebitur validitatem huiusmodi connubii?

Resp. Transmitto totum: casus quippe est exceptus canone 1098, 1°, a requisita per canones 1102 et 1095 praesentia activa parochi ad validitatem actus.

Iam vero conclusio mea totam invaliditatis rationem desumit praecise pro casu in quo parochus **non deficit,** ex recusata Ecclesiae ratihabitione *actui* quem ille eius nomine attentat. Exceptio canonis 1908 confirmat meam explicationem in oppositum.

23. II. Codex clare requirit ut casus nullitatis sint maxima praecisione expressi. Atqui in allata hypothesi parochus, etsi illicite, posuit omnes condiciones canonibus citatis requisitas ad valorem assistentiae.

Resp. Iam distinxi: materialiter ponit: utique; formaliter, prout exigit *ex rei natura, activa* assistentia *expresse* requisita canone 1105 ad valorem actus: Nego.

24. III. Codex non exigit nisi facti positionem. Haec autem habetur in opere istius parochi, sicut v. gr. habetur in sacrilega administratione sacramenti, sacramentalis.

Resp. 1° Nego paritatem: sacramentum sanctificat

ex opere operato; sacramentale efficax est aliquatenus etiam ex opere operato; porro aliud prorsus est quod Ecclesia velit **in bonum fidelium** ratificare supplicationem factam suo nomine a ministro indigno; aliud quod ipsa velit, positive ratificare *activam sibi* susceptionem actus socialis **legi divinae contrarii.** 2^0 itaque, uti iam distinxi: Ecclesia exigit positionem facti **suapte natura** ab ea ratificabilis, sensu explicato; non vero iuri divino contrarii indeque ratificationi omnino inapti nomine Ecclesiae.

25. Ceteroquin longissime absum in praedicta discussione, ab imponendo cuiquam meo sensu. Omnes libenter susciperent authenticae declarationem, quae profecto opportunitate non careret.

A. M. D. G.

Romae, die 9 Augusti, anni 1928.

G. ARENDT S. I.

De Imperfectione et veniali peccato

De argumento quod hodie tantopere controvertitur, visum est lectoribus nostris binas praestare disputationes quae, a duobus auctoribus conscriptae, nec respectu sub quo res considerantur, nec ipsa conclusione inter se vere conveniunt, communi tamen studio veri et intentione quaedam utilia suppeditandi legentium meditationi propositae sunt.

Disputatio prior

De Imperfectione et veniali peccato animadversiones quaedam.

Quaestio est, hisce nostris diebus non semel ventilata, utrum possibile sit, citra peccatum veniale, actionem ponere, quae, omnibus perpensis, ab agente

deprehendatur ut sibimetipsi minus bona, moraliter loquendo, quam alia actio quam non ponit.

Negativa responsio nonnullis evidens visa est, idque, ut fatemur, propter rationes non spernendas. Nobis vero non ita ; illudque ipso initio declarandum putavimus, non quidem per modum theseos, sed quasi introductio quaedam, qua posita melius dijudicentur sequentia.

Circa rem tam saepe examini subjectam, nec necessarium nec utile habuimus disquisitionem scholasticam instituere completam ; eo magis quod, in tam ampla materia, non omnia nobis, in praesenti, comperta sunt. Liceat ergo nobis, paulo minora canentes, animadversiones tantum quasdam proponere, quae aliquam lucem quaestioni afferent, si idem aliis evenerit quod et nobis.

Modus ponendi quaestionem.

Illud ergo primo advertamus, imperfectionem, nisi statim inter peccata obtrudatur, inter actus bonos et, positis debitis, meritorios, collocandam esse. Frustra enim excogitaretur medium quoddam inter actus humanos bonos et malos, modusque quidam novus moralitatis internae, qui nec ad laudabile pertineret, nec ad peccaminosum, immo nec ad indifferens, supposito quod detur ; et inter haec omnia claudicaret.

Unde fit ut inter actus bonos, et Deo Christoque gratos, locus sit imperfectioni exquirendus, quia, ut dictum est, si non ibi sit, nullibi erit. Eo ergo devenit quaestio ut examinandum sit, quis iste possit esse locus, et quomodo, in hoc ordine boni, duo possint esse species, seu potius, ut verius et confusius loquamur, « varietates » : perfectiones videlicet, si ita loqui fas est, et imperfectiones ; et in quo illae duae differant ab invicem.

Quo in examine, illud primum lumen affert, quod in ordine opposito, scilicet, in ordine mali, statim,

omnibus consentientibus, duae apparent « varietates », id est peccata mortalia et peccata venialia. Unde sponte idea oritur consimilem et analogam inducere, in ordine boni, distinctionem. Dicendum ergo foret, hominem, sicut dupliciter a fine divertere potest, perfecte scil. et imperfecte, seu mortaliter et venialiter, ita et ad finem dupliciter posse actu tendere, perfecte scil. et imperfecte. Et, sicut veniale et mortale non videntur esse simpliciter species, sed differre in ipsa ratione analogica confusa culpabilitatis seu diversionis a fine, ita « perfectiones » et imperfectiones differre dicendae sunt in ratione boni et conversionis ad finem, ut statim dicetur. Qui modus quaestionem ponendi possit, more arithmetico, nec tamen ab usu scholae alieno, sequenti exprimi schemate :

$$\frac{\text{veniale peccatum}}{\text{mortale peccatum}} = \frac{\text{imperfectio}}{\text{« perfectio »}}$$

Proportionalitatem istam (non aequalitatem) inducimus, non tantum velut unicum, nostro saltem judicio, medium ponendi quaestionem, sed etiam velut probationem aliquam, etsi non decisivam, tamen haud praetereundam. Rationi enim consonum apparet, eandem imperfectionem ontologicam naturae humanae eosdem gradus intensitatis, vel vehementioris, vel remissioris, introducere debere in humano modo volendi, tum in via rectitudinis, tum in via perversionis. Objectionibus menti forsan occurentibus, praesertimque desumptis ex principio illo noto « malum ex quocumque oriri defectu », solo progressu nostrae inquisitionis, ni fallimur, satisfiet.

Casus frequentior.

Casum ergo consideremus quo electio homini datur inter plures modos agendi, qui omnes, non tantum objective boni supponendi sunt, sed etiam omnes subjective ut boni apprehensi, quippe qui

omnes relati ad finem ultimum hominis. Omnes proinde actus erunt alicujus virtutis moralis. Secus, ut jam dictum est, versamur extra quaestionem.

Sed, simul apparet non omnes aeque recta via neque aeque plana, ad praedictum finem ducere, virtutesque, quarum actus sunt, non eadem dignitate praeditas esse. Siquidem virtutes, licet omnes valde bonae sint, non omnes tamen eumdem merentur honorem, cum inter ipsas, velut regina, prima incedat caritas, reliquaeque sub ipsa variis gradibus ordinentur, pro majore minoreve distantia suorum objectorum formalium ab objecto formali caritatis.

Notetur autem, quod spectat ad talem comparationem, eam non semper facilem esse: immo de se difficilem. Casus enim qui possit excogitari et qui omni careret negotio, vix unquam evenire potest. Casus esset quo bona eligibilia pertinerent omnia ad eamdem speciem ultimam et inter se tam similia essent, ut nonnisi quantitate differre viderentur. Puta exemplum negotiatoris, cui proponerentur varia lucra, cunctaque pecuniâ aestimabilia. Sufficeret ipsi, ad discernendum quodnam lucrum praeferendum sit, simplex operatio mathematica, qua tandem bonum majus quadam summa pecuniae alia anteire appareret, reliquaque non esse nisi perditionem hujus summae. Sicque, bonitate minorum per talem comparationem quasi suppressa, electio, tandem aliquando, non daretur nisi inter aliquid (id est excessum boni majoris prae caeteris), et nihil (1). In quo, evanescente altero membro comparationis, ipsa ratio deficere videtur electionis.

Notetur insuper casum qui de facto frequens est, difficultate non carere. Electio enim esse solet inter bona diversa, et quidem diversa diversitate profunda.

---

(1) Sub aliqua tamen boni ratione eligi potest ipsa *omissio* actus.

Ratio enim boni, in qua sola omnia communicant, analoga est, sicut et ratio entis, cum qua convertitur. Omnia quidem bona exprimit, quippe quae non sit aequivoca; et ideo, per ipsam, comparatio semper instituí potest inter bona. Sed bona non exprimit omnia, nisi indeterminate prorsus, quippe quae non univoca sit, differentiasque genericas et specificas includat confuso modo; et ideo, per ipsam comparatio nequit institui perfecta.

Sit ergo alicui homini, electio inter plures actiones bonas, duas dicamus, perspicuitatis causa, vg. ut saepe erit, actum oboedientiae vel caritatis erga Deum, ex una parte, et, ex alia parte, actum prudentiae vel eutrapeliae vel moderatae curae valetudinis; supponamusque, omnibus rite perpensis, actum primum (A), apparere isti homini ut, in se, sibi magis bonum quam secundum (B).

Haec comparatio quidem juxta praedicta, facta est taliter qualiter, sed bono validoque modo, per reductionem quamdam ad rationem boni, formaliter spectati. Quod si homo agat juxta hanc apprehensionem et eligat A, sine dubio, in hoc perfecte aget.

Nodus quaestionis.

Sed hic praecise oritur nostra difficultas. Sic ergo evolvamus casum.

1) An debet homo diudicare de bonis sub generaliori ratione boni moralis. An est deordinatio, si diligat bonum, non ut praecise bonum, sed ut est *tale* bonum? si v. g. prudentiam amet, non quia virtus est, sed quia est prudentia, quae virtus est. Non amat tunc nisi bonum. Amor ejus boni revera non est tam perfectus et tam generalis quam si diligeret bonum ut sic. Sed honestus tamen est. Quod clarius evadet comparatione cum detestatione mali in confessione; cum omnibus fatentibus, sufficiat in confessione horror illorum tantum peccatorum quae commissa sunt, prop-

ter particularem ipsorum malitiam. Praesens distinctio, ut patet, inter amorem boni ut sic et boni ut est tale bonum, nequit psychologice tam totalis esse ut unus alterum complete excludat. Sufficit, ad argumentationem nostram, ut unus alterum sic praecellat ut revera definitive in volitionem influat.

2) Ulterius progrediendo, dicendum nunc est hominem nostrum, si non pure ipsissimam rationem boni diligit, sed, ut ita dicamus, taleitatem boni, posse sic secum cogitare. « Bonum A, est quidem, ut bonum, majus; sed bonum B, ut est bonum prudentiae, mihi magis placet, et id eligo ». In hoc, nec offendit bonum A, nec offendit rationem boni, nec quidquam vult nisi bonum. Ergo bene agit, licet minus bene, et facit imperfectionem formalem.

3) Sed hic occurrit objectio. Potestne homo sic deficere ab exquisitiori moralitate, et quidem conscie, — vel ut generalius loquamur et magis ad casum, potestne homo id eligere quod sibi minus bonum videtur, quin agat contra rationem suam, et consequenter, quin peccet. Quaeritur enim qua ratiocinatione justificari sufficienter possit talis deficientia in prosecutione boni. Iam vero apud omnes constat, rationem normam esse interiorem judicans ultimo de moralitate, ita ut malum morale illudomne dicendum sit, quod, vel tenuissime, contra rectam rationem facit.

In hac obiectione, maior nobis prorsus concedenda videtur; sed minor non ita. « Quidquid rationi adversatur, peccatum est »; — certe. « Atqui electio minoris boni non est secundum rectam rationem », — Nostro iudicio, dicendum foret talem electionem esse quidem secundum rationem, sed minus, sed imperfecte, et esse ideo imperfectionem, et non peccatum. Non enim — eadem repetere juvat, — non eligit nisi bonum et actum virtutis.

Sed instatur: talem electionem, ex defectu suffi-

cientis iustificationis, non posse apparere nisi irrationalem, et ideo peccaminosam.

Respondemus, primo, parum esse verisimile, ordinem objectivum et subjectivum tam alte differre ab invicem, ut, dum in primo, unanimi consensu, actus dentur plus minusve perfecti, in altero statim peccatum esset quod ut minus bonum deprehenditur et tamen eligitur. Durum videtur dicere, eo tandem vergere actum intellectus circa operabilia, ut per se vituperabilia ostendat, quae, praecisione facta a tali deliberatione, laudabilia sunt. Intellectus enim, potius cognoscitivus objectorum quam mutativus, praedicandus est.

Quod spectat autem ad rationem sufficientem qua justicari deberet electio minoris boni, et quae non possit efformari, cum nulla, saltem laudabilis excogitari possit; quaestio praecise est utrum talis iustificatio, in adiunctis, requiratur. Actus enim de se sufficienter honestatur, cum nihil nisi bonum praetendat, et cum bonitas sui obiecti non tollatur propter bonitatem maiorem bonorum quibus praefertur. Praefertur autem, non necessario ex perverso affectu, sed ut dictum est, quia diversa bona differunt inter se taleitate sua, et quia idcirco potest aliquis bonum quoddam praeferre quia est *tale* bonum, licet videat illud, in ratione communiori, sed confusiori, boni ut sic, ab aliis antecelli. Deest quidem perfecta intelligibilitas et rationabilitas actus, et actus collocandus erit inter imperfectiones; quod ultro fatemur, immo et statuimus; sed quaestio est utrum ab homine, qui est ens tam imperfectum in ordine intelligentiarum, stricte requiratur *perfecta* actuum iustificatio rationalis, et utrum ab eodem, qui natura sua tantopere deficit ab ontologica perfectione, obligatio absoluta detur semper illud faciendi, quod optimum apparet.

Revera, ut nostram liceat etiam in hoc aperire sententiam, homo, sicut nec perfecte ens est, ita nec

perfecte unus est, cum unum et ens convertantur. Quae deficiens unitas, sicut afficit suum modum essendi, ita et suum modum volendi afficiat necesse est; et hoc, non tantum obiective, scil in ratione finalitatis ut obiective apparentis, sed etiam, cum praesertim haec duo sibi invicem respondeant, in suo modo finalitatem istam cognoscendi et persequendi, seu subiective (1).

Notae consectariae.

Ut plerumque, electio minoris boni fiet, quia magis facile est vel magis arridens. Actus erit, si haec inquisitio facilitatis vel delectationis ordinata sit, virtutis prudentiae, vel alicuius similis. Cum autem in istiusmodi adiunctis, sensibilitas conspiret cum ratione, saepe fiet ut, de facto, motivum virtutis non sit nis larva qua simplex appetitus inferior, isque forsani deordinatus, dissimuletur, modo plus minusve conscio Frequenter ergo fiet, tum hac de causa, tum propter causas alias, ut electio minoris boni non sit, de facto, nisi capitulatio quaedam conscientiae et actus interni cujusdam vitii, et, idcirco, peccatum. Sed tunc, nostra saltem sententia, culpabilitas illa orietur, non ex formali ratione electionis minoris boni; sed titulo extrinseco.

Quod si praedicatores et auctores ascetici imperfectiones graviter carpunt, easque traducunt ut offensiones amoris Dei, vel ut indignum modum Christo tam generoso erga nos vices rependendi, haec, vel de imperfectionibus quae de facto peccata sunt audienda videntur, vel habendae sunt ut oratorius modus animos

(1) Perfecta unitas nobis non datur, et ideo nec bonum nobis proportionatum (seu modus noster Deum amandi) perfecte unum est. Plura ergo dantur bona eaque omnia honeste eligibilia, dummodo sub ratione boni, vel *talis* boni eligantur. Eo devenitur, nostra quidem humili sententia, cum ut malus arguitur actus qui deliberate minus bonum vult, ut in actibus humanis tanta exigatur unitas, quanta fulgent angelici.

ad virtutem impellendi. Neque enim facile tam tenuia distinguuntur, atque, ubi non agitur controversia, « securius loquuntur », ut plerumque, homines. (1)

E. MERSCH, S. I.

Disputatio altera

De imperfectione moraliter imputabili, seu peccato veniali.

I. Introductio.

I. **Quid sint imperfectiones.** Imperfectio definitur *negatio ulterioris perfectionis.* Esse potest pure *negativa,* vel *positiva,* seu *privativa.* Pure negativa est carentia bonitatis quae non debebat subiecto imperfecto inesse vel quae nullam saltem ordinis perturbationem continet: sic, numquam debuimus esse angeli. Ergo carentia perfectionis angelicae est homini imperfectio negativa. Quae autem imperfectiones culpam originalem consequuntur deberent non esse in homine. Quare, si aliquam tendentiam in malum produnt, erunt imperfectiones *positivae.* Tales sunt motus *inordinati* quos voluntas ex infirmitate non cohibet, sed mere patitur: evagationes mentis in oratione, involuntarii motus sensualitatis. Actus non deliberati qui obiective in rem bonam diriguntur cum nulli ordini sint oppositi, inter imperfectiones negativas ponuntur etsi culpam originalem consequantur.

Hactenus quae extra controversiam sunt, sed a proposito nostro aliena manent, cum *originalis* posteriorum imperfectionum imputabilitas in nullam *actualem* transeat.

Loquendo iam de ipsis actibus humanis seu libe-

---

(1) De his, quae hic obiter tanguntur, fusius quantum ad principia generaliora, brevius quantum ab applicationem praesentem, in quodam nostro opere: *L'Obligation morale, principe de liberté.*

ris, satis constat etiam omissiones actuum meliorum qui fugiant nostram attentionem vel non sint in proxima nostra potestate, peccato vacare ac, deficiente positiva inordinatione, ad imperfectiones *negativas* esse in se ascribendas.

Positivas autem imperfectiones dicemus *deliberatas omissiones boni melioris ad quod proxime vocati eramus.* Quo nomine *omissionum* veniunt etiam *actus positivi* quos melius fuisset omittere, sicut in re morali deliberatae *omissiones* inter humanos *actus* ponuntur.

De his autem omissionibus quaeritur utrum mere ut imperfectiones positivae, an ut peccata saltem venialia sint moraliter imputabiles.

II. **Sententiae.** Quaestionem istam ignorarunt S. THOMAS, SUAREZ, qui esse, in ordine morali, quidpiam medium imputabile, quod locum obtineat inter peccatum sive mortale sive veniale, et actionem simpliciter bonam, non videntur suspicati esse.

Saeculo autem XVII, Card. DE LUGO, *De Paen.* d. 3, n. 9-11, formaliter proposuit imperfectiones ut distinctas a culpa nec proin reddentes Deum positive aversun ab homine, nec dignas poena, nec turbantes pacem cum Deo, et tamen quasi *negative* avertentes Deum ab homine, *Eum deobligantes* ad danda auxilia efficacia et uberiora, quorum negatio quasi indirecte poena esse videatur. Quare, quamvis non sint materia sacramenti Paenitentiae, virtus tamen paenitentiae, ut Lugo putat, actum odii circa has imperfectiones exercere potest, venia eorum a Deo postulatur, et satisfactiones pro iisdem Deo offeruntur.

Aequalis laudati Cardinalis, PETRUS PASSERINI, O. P., *De hominum statibus et officiis,* in 2, 2, q. 184 art. 3, haec dubia movit: « An consilium aliquam levem obligationem inducat; — an resistere sanctae inspirationi sit peccatum; — an non facere quod sit

cognitum ut melius in individuo, omnibus pensatis, sit malum ». Primum vero dubium solvit *negative,* sed tractando de solo consilio generali ; alterum et tertium vero dubium solvit *affirmative,* simul insinuando aliquam controversiam, sed tenendo doctrinam quam declarat communiorem discipulorum S. THOMAE, et dissolvendo argumenta quae etiamnum afferuntur pro negativa parte.

In *instructione sacerdotum, etc. seu Summa casuum conscientiae,* L. III, c. 2, n. 5, alter aequalis Lugonis, Card. TOLETUS tamquam non dubia haec affert exempla peccatorum venialium omissionis, « aliquibus divinis inspirationibus non respondere, nec operari aliquod, cum possit quis operari, licet non obligetur ex praecepto » (1).

Saeculo vero XVIII, *Salmanticenses, De vitiis et peccatis,* dub. 1, n. 8 et 9, referunt, spiritualis vitae magistros, ut plurimum, distinguere imperfectionem a culpa etiam veniali, velut mediam inter hanc et actum perfectum. Dein, praemissa descriptione quae satis cum descriptione LUGONIS concordat, imperfectionem istam oppositam declarant consiliis non praeceptis, eamque absolute esse actum bonum contendunt, qui tamen in viris spiritualibus non laudetur sed vituperetur. In tractatu autem de *Paenitentia,* disp. 5, dub. 2, n. 81 et 82, repetita notione imperfectionis quae nec sit mera carentia perfectionis possibilis, nec privatio rectitudinis debitae, sed tantum defectus quidam fervoris, promptitudinis aut quid simile, negant, contra LUGO, imperfectionem istam obiectum paenitentiae esse posse. Demum, in tract. de *Incarnatione,* d. 25, n. 69, tertium describunt imperfectionem, quae nec negative nec privative sed medio modo sit talis, et applicetur

(1) Observes ab ipso *praeceptum* sumi pro eo quod hodie diceremus praeceptum grave. Id constat ex contextu, Postquam praecepta distinxit in affirmativa et negativa, subiungit: « in venialibus etiam aliquando est commissio aliquando omissio, cum actus reperitur inordinatus extra divinum praeceptum ».

actibus bonis qui non habent bonitatem eo gradu ut afferant subiecto profectum in perfectionis gradu, et cum maiore Dei beneplacito respondeant. Dein fatentur actus istos merito reprehendi, aliqua morali indecentia secundum quid infici, recta ratione aliud dictari. Inde t, « ut vix aut aegre possimus inter violationem consilii et peccatum veniale distinguere, illamque ab eius macula vindicare. Sed tamen vere distinguuntur, ut tenet communis sententia ».

Ita explicatur, cur nostris diebus, scriptores theologiae moralis, et iam antea S. ALPHONSSUS, abstinentes tamen a formali quaestionis examine, passim supponant esse morales imperfectiones a peccato veniali distinctas, quae proinde non praebeant sufficientem materiam absolutioni sacramentali. Non pauci tamen suadent ut in confessione accusentur, cum distinctio valde subtilis videatur, et venialis culpa sic dictae imperfectioni facillime irrepat (1).

Simul praeparata est distinctio qua hodie explicite imperfectio *negativa* a *positiva* discernitur, et fervens controversia utrum necne positiva sine peccato veniali esse queat.

Positiva autem non raro appellatur *opus oppositum consiliis*, quod minus feliciter dictum existimamus, vel ut *opus remissum*, quod nec satis complete, nec satis accurate dicitur: nec soli enim neque omnes actus remissi ad positivas imperfectiones ascribi possunt (2). GÉNICOT, *Theol. Mor.*, I, 149, minus feliciter describit imperfectionem moralem, « liberam transgressionem aut omissionem consilii divini ». Negativam autem a positiva hoc modo discernit: « Haec (imperfectio)

(1) L. VI, n. 432 -- IV, S. ALPHONSUS concedit ut condicionate absolvantur « qui aliquas tantum imperfectiones confitentur de quibus dubitatur an pertingant ad venialia ».

(2) R. P. GARRIGOU-LAGRANGE, post Salmanticenses, videtur nobis nimis exclusive ad actus remissos attendisse. Cfr. v. g. *La tendance à la perfection et les actes de charité imparfaits. Revue Thomiste*, p. 337, ss.

dicitur a multis positiva, quando positive repugnatur consilio et inspirationibus divinis, quibus consulitur aliquod bonum non praeceptum; negativa, quando inspirationes istae sunt magis remissae, ideoque illa positiva repugnantia non habetur » (1). PASSERINI, cum loquitur de motionibus divinis, prudenter voce consilii abstinet.

Iam vero, esse actus deliberatos qui tamquam imperfectiones positivae improbandi sint, et simul labe sive mortali sive veniali immunes maneant, hodie negarunt, P. R. HUGUENIN, O. P. tum in *Revue du clergé francais, Imperfection et péché véniel,* t. 53, p. 641-660), tum in *Dictionnaire de Théol. cath.*, verbo *Imperfection ;* — R. P. PRUEMMER, O. P. *Manuale Theol. mor. ;* I, 131, et II, 324, qui conclusionem suam fundat in doctrina S. THOMAE (quae nostra etiam est), non esse actus indifferentes in individuo. Doctrina ista, sic ipse, I, 131, « excludit etiam sic dictas « imperfectiones » ; et II, 324, haec habet : « sic dictae » imperfectiones sunt reapse aut actus mali aut actus boni ; — R. D. RANWEZ, Prof. theol. mor. in Seminario Namurcensi, in *Ephem. Theologicae Lovanienses,* 1926, p. 177, ss; 1928, p. 52 ss ; dum contrarias partes tenent P. LEHMKUHL, S. I., *Theol. mor.* 121, n. 109. 10 ; — R. P. HUERTH, S. I., *Gregorianum*, 1924, 102, ss.; — R. P. GARRIGOU-LAGRANGE, O. P. *Perfection chrétienne et Contemplation,* II, p. 532 ; *La vie spirituelle,* XI, 1923, p. 583 ss ; XIII, 1925, Supplément, p. (85)-(88) ; XV, oct. 1926, p. 1 ss ; *Revue Thomiste,* 1928, 388-411, praesertim, 397 ss ; — R. P. A. SCHELLINCKX, M. S. C., *Ephem. Theol. Lov;* 1927, p. 195 ss. ; — R. P. CATHREIN, S. I., In *Zeitschrift für Aszese und Mystik,* 1928, p. 115-137 ; 221-239. — R. D. MAINIL, in *Collat. dioecesis*

(1) Quaeri potest quid sit repugnantia non positiva. Et nonne melius *certae* et *incertae* ponerentur inspirationes pro *intensis* et *remissis* ?

Tornacens, t. 19, 1923-24, p. 318, ss. temperate consentit cum R. P. HUGUENIN.

III. **Intentio scribendi.** In hac disputatione, propositum nostrum minus contentionis est quam conciliationis. Pro veritate ita dicere conabimur, ut viam felici concordiae sternere incipiamus. In quo consilio confirmati sumus, cum legebamus apud R. P. GARRIGOU-LAGRANGE (1), non fingendam esse nimiam oppositionem ambarum sententiarum, et cum a viro minime rudi theologiae interrogabamur, « Nonne putas auctores minus re quam verbis dissentire » ? Addas, quod etiam in aliis controversiis nimis saepe accidit, in scriptis lucubrationibus, plura tela in ficticios adversarios dirigi, cum sententiae vel conclusiones imputantur quae nullum fortasse patronum invenirent, et quae ab eo saltem qui impugnabatur minime defendebantur. Neque hoc praetereundum est, non omnes alterutrius sententiae defensores perfecte inter se convenire, ita ut confuse omnes pro se adducere vel omnes impugnare liceat ; sed oportet ut de ipsa re pauca tradantur perspicua quae animo praeiudiciis vacuo proponantur et deliberentur; et, si adversarios ; directe adoriri lubeat, ut singulorum placita prudenter singulatim perpendantur. Hoc desideratur v. g. in laudata disputatione R. P. CATHREIN.

II. **Quaedam quae constant praemittuntur.**

I. *Communis est obligatio contendendi ad sanctitatem.* Loquens de sanctificationis opere quod Ecclesia persequitur, S. Pontifex feliciter regnans haec docendo subiungit: « Quod quidem ad modum ea facit suae ipsius naturae congruenter, cum a Christo auctore suo, sancta constituta sit et sanctitatis effectrix, cumque omnes

(1) *Revue Thomiste,* 1928, p. 404. « Pour ne pas exagérer la différence des deux manières de voir ».

qui ea duce magistraque utuntur, ex Dei voluntate ad vitae sanctitatem niti debeant. « Haec est voluntas Dei, rait Paulus, 1 Thess. IV, 3, sanctificatio vestra » ; quam quidem cuius generis esse oporteat, Dominus ipse sic declarat: « Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (Matth., V, 48). Nec vero quisquam putet ad paucos quosdam lectissimos id pertinere, ceterisque in inferiore quodam virtutis gradu licere consistere. Tenentur enim hac lege, ut patet, omnino omnes, nullo excepto ». (Litt. enc. *Rerum omnium*, 26 ian. 1923, de S. Francisco Salesio. (*Per.* 12, 23.)

Quid clarius isto documento, ubi animadvertendum est, obligationem quam S. Pontifex *universalem* esse docet, manifesto non terminari ad aliquem gradum iustitiae, sed afficere ipsam sanctitatem stricto sensu acceptam, nec agi de vitando contemptu gradus superioris, sed de positivo conamine faciendo: Omnes suo modo ad summum positive contendere debent: haec est perspicua vis verborum Pontificis.

Doctrina ista perfecte quadrat ad placita S. Thomae, nisi vim eius verborum callide eludere volueris. « Ad perfectionem interiorem non omnes tenentur; sed omnes tenentur ad eam tendere, quia si quis nollet plus diligere Deum, non faceret quod exigit caritas (In ep. ad Hebr. 6. 1).

— « Qui non semper vellet esse melior, non posset sine contemptu velle » (In Matth. c. 19, circa medium). Ubi iterum observes perfectionem non intellegi definitum quendam caritatis gradum, sed superiores istos gradus possibiles in hac vita. Agit enim S. Thomas de perfectione ad quam non omnes tenentur, dum infimus gradus omnibus necessarius est.

Iterum haec verba S. Thomae sunt perspicua. Idem autem non semel sed pluries tradit, semper distinguendo *assecutionem,* quae non est praecepta, quae

saltem *sine gravi reatu* praetermittitur (2, 2, q. 44 art. 6 ad 2) et *conamen*, pugnam quae exiguntur (2, 2, q. 186 art. 2, c. et ad 2; q. 44, art. 6, c. et ad 2).

Idem demonstratur S. Scriptura. Praeceptum quod sic effertur: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua » (Matth. 22, 37); quod repetit Marc 12, 30 addendo: « ex tota virtute tua », et Luc, 10, 27, addendo « ex omnibus viribus tuis », num re vera hoc solum postulat ut nihil intus foveamus, nihil agere unquam velimus quod sit contra amorem Dei, ut plures hodie explicare videntur? Utique, sicut S. THOMAS observat (1) ad non peccandum mortaliter; sed nonne tanta vi verborum satis manifesto praecipitur positivus affectus et conatus indefinite amandi, sicut locum intellegebat MALDONATUS: « Mihi omnia (huius loci) unum hoc videntur significare: Deum quantum possumus diligamus et omnia quae habemus Illi impendamus ». (Qui locus affertur a KNABENBAUER, in Matth. l.c.).

Idem confirmatur ratione. Etenim:

1. *Si Deum consideramus,* Infinitam amabilitatem Dei non tantum negare vetamur, sed eam positive, etiam pratice agnoscere debemus. Nonne inordinatum esset ut actio nostra cum mentis persuasione non concordaret? Amabilitatem istam actu aequare tamen non possumus. Restat igitur id solum, ut eam agnoscamus practice voluntate semper plus amandi Deum.

2. *Si ad nostram condicionem respicimus,: a)* Sumus viatores et nihil aliud: condicio viatoris est usque progrediendi; — *b) Perfectio* propria nostra dicit complementum nostrum in esse, in dignitate morali, in beatitudine. Qui non aspirat ad perfectionem, non vult plus esse, non vult esse magis dignum, magis beatum. Quomodo haec componerentur cum nostra

(1) 2, 2, q. 44 art. 6 ad 2.

voluntate essendi et essendi beate, quae sane aliquo limite non finitur? Agere autem praeter naturam nostram est inordinatum.

Dices: In qualidet mansione caelesti erimus perfecte beati. — *Resp. distinguendo:* erimus perfecte beati, quatenus nihil in nobis non erit beatum, seu per exclusionem omnis mali, *conc.;* per positivam possessionem omnis boni quod nostrum esse poterat, *Neg.*

Huc facit etiam dictum a Philosopho et probatum Angelico: « In fine non adhibetur aliqua mensura » (2, 2, q., 184 art. 3, c). Quare negotiationem propter lucrum suspectam habet et quadam turpitudine notat, « quia quantum est de se deservit cupiditati lucri, quae terminum non habet, sed in infinitum tendit » et vult ut ordinetur ad finem honestum quo temperetur (2, 2, q. 77 art. 4). Igitur qui recte intendit finem qui est possessionem Dei, ipsa hac intentione moveri debet ut possessionem istam ambiat usque pleniorem.

Inde, etsi substantia praecepti diligendi Deum servatur ab eo qui caritatem certo aliquo gradu colit, nullum tamen gradum sine peccato saltem veniali ab eius intentione excludere potest et nullus modus dici potest cadere sub consilium.

Utar verbis quae valde placent scholae Thomisticae, et a R. P. GARRIGOU-LAGRANGE non semel in locis citatis adhibentur: perfecta caritas cadit sub praeceptum per *modum finis.* Verum sic aequivalenter profertur obligatio tendendi ad perfectionem.

Fac tamen advertas caritatem quidem esse finem praeceptorum, sed eam simul ordinari *ut medium* ad possessionem Dei, atque ut talem cadere *sub praeceptum.*

CAIETANUS, in 2, 2, q. 184 art. 3, id perbelle exponit fere hoc modo. Teste ipsa Scriptura, caritas est finis praeceptorum. Consequenter praecipitur ut finis. Inde sine mensura appetenda est. Cadit tamen etiam sub praeceptum, quia ipsa est « ad finem qui Deus est ». Quod autem cadit sub praeceptum, commensu-

rate ad finem appetendum est. Deus autem, qui finis est caritatis, infinitus est. « Ideo non est mirum si caritas quae ut quid proximum ad finem infinitum praecipitur, sine mensura praecipitur.... Commensuratum enim infinito nihil magis est quam quod sine mensura est. » Quia tamen etiam cum minima caritate finem consequemur, si minimam saltem caritatem teneas, substantiam praecepti servaveris, ut ex CAIETANO, in 2 2, q. 186 art. 2 accipimus; sed voluntas servandi sola necessaria est peccatum veniale, quatenus animum contra profectum firmat.

Ast dices: Nonne potuit Deus, sicut Ipse non elegit optimum mundum, permittere homini similem electionem boni non melioris, ita ut, salva substantia ordinis et servatis praeceptis particularibus, sibi praefiniat modum perfectionis seu beatitudinis suae ad quam contendere velit?

Resp. Id homini simpliciter permittere Deus non potuit, quia id sapientiae suae repugnaret. Etenim Ipse dedit homini lumen rationis appetitu sequendum. Praefinitio autem modi nulla ratione approbaretur. Cur homo gradum sisteret in via ad Deum possidendum? Propter aliud bonum? Hoc nullum est; vel absurde, contra naturalem voluntatis inclinationem, anteponeretur positivae bonitati maioris beatitudinis seu perfectionis; quia maior hominis perfectio maiorem dicit cognitionem et amorem Dei, seu maiorem Dei Gloriam exteriorem. Iam ipsa gratitudine cogimur ad usque maiorem Dei Gloriam aspirare. Redit praeterea argumentum de intentione finis, quae, secundum rectam rationem, mensuram non partitur.

Deus quidem modum bonitatis mundo praestituere poterat, quia, ut scripsimus *Theol. mor.*. I, n. **440,** solus Deus satisfacit condicionibus requisitis ut sine ulla inordinatione amplectatur quod minus perfectum est; i. e. a) ut non optet pro minore bonitate sibi intrinseca; b) ut non minus amet subiective infinitam perfectionem. Deus enim nihil acquirit creando, omniaque amat amando infinitam suam Bonitatem.

Optime idem scripserat PASSERINI, O. P. in 2, 2 q. 184 art. 3, n. 49.

II. *Sanctitas ista, quam communi obligatione sectari debemus, est usque maior caritas habitualis in fine vitae habenda:* ad hanc aptatur Dei possessio, quae simul est relative summa Dei glorificatio, summa nostra perfectio, summa nostra beatitudo.

Est caritas *habitualis,* quia in ea est perfectio nostra. Individuo enim nexu colligatur cum habituali gratia, quae est formaliter nostra perfectio.

Est caritas in *fine vitae possidenda,* quia haec tunc definitive tenetur, dum antea, quae indiscreto fervore compararetur, maiora augmenta caritatis postea per accidens (ob sequentem languorem spiritualem) impedire posset.

III. *Nullam fingere obligationem possumus quae etiam bonos inducat ad vitam anxiose agendam.* Talem dico *fingere* non licet, quia talis non exsistit. Id enim alienum foret a benignitate et misericordia Dei O. M. qui figmentum nostrum novit. « Iugum enim meum suave est et onus meum dulce » aiebat Salvator (Matth. 11, 30). Quod Apostolus his verbis confirmabat: « Non accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater » (Rom, 8, 15). Et dum, occasione discessus partis infidelis, Paulus nos monet: « In pace vocavit nos Dominus » (1 Cor., 7, 15) generale sane documentum nobis tradit quo discimus vocationem nostram esse vocationem pacificam (Cfr CORNELY. S. I. in h. l.). Quid, quod huiusmodi obligatio cederet facile in detrimentum finis caritatis, cum iugum importabile facile excutiatur? Ceterum consectaria vitae nimis anxiae quae benignius sentientes severioribus opponunt, a nullo, quod sciamus, severiore conceditur, sed omnes ista declinare conantur.

IV. De Fide est, (quia id clare continetur in S.

Scriptura et Traditione) haberi in Scriptura sacra consilia praeter praecepta. Consilia autem hac re differunt a praeceptis, quod praecepta necessitatem inducunt, consilia autem in optione ponuntur iis quibus dantur. Haec est apertissima doctrina S. THOMAE, 1, 2 q. 108 art. 4, quae omnino tenetur a PASSERINI, l. c. n. 31-38, nec serio controverti potest.

Res autem consilii potest non nullis fieri moraliter necessaria ex voluntate divina, sive quae formaliter et directe nobis expressa sit, sive manifestetur in ordine rationis, qui totus a Deo sancitur.

V. *Praesens nostra infirmitas, post peccatum originale, talis est ut, propter concupiscentiam seu inclinationem ad malum, privemur expedita faciendi omne bonum facultate quae in statu iustitiae originalis nobis praesto fuisset.* Sic magnae tentationes hodie moraliter superari non possunt sine subsidio specialis gratiae, quae tamen oranti non denegabitur. Inde haec S. AUGUSTINI: « Maior quippe libertas (quam ante peccatum) est necessaria adversus tot et tantas tentationes » (1) Atque ipse subiungit: « Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam » (2).

Quare non omnia meliora sunt pervia omnibus, et quaedam a personis magis perfectis commode peragi possunt quae minus perfectis impossibilia sunt. Inde S. THOMAS (3) distinguit dilectionem inimicorum quae omnibus praecipitur, et dilectionem quae pertinet ad perfectionem caritatis, quae non est omnibus imposita, nisi in praeparatione animi, ut fiant quando necessitas id requirit. Alibi (4) distinguit quae consequuntur ad perfectionem caritatis, ita ut ex super-

(1) *De correptione et gratia*, n. 35 (P. L., 44, 937)
(2) *Contra duas epistolas* PELAGII, L. I, c. 2, n. 5 (P. L., 44, 552).
(3) 2, 2, q. 25 art. 9 c.
(4) 2, 2, q. 186 art. 2, c.

abundantia caritatis procedat, si talia praeter necessitatem impleantur.

Iam vero, sicut observat PASSERINI (1), quod ex genere melius est non est hic et nunc melius in individuo, illi qui etiam ad bonum agendum est indispositus, « quia hoc non est bonum hic et nunc illi proportionatum ».

Hoc confirmatur exemplo S. IOANNAE FREMIOT DE CHANTAL, quae prudenter nec brevi tempore praeparata est a prudente S. FRANCISCO SALES. ad actum heroicum levandi e fonte filium hominis qui ipsius virum imprudenter in venatione occiderat.

In praesenti nostra condicione, nemo incredulus venit ad fidem sine speciali auxilio divino; nemo recta intentione valedicit saeculo ut crucem Iesu in statu religioso amplectatur, sine dono isto quod vocatio divina compellari potest. Inde S. THOMAS: « Qui potest per firmitatem voluntatis capere, capiat, *et non a natura, sed a Deo* » (In Matth. 19, 11).

Commode hac ratione explicatur quomodo tot sint qui de profitendis consiliis evangelicis numquam ne cogitarunt quidem; plures alii, qui sine ullo peccato, difficultatibus istius status perterriti (2), ab eo eligendo refugiant, quamvis eum ut in se et sibi meliorem apprehendant: in eorum enim saltem proxima potestate non est ut firmum statum istum eligendi propositum capiant.

VI. *Si praecepta dantur de fine seu bono,* consilia dantur de *mediis ad finem;* de mediis, inquam, sine quibus etiam, quamvis per se difficilius, finis obtineri potest (3). Vir uxoratus ad eandem, immo etiam ad maiorem caritatem pervenire potest quam religiosus.

(1) In 2, 2, q. 184 art. 3, n. 52.

(2) In condicione originalis iustitiae huiusmodi excusatio afferri non potuisset.

(3) Id recte observat R. P. CATHREIN, in citata lucubratione: *Unvollkommenheit und lässliche Sünde, in Zeitschrift für Aszese und Mystik,* 1923, p. 116.

Quare S. THOMAS, in Matth. 19, 11, scribere non dubitavit: « Coelibatus Ioannis non praefertur coniugio Abrahae ».

VII. *Communis et perpetua est obligatio agendi secundum dictamen rationis.* Appetitus enim qui nobis a Deo ut rationalis datus est, rationem ducem sequi debet. Hoc principio usi sumus in *Theol. mor.*[2] I, p. 418, fine; ab eo proficiscitur R. D. RANWEZ, *Ephem. Lov.;* 1926, p. 184; admittitur a R. D. MAINIL (1), et in confesso est apud eos qui deliberatos actus positive imperfectos peccato vacuos esse posse contendunt. « Quod homo peccet quotiescumque plene conscius agat modo non rationabili... maior ista ab omnibus theologis admittitur » (2). R. P. GARR. - LAGR., tum in *Vie spirituelle,* XI, p. 589, nota, tum *Revue Thomiste,* 1928, p. 404, monet iam illicitum esse ut rem nobis meliorem omittamus propter hanc solam rationem, nos non obligari, et velle uti nostra libertate. « Id est, ut merito observant plures Thomistae, velle sine iusto motivo: « volitio otiosa, carens pia utilitate aut iusta necessitate ». Quae posteriora verba R. P. mutuatus est a BILLUART, O. P. *De act. hum.* diss. IV art. VI, solv. obi. 3. LEHMKUHL autem ita distinguit, I, 109: « Si (volens sibi libertatem servare) intelligit se velle evadere conscientiam nimis strictam atque periculum quod fortasse subiturus sit in exsequendo proposito opere, haec intentio non mala, quin immo bona est. Si quis vero intelligit, se velle absque ratione, pro libitu et sensuali inclinatione de actibus suis disponere, hoc utique moraliter malum est ».

Post haec praemissa, non valde, ni fallimur, laborandum erit in demonstrandis conclusionibus quas statim subiungimus.

---

(1) *Collat. dioec. Tornacensis,* XX, p. 324.

(2) Ita R. P. SCHELLINCKX, M. S. C. *Ephem. Lov.* 1927, p. 195.

III. Conclusiones

I. *Nulla est communis obligatio inquirendi quaenam sint vel in se vel nobis meliora.* Communia enim praecepta sunt de faciendo bono et de fugiendo malo, nulla addita comparatione.

Praeterea, attenta nostra praesenti infirmitate, sollicitudo de actione meliore esset plerisque nimis onerosa et etiam bonis communiter plena anxietatibus. Quod PASSERINI, *De hominum statibus* etc. ipse concedit et demonstrat, saltem cum quaestio fit de re in se meliore (in 2, 2, q. 184 art. 3, n. 52).

II. *Nulla est communis obligatio faciendi quae secundum se sunt meliora.*

Etenim non omnia meliora sunt omnibus, saltem proxime, pervia. Qui, propter malos habitus, vix induci potest ad faciendum quod stricte praecipitur non est generaliter dispositus ad exsequenda meliora; tum quia quae sublimiora sunt conexas habent difficultates propter quas etiam multis bonis, in praesenti condicione nostra, sunt impervia; tum quia quod melius est in se, non est « omnino universaliter melius in individuis, sed ex circumstantiis potest fieri malum; immo forsan non est melius respectu universitatis hominum singularium, sed minus bonum, immo et malum ». (1) Idcirco idem Apostolus qui dixerat melius esse abstinere matrimonio, scripsit ad Timotheum (I, 5, 14): « Volo ergo iuniores (viduas) nubere ».

III. *Consilia generalia in sacris litteris contenta, ne levem quidem obligationem per se inducunt.*

Id fluit ex superiore conclusione, cum consilia ista mere indicent quae sunt meliora secundum se. Idem pro certo habet PASSERINI, l. c. n. 33.

Praeterea, non sunt praeceptive proposita, et cum

(1) PASSERINI, *De hominum statibus*, in 2, 2, q. 184 art. 3, n. 35.

sint de mediis non necessariis ad ipsam perfectionem, eorum omissio componitur cum praecepta voluntate progrediendi.

Demum ipse Apostolus, I Cor, 7, 38; simul declarat melius facere qui non nupserit, non tamen peccare qui acceperit uxorem.

IV. *Quid si quae nobis certo meliora, omnibus pensatis, proponantur?*

Hic opus est distinctione. Meliora enim esse possunt ut utiliora seu media ad finem caritatis, et possunt esse meliora secundum se, ut augentes caritatem. Consilium proprie dictum non datur de actione qua *bona,* sed de actione, qua *utili ad bonum.* (Cfr. S. THOM., 1, 2, q. 14 art. 2, o). Sic, ut de ipsis consiliis evangelicis dicamus, consilium paupertatis non datur quia quaedam foret specialis virtus paupertatis, sed quia medium est nos liberandi a sollicitudinibus temporalibus quibus virtutes ut plurimum impediuntur; consilium virginitatis non datur ut perfectior modus virtutis castitatis, sed ut expeditior via ad coniunctionem cum Deo (Cfr I Cor. 7, 32-35.); consilium demum oboedientiae, non quatenus pertinet ad specialem oboedientiae virtutem, sed ut medium perfectioris humilitatis sub DEO. Itaque, quae, etiam in individuo, meliora sunt ut utiliora ad finem, praecisione facta a divina inspiratione, quamvis summopere commendanda sint, nobis, in condicione nostra praesenti, non imponuntur. Per alia enim media, etsi non aptiora, perveniri potest ad eandem caritatem, ita ut electio medii minus apti non sit electio minoris bonitatis seu minoris caritatis, quae utique vituperanda foret.

Itaque moralitas huiusmodi electionis pendebit ex eius motivo. Accurate quidem penetranti pretium vitae aeternae, electio medii minus certi vix poterit ecse rationabilis, sed, in praesenti nostra infirmitate, momen-

tum istud a multis non ita apprehenditur ut eorum electio necessarie vitietur motivo.

Et quatenus agitur de istis mediis, obicienti exemplum negotiatoris qui avidus lucri, non posset rationabiliter eligere centum scuta aurea pro decem millibus, responderi potest, non agi in casu praesenti de ipsa pecunia quae ametur ut finis, sed de medio inaequaliter idoneo ad obtinendam pecuniam, et rationes apparere posse non eligendi magis idoneum. (1)

Itaque id concedendum arbitramur adversariis, distinctione facta rei melioris ut *finis* et rei melioris ut *medii.*

Quae vero *nobis* in individuo, omnibus pensatis, ostenduntur certo meliora, v. g. quia *magis bona sunt secundum se*, haec deliberate omitti nequeunt sine aliqua culpa, saltem veniali. Ratio est, quia electio minoris bonitatis seu minoris caritatis nec rationabilis esse potest nec componi potest cum obligatione sectandi perfectionem.

Nonne enim serius conatus ad aliquem finem, i. e. ad perfectam caritatem, convertitur necessario in exsecutionem rei determinatae in quam finis seu perfectior caritasinvestitur? Neque excusatio nimiae difficultatis afferri potest; difficultas enim exsecutionis inter ea est quae pensari debuerunt ut res pronuntiaretur certo melior nobis.

---

(1) Minime autem probare possumus evasionem tentatam a LEHMKUHL, I. 110, nota 1, cum comparat occasionem boni melioris gloriae caelestis, cum oblatione facta operario laboris unius horae pro 50 centesimis et laboris duarum horarum pro 5 francis. Etenim, cum agitur de operario, labor et praemium in pecunia consistens sunt eiusdem ordinis temporalis, dum, in casu nostro, praemium infinite laborem necessarium transcendit, ita ut labor non sit nisi momentaneum istud et leve « quod aeternum gloriae pondus operatur in nobis », (2 Cor. 4, 17.) Praeterea, exsecutio rei melioris iam in ipsa vita praesente maiorem felicitatem procurat, ad quod S. Augustinus applicat dictum Psalmistae, « Fingis laborem in praecepto » (Ps. 93, 20). Ut in exemplo allato insistamus, dicendum fuisset: quid, si pro 50 centesimis, offerantur 100 franci, ea lege ut digitum moveas? Nonne motus digiti absurde negaretur ab homine pecuniae avido? Relative tamen minus postulatur, ut maiorem gloriam caelestem adipiscamur.

Praeterea praelatio rei minus bonae nequit ut talis ordinari ad Deum, ac proin est saltem peccatum veniale. Neve dicas, in electione praescindi ab ista comparatione, cum ambae partes ultro se obtulerint disiunctive. Neve insistas, rem minus bonam eligi ut bonam, quod facile concedimus, namque electio ista rei bonae non purificat simul electam *omissionem* rei melioris.

PASSERINI, l. c. n. 47, nos monet quod discipuli S. THOMAE magis communiter doceant minus bonum, relicto meliore cognito, eligi non posse.

V. *Accedente autem motione Spiritus Sancti de qua moraliter constet nobis, electio rei nobis etiam ut medii melioris, omitti nequit sine aliqua inordinatione.* Id, cum Card. TOLETO, *De instructione sacerdotum,* etc. L. 3, c. 2, n. 5, et PASSERINI, l. c. tenemus contra C. DE LUGO, d. 16 *Paenit.* n. 103; et PELLIZARIUM, *Manuale Regularium,* t. I, tr. 5, sect. 1 n. 42.

In primis liquet nos a Spiritu Sancto non moveri nisi ad ea quae hic et nunc, omnibus pensatis, sint nobis meliora (1). Immo vix concipi potest docilitatem nostram non esse viam talis perfectionis quam secus non assequeremur.

Praeterea inspiratio ista est beneficium de quo grati esse debemus. Reverentia autem divinae Maiestatis nos disponere debet ut tali Maiestati et Duci obtemperemus.

Resistentia igitur inspirationi divinae nequit immunis esse a labe imprudentiae, ingratitudinis et irreverentiae.

Aliunde autem nulla excusatio difficultatis allegari potest, cum Deus auxilia certo suppleturus sit ut ea humano modo praestare possimus quae Ipse nobis suadet.

---

(1) Verum accurate distinguenda est motio ad aspirationem et ad actus ei consentaneos, et motio ad plenio em exsecutionem quae impediri potest. Exemplo sit motio ad continentiam viro coniugato missam.

Non immerito Ecclesia, in litaniis SS. Nominis Iesu supplicatur: « A neglectu inspirationum tuarum, libera nos Domine. »

Verum, ut Scriptura monet, probandi sunt spiritus si sint a Deo.

Quo magis autem res momentum habet, eo accuratior investigatio facienda est, et simul eo magis debitum docilitatis urgendum est.

Simul tamen recoli debet, ardua, quae certo bona sunt, ut consilia evangelica, non posse in condicione praesenti nostra, voluntate recta et efficaci eligi sine dono Dei, ita ut de origine huiusmodi inspirationis dubitari nequeat. Huc faciunt haec dicta a S. AUGUSTINO: « Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanae, sed in electis praeparatur voluntas a Deo » (De praedestinatione sanctorum, c. 5, n. 10. P. L. 45, 968.)

« Non ideo dictum putandun est, non volentis neque currentis sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius quia nisi eius vocatione non volumus ». *De diversis quaestionibus ad Simplicianum,* L. I, q. 2 n. 12. (P. L. 41, 118).

VI. *Quae bona manifesto ut nostrae professioni seu condicioni convenientia demonstrantur, per se, sine aliquo peccato omitti nequeunt.*

Etenim moraliter constat ea nobis esse viam necessariam perficiendae caritatis. In iisdem agnoscitur voluntas Dei de nobis, quae cum inspiratione aequiperari potest.

Ideo S. THOMAS, 2, 2, q. 186 art. 2 ad 2, postquam declaravit omnes teneri aliqualiter facere quidquid boni possunt, addit modum esse praeceptum istud implendi, quo vitatur peccatum, « si homo faciat quod potest secundum quod requirit condicio sui status », sine contemptu agendi meliora.

Inter haec profecto sunt pro religiosis Constitutiones propriae. Quocirca auctores probatissimi et valde a rigorismo remoti, qualis BALLERINI, de regula quae non obligat sub peccato, ita scribunt: « Monent tamen vix aut ne vix quidem culpam aliquam abesse. Aberit culpa, cum subditus utitur epikeia (1).

VII. *Deficiente evidentia boni nobis, omnibus pensatis, melioris, et clara motione Spiritus Sancti, hoc unum curandum est ut electio nostra sit honesto motivo imperata.*

Perinde dicendum est de actibus qui deliberari non potuerunt, etsi, deliberate facti, constituissent peccatum veniale. Libertas enim requiritur ut peccatum formale adesse queat. Quare, si obiectum erat vetitum, et actus per se deliberari poterat, materiale peccatum habebitur. Si tantum fuerit minus bonum in individuo, imperfectio negativa aderit.

IV. **Responsiones ad obiecta.**

I. Quae interdum afferuntur e S. THOMA contra positionem quam ubique textibus S. Doctoris munivimus, ut *De veritate,* q. 23 a. 8 ad 4; et in Matth. 19, 11, satis facile solvuntur, distinguendo generales normas a particularibus.

Prior textus sic sonat: « Ad quartum dicendum quod *electio* habeat in se et rationis iudicium et appetitum. Si ergo aliquis *iudicio praeferat* id quod est minus bonum magis bono, erit perversio electionis; non autem *si praeferat in appetendo:* non enim homo tenetur prosequi meliora *semper* in operando, nisi talia ad quae ex praecepto obligetur: aliter enim quilibet teneretur sequi perfectionis consilia, quae constat esse meliora ».

Iam vero, postrema verba « perfectionis consilia, etc ». clare ostendunt S. Thomam agere de iis quae sunt meliora *secundum se;* vel, ut ait R. D. RANWEZ, (*Ephem. Lov.* 1928, 36, nota 9) iudicium *practicum* opponere *speculativo.* Haec enim docet: — *a)* ab omni homine meliora (secundum se) esse iudi-

(1) *Opus theologicum morale,* Tom. I, n. 106 ed. 1, vel 298, ed. 3.

canda ut talia; — *b)* non *semper* in operando prosequenda esse ista meliora: quod nos ipsi supra tradidimus, addendo rationes, quia nimia sollicitudo imponeretur; quia non omnes sunt proxime habiles ad meliora, et quia meliora secundum se non semper sunt meliora singulis; — *c)* omnes tamen obligari ad praecepta particularia. Demum obligatio quae *semper adesse negatur,* conceditur aliquando adesse: si *non* tenetur *quilibet* ad perfectionis consilia, non nulli teneri videntur, ita ut S. THOMAS indirecte confirmet positionem nostram.

Fere eadem est explicatio loci S. THOMAE in MATTH. 19, 11 quo nititur R. P. GARRIGOU-LAGRANGE. Sic sonat: Homo « non tenetur ad meliora quod ad actum sed quod ad affectum: quia omnis regula et omnis actus determinatur ad finitum et certum; et si teneretur ad melius faciendum, teneretur ad incertum. Unde, quantum ad actus exteriores, quia non tenetur ad incertum, non tenetur ad meliora; sed quantum ad affectum tenetur ad meliora. Unde qui non semper vellet esse melior, non posset sine contemptu velle.... » « Qui potest per firmitatem voluntatis capere capiat, et non a natura, sed a Deo. Unde qui hoc a Deo habet, *consulimus* quod hoc capiat et contineat. Vel qui potest secundum opportunitatem temporis vel condicionis temporis ».

In priore huius loci parte, sicut, in loco supra allegato, opponebat iudicium et exsecutionem, ita nunc S. THOMAS distinguit affectum et actus exteriores. Quod ad affectum, quia perfectionem sectari debemus, debemus semper velle esse meliores. Sed non tenemur exsecutione ad meliora, quia meliora ut sic sint infinita et incerta. Quae ratio S. THOMAE non impedit quin teneamur ed ea praestanda quae nobis *certo* et *determinate* sint meliora.

In altera autem parte, S. THOMAS agit de consilio *generali* continentiae. « Consulimus » i. e. per se. Neque eum obligat qui a Deo donum continentiae acceperit, quia, ut ipse infra dicit, « aliud est esse perfectum et habere statum perfectionis » et, ut hic statim subiungit, fieri potest ut exsecutio non sit opportuna, vel etiam coniugio antecedente prohibita. Quare, hoc ipso loco verba profert a nobis supra relata: « Continentia Ioannis non praefertur coniugio Abrahae ».

II. *Nulla confusio consilii et praecepti, nulla adulteratio consilii quod fiat praeceptum nobis obici potest.* Omnino enim liquet in hac nostra explicatione consilia cum vi sua propria manere: consilia dico gene-

ralia et de mediis utilibus ad perfectionem; et consilia ista propriam vim consiliorum servant.

Consilium autem particulare non datur nisi ab eo qui fallibilis est aut caret auctoritate. A Deo particularis directio non autem consilium accipitur. Quo pacto fieri posset ut humana prudentia, sicut bene observat R. D. RANWEZ (*Ephem. Lov.* 1928, 32, nota 1), confligeret cum increata et infinita sapientia? Utique divina motio de consiliis generalibus haberi potest et habetur, sed motio ista appellari nequit consilium particulare ad universale additum.

III. *Nullam etiam causam anxietatis dedimus.* Nullatenus prohibemus quin dilatato corde curramus viam mandatorum Dei.

IV. *Frustra demum appellaretur contra nos, quod caritas perfecta nos obliget tantum per modum finis.* Etenim, serium conamen ad finem debet in actus quosdam transire et sic generare obligationes; et caritas etiam, ut audivimus supra a CAIETANO, rationem medii habet ad finem qui Dei possessio est.

V. Corollaria et Lemmata

I. *Qui maiorem perfectionem consecuti sint, ad plura quam minus perfecti tenentur,* tum quia magis sunt illuminati, tum quia ad meliora sunt proxime apti, ita ut saepius meliora secundum se sint ipsis etiam meliora in individuo, omnibus pensatis. Quod, ut supra vidimus, S. THOMAS, 2, 2, q. 186 art. 2 c., optime confirmat, cum loquitur de positiva quadam inimicorum dilectione quae procedat ex superabundantia caritatis et quae proinde nequeat esse communiter praecepta: « Pertinent huiusmodi ad perfectionem, consequenter » ut ait S. Doctor.

II. *Quaestio poni non potest utrum necne consilium semper vel aliquando levem obligationem inferat.* Solo

pravo vel inordinato affectu quo consilium respuitur peccari potest occasione consilii.

Sed, ut iam monuimus, motiones divinae non consulunt, sed animam dirigunt, quamvis non semper immediate, ad terminum intentionis divinae. Sed saepe gradatim docilem hominem ad meliora ducunt. Quare minus probarim haec dicta R. P. GARRIGOU-LAGRANGE (*Revue Thomiste,* 1928, 405, nota 2.), « L'inspiration divine peut être soit sous forme de conseil soit par manière d'ordre, comme le montre la vie des saints ».

III. *Omnes quidem in ipsa operatione humana negativas imperfectiones agnoscimus.* Quales sint ex defectu deliberationis, ex modo agendi, et ex obiecto, exposuimus in *Theol. mor.*[2] n. **438**. Et adhuc tenemus quae ibi in fine scribebamus : « Omissio boni melioris quod simpliciter cognoscebatur ut possibile seu in abstracto et in genere melius, perhibetur esse imperfectio *negativa :* est autem *positiva,* si omittitur bonum melius quod, omnibus perspectis, convincitur esse melius agenti, sive ex rei evidentia, sive ex interna instigatione Spiritus Sancti, sive ex declaratione auctoritatis legitimae, qualis habetur in eius praeceptis non obligantibus sub peccato : sive ore data sint sive contineantur in scriptis, utputa in regulis religiosorum ». Declarationem auctoritatis legitimae factam supponimus non mere propter ordinem externum sed propter bonum animae.

Posteriores imperfectiones vacare peccato negavimus, ac proin, cum R. P. HUGUENIN, *Dictionnaire de theologie catholique*, verbo *Imperfection*, easdem, ut medias inter peccatum et actum bonum, pro *ficticiis* habemus ; vel dicimus cum R. P. PRUEMMER, *Manuale Theol. mor.,* doctrina quae negat actus deliberatos esse posse indifferentes, « excludit sic dictas « imperfectiones ».

IV. « *Positivae imperfectiones ex defectu deliberationis non sunt materia confessionis.* Sed quae dicuntur *ex genere* seu *ex obiecto tales,* facile affectum produnt voluntarie inordinatum qui ipse merito accusatur. Ex genere seu ex obiecto (imperfectiones) sunt deliberatae electiones boni minoris quam quod proxime eligendum offerebatur. Verum ne tunc quidem obiectum accusandum est ». Cfr etiam PRUEMMER, l. c. (Cfr *Theol. mor.*[2] nostram, I, **440,** fine).

V. *Receptae sententiae parum inter se differunt.* Conveniunt enim in principio formali : electiones minoris boni vitiari quotiescumque sive in fine, sive in modo, sive in affectu contineatur quidpiam inordinatum. Sed quod alii dicunt accidere frequenter, alii tenent semper accidere quando indubia est, etiam attento agente, neglegentia melioris boni vel inspirationis divinae ». (*Theol. mor.*[2] I, n. **440** fine).

VI. *Non minus liquet in data explicatione locum esse voto faciendi quae magis perfecta sint.* Etenim, votum istud imponit temperatam curam positivam quaerendi quae sint perfectiora, sicut omnis lex praecipit sollicitudinem positivam de eius observatione ; praeterea imponit obligationem sequendi consilia communia de re meliore ; et evacuat excusationem difficultatis quam, citra inspirationem, homines communiter allegare rationabiliter possunt.

VII. *In hac re afferendae non sunt comparationes studii scientifici et visitationis Sanctissimi.* Non enim quaestio est de conferenda praestantia, secundum se, variorum operum, sed de meliore bonitate relata ad agentem. Opus autem in se praestantius non est semper melius, immo potest esse prohibitum.

VIII. Salmanticenses ineleganter quaestionem reduxerunt ad intensitatem qua opus bonum fieri debeat vel conveniat. Etiam permissa sententia eorum Thomistarum qui tenent gratiam non augeri per singula bona opera

nisi relative sufficienti intensitate facta sint, obligatio istius intensitatis communiter nimis difficilis foret et anxietates induceret quae cum suavi iugo Christi minime componuntur. Immo conatus ad istam intensitatem usque maiorem habendam pertineret interdum ad indiscretum fervorem, cuius omissio positive imperfecta dici nequit. Nonne ipsa Ecclesia (1) arduum appellat votum S. ANDREAE AVELLINI, cotidie proficiendi in virtute?

IX. *Proposita sententia confirmatur:* 1. Difficultate qua adversarii laborant in describendis imperfectionibus positivis quae sint immunes a peccato.

Quid sunt, iam apud LUGO, *Paen,* d. 3, n. 9-11, imperfectiones istae quae mediate oppositae dicuntur cum Dei pace; quae negative Deum avertunt; quae Ipsum deobligant ad danda auxilia efficacia; quae merentur poenam indirecte; propter quas homo perdit de benevolentia divina; quae non sunt culpae et tamen materia sunt paenitentiae et expiationis?

Quid sunt, apud *Salmanticenses,* imperfectiones istae quae nec negative nec privative deficientes sunt, sed privative secundum quid et quodammodo?

Quid sunt, apud TISSOT (*La vie interieure simplifiée,* pp. 157. 161. 167. 168, ed. 9), imperfectiones istae in quibus, *sine peccato,* humanum aliquo modo praevalet divino; sollicitudo propriae satisfactionis anteponitur gloriae Dei: quae nos ponunt in inordinatione quasi perpetua; in quibus continetur malum magnum, malum essentiale (*le grand mal, le mal essentiel* ») ?

2. Concessis a patronis alterius sententiae. Fatentur imperfectiones de quibus agunt frequentissime esse peccata; subtilem esse distinctionem; eas vix a peccato discerni posse.

LEHMKUHL, *Theol. mor.*, I, n. 108, agnoscit in eo

(1) In oratione Breviarii.

qui inopportune barbam fricat laesionem quandam decoris quae levissimam malitiam continet. Quo pacto nulla malitia foret in actibus qui, secundum Salmanticenses, moralem quandam indecentiam dicunt?

R. P. HUERTH, *Gregorianum,* 1924, p. 105, admittit temeritatem in ordine ad vitam aeternam fugiendam esse sub peccato. Quo pacto immunis esset ab huiusmodi temeritate, actus quo quis, ut LUGO, loquitur, Deus deobligatur ad danda auxilia efficacia? Hoc adeo a quibusdam urgetur ut periculum aeternae damnationis formaliter denuntient neglegenti vocationem religiosam. Fatemur etiam a nobis non videri quo pacto, ibidem, p. 105, reus tantum *negativae* irreverentiae dicatur is qui divinam invitationem abnuit. Nonne enim summa Deo reverentia debetur? Nonne versamur in fine, in quo non datur mensura? Qua ratione igitur eam significationem reverentiae sine ullo peccato quis declinaret quam praestare facile potest et ad quam praestandam ab ipso Deo invitatur?

R. P. CATHREIN, in *Zeitschrift fur Aszetik und Mystik,* 1928, p. 239, non audet immunem a peccato declarare qui vocationi ad statum perfectionis non obtemperat. Utique, in graviore momento graviorem agnoscemus inordinationem. Sed, tandem aliquando, plus et minus non variant speciem. Ergo Deo inspiranti semper obtemperandum est.

Summa Conclusionum

Haec scripta a R. P. CATHREIN, in fine laudatae disputationis, nos plane probamus: « Hortandi quidem sunt Christiani et specialiter religiosi, sectandi continuo perfectiora; sed non possumus iis officium imponere quiod superat communem mensuram virium humanarum et id tantum efficit ut timoratis animis inquietudinem et perturbationem pariat »

In nostra enim sententia ista nimietas iam excluditur distinguendo ea quae sunt meliora secundum se et ea quae agenti *in individuo* sunt manifesto meliora, omnibus perpensis, et proin minime neglecta proxima capacitate.

Huc omnia redeunt:

1. Omnes contendere debemus ad perfectiora, et voluntatem gerere semper proficiendi.

2. Communiter sufficit ut de actione honesta simus ultro solliciti.

3. Ea facere debemus ad quae certo a Spiritu Sancto movemur. In rebus minoris momenti, ubi suaviter impellamur ad opus bonum cuiuspiam virtutis, satis moraliter constat de concordia cum voluntate divina ut istud perficiendum habeamus. Accedente autem minima perturbatione, ipsa obligatio desinit. In rebus autem difficilioribus et gravioribus, maxime si parum solitae sint, vel alienae videantur a nostro statu, maior spiritus probatio sine anxietate instituenda est; dum contra in rebus quae perfecte quadrant ad nostram condicionem, quid Deus a nobis hic et nunc velit, facile perspiciemus.

4. In rebus modicis libere, cum recta intentione agamus, ne temporis iactura utilitatem deliberandi exsuperet.

5. Quae certo nobis meliora demonstrantur ut postulata vel imperata nostra vocatione vel nostra condicione, haec exsequi tenemur. In aliis rebus evidentia ista raro aderit, ita ut libera nobis sinatur esse optio.

6. Omnia demum spiritu filiali agenda sunt, ita ut re vera de Domino in bonitate sentiamus.

A. VERMEERSCH, S. I.

De legitimo usu facultatum quae confessariis conceduntur.

Non raro, privilegio vel indulto speciali facultates non nullae benedicendi, annectendi indulgentias, dispensandi a votis vel a legibus Ecclesiae conceduntur confessariis, ita tamen ut usus non circumscribatur sacramento paenitentiae. Si enim in solo actu confessionis facultas exerceri potest, de loco ubi et de personis in quarum gratiam facultates utendae sint dubium esse nequit.

Si autem usus extrasacramentalis permittitur, minus liquet de ambitu datae potestatis.

Duplex enim modus intellegi potest quo potestas quaedam detur confessariis: ut qualitas confessarii, seu approbationis pro confessione in aliquo loco sit mera condicio requisita sed quae non influat in ambitum quo facultas exerceri possit; et etiam ut simul per qualitatem istam definiantur limites factae potestatis. Priore modo, potestas fit *sacerdoti*, dummodo sit approbatus, altero modo concessio est facta confessario qua tali.

De recto intellectu istius clausulae ipsi satis diu dubitavimus. Nunc autem, post plures interrogationes peritorum, respondendum arbitramur cum sententia, quam experti sumus esse longe communiorem, cuius formula haec perhiberi potest: Facultate data confessariis etiam extra sacramentum utenda, ipsi exercere possunt in locis et pro locis in quibus pro confessionibus approbati sunt: idque sive viva voce coram persona petente, sive etiam scriptis litteris, nisi obstet natura rei, v. g. benedictio scapularis.

Ratio simplex est, quia in istis locis et pro istis locis sunt confessarii; extra autem ista loca confessarii non sunt; rei autem naturae magis consentaneum est ut facultas confessariis facta, confessariis qua tatibus sit reservata.

Accedit haec confirmatio, quam mihi communicavit vir in ista materia valde versatus. Largiri indulgentias, condiciones requisitas commutare, dispensare in ieiunio vel lege Ecclesiae sunt actus iurisdictionis. Per se igitur postulari videtur ut potestas ista detur personae habenti iurisdictionem. Hanc autem habet confessarius, sed circumscriptam locis ubi est approbatus.

Quid autem si facultas dicatur utenda cum *paenitentibus?* Est qui existimet usum tunc circumscribi iis qui vel habitualiter vel saltem actu velint confessionem facere. Paenitentes tamen iam dici possunt quotquot sacramentaliter a confessario absolvi possunt. Quare consentio viro perito mihi scribenti: « Paenitens est qui in hac materia petit ut iurisdictione mea utar, ergo quivis fidelis: utrum apud me confessus sit necne, nihil refert ».

A. Vermeersch, S. I.

De accidentali causa cur vota temporaria numquam in perpetua convertantur.

Species facti. Sunt Instituta in quibus non habentur nisi vota temporaria; nec de iis in praesenti fit sermo. In ceteris autem, in quibus pronuntiatur professio tum temporalis, tum perpetua, Codex non vult (c. 574) ut, etiam computata prorogatione Superiori permissa, professio per petua ultra sex annos differatur. Nec solet S. Congregatio novum post sexennium experimentum ultra unum annum, peculiari indulto, admittere.

Disciplina ista sapienter introducta est, ne religiosi vel Sorores quorum vocatio non est firma, saeculum ea aetate repetere cogantur qua difficulter sibi in saeculo providere queant. Neque aequum fuerit ut post sat multos annos, Institutum possit propter omnem

rationabilem causam dimittere, expleto tempore, professos votorum temporariorum, sicut can. 637 permittit ut, expleto tempore, ob iustas et rationabiles causas, professus ad nova vota non admittatur.

Nulla tamen lex positiva est quae omnibus adiunctis recte, suo generali edicto, providere queat.

Accidit ut male nervis affecta Soror vel monialis abhorreat obligationem perpetuam et bene cum votis temporariis se gerat in religione, ita ut nullatenus expediat ipsi professionem perpetuam vel vitam extra claustra proponere.

In huiusmodi adiunctis, si Superiores cum religiosa consentiant, et medicus morbum nervorum testetur, num S. Congregatio, audito Procuratore generali, vel, si agatur de Sororibus, audito voto Episcopi, negarti facultatem indefinite renovandi professionem temporariam vel etiam vota annua, quamdiu id adiuncta suaserint?

Id negatum iri non putamus; immo novimus iam casum ubi gratia ista in huiusmodi adiunctis concessa fuit.

A. VERMEERSCH, S. I.

De calendario sequendo in oratoriis principalibus communitatum religiosarum.

Occasio dubii. *In Ephemerides Liturgicae*, anni 1926, p. 15, doctus sacerdos BARIN, postquam accurate memoravit normam quae, prius in resp. Ruthen. 22 maii 1896 (Decr. auth. n. 3910) enuntiata, dein formaliter generalis evasit in novis rubricis, addit. IV, 6: « Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, Missas etsi Regularium proprias, omnino celebrent iuxta Kalendarium Ecclesiae vel Oratorii publici, in quo celebrant; exclusis tamen peculiaribus

ritibus Ordinum et Ecclesiarum propriis. Idem servetur in Oratorio semipublico, sive in Capella principali Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium, Carcerum et similium. »; postquam, inquam, haec commemoravit, subiungit: *a*) Nullum esse Kalendarium oratorii semipublici nisi habeat rectorem ita ut quilibet celebrans suum Kalendarium ibi sequi permittaur; *b*) Etiamsi rector habeatur, hunc non teneri sequendo Kalendario monialium nisi hae officium chorale persolvant.

Estne, id quaeritur, *opinio ista solide probabilis?* Haec, quae studio veri indicamus, perpendantur.

1. *Sententia ista est prorsus singularis.* Non memoratur a MANY, *De locis sacris,* p. 103; neque ab HAEGY, C. S. Spir., *Manuel de liturgie,* I, 134; neque ab OIETTI, S. I., *Synopsis,* verbo *Oratorium,* n. 2941; neque a BUCCERONI, S. I., *Institutiones Theol. mor.* III, n. 657 (ed. 6); neque a FERRERES, S. I., *Comp. theol. mor.* II, 516; neque a GÉNICOT-SALSMANS, S. I., *Instit. Theol mor.* II, 255 (ed. 8); neque a PISCETTA-GENNARO, S. Sal. *Elementa theol. mor.* V, n. 480; neque a CAPPELLO, S. I., *De sacramentis,* I, 803; neque in *Ephemer. Lit.* 1922, p. 116. Hi omnes simpliciter, sine ulla distinctione, praefatam normam urgent sicut scripta est.

2. *Pro ista sententia singulari, nullum affertur argumentum.* Mere negatur esse Kalendarium ubi nullus sit Rector; mere negatur obligatio Rectoris sequendi Kalendarium monialium, nisi chorum habeant.

3. R. D. BARIN sincere fatetur *decreta S. Rituum Congregationis,* sententiae isti esse contraria, sed ea habet ut particularia, a quibus recedere fas sit.

Verum observes decreta ista esse numero plura. Sunt enim in Decr. auth. n. 3883; n. 3910; n. 3919; n. 3927; n. 3972; n. 4051; n. 4072, ita ut habeamus vere constantem et perspicuum stylum *S. R. C.*, qui ita urgetur, ut ex resp. 3 febr. 1896 (Decr. auth. n.

3883) contraria Regularium privilegia dicantur non esse attendenda.

Praeterea, cum decreta ista ab anno 1896 ad annum 1901 lata, usu communiter recepta sint et doctrina auctorum confirmata, id obtinet quod scripsimus *Theol. mor.*[2], I, 316: « Facile, sive ex repetita declaratione, sive ex consensu peritorum qui, rem denuo perpendentes, datae interpretationi calculum adiecerunt, declarationes independentes ab adiunctis inducunt consuetudinem per conventiam, quae obligat ».

4. Sententia ista, ut R. P. PAUWELS, nobis opportunissime indicavit, *componi nequit cum decretis formaliter generalibus*, i. e. cum novis rubricis. Hic supra, initio, locum exscripsimus. Rubricae istae, dum, sine ulla distinctione, praecipiunt ut Kalendarium loci observetur in oratoriis principalibus communitatum, piarum domorum, etc. manifesto supponunt ibi esse Kalendarium; responsum est Kalendarium istud esse Kalendarium dioecesis, nisi proprium habeatur (Resp. 17 iul. 1896, Decr. auth., n. 3927) dum, in sententia de qua interrogamur, pleraque oratoria forent sine Kalendario, ita ut regula generalis plurimas haberet exceptiones. Immo quandonam fiet ut in carcere officium chorale recitetur? Et tamen Kalendarium oratorii carceris sequendum esse, diserte in rubrica generali docetur.

Conclusio. Itaque, sententia ista probabilis dici nequit.

N. B. Dum haec typis scribebantur, accepimus sententiam cl. BARIN retractatam esse fasciculo *Ephem. Liturg.* qui sub prelo versatur, p. 424.

A. VERMEERSCH, S. I.

Communio infirmorum ex Facultate 17ª Formulae tertiae S. C. de Propaganda Fide.

Facultate ista, subdelegabili, quae etiam in ceteris formulis conceditur, possunt Episcopi Missionum, Vicarii Apostolici et Praefecti Apostolici, permittere infirmis decumbentibus de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, *etiam ante finem mensis* a quo decumbunt, ut s. communionem sumere possint bis vel ter in hebdomada; et, si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam cotidie, non servato ieiunio naturali, i. e. sumpto aliquo potu vel aliqua medicina.

Quaeritur iam quomodo intellegenda sint verba *ante finem mensis?* Non nulli enim usum istius facultatis non admittunt nisi postquam quindecim saltem dies iam elapsi sint, stricte accipiendo verba « ante finem mensis »; dum alii contenti sunt hebdomada.

Re vera non percipimus cur requiratur ut non nulli dies sint iam elapsi. Verba « etiam ante finem mensis » hanc vim habent ut supprimant eam temporis mensilis condicionem; nullam vero aliam substituunt. Itaque, quotiens infirmus decumbat sine certa spe secuturae convalescentiae intra paucos (tres vel quattuor) dies, fas est uti praefata facultate, etiam a prima die decubitus, intellecti ut explicavimus in Commentario Facultatum vel in *Epitome iuris canonici*, II, n. **124,** ed. 3. .

A. VERMEERSCH, S. I.

De conficiendis hostiis pro sacrificio missae.

Quaestio. — Potestne probari usus quarundam Sororum quae, ut hostiae eximia albedine nitescant, farinam, in cribello positam, aquae continuo per noctem

decurrenti supponunt ac dein ex nivea materia residua, hostias coquunt?

Resp. — Authentica de hac re declaratio a S. Sede exspectanda est. — Interea id observamus: cum eadem methodo vel amylum vel gluten separatum praeparetur, periculum est ne desit substantia quae requiritur ad constituendam farinam naturalem (1) et consequenter panem naturalem. — Quare usus iste nobis videtur nullatenus esse permittendus, ne dubia reddatur ipsa prior Missae consecratio: species enim panis, non vero tantum amyli convertenda est in corpus Domini.

Sane pia est Sororum intentio, sed oportet ut zelus sit secundum scientiam.

Solutio casus de reductione missarum et recursu ad S. Sedem (p. 152*).

Ad I. Vi can. 826 § 3, Missae fundatae eae sunt quarum stipendia e fundationum reditibus percipiuntur.

Descriptio ista est taxativa seu exclusiva, ita ut solae istae missae dici possint fundatae.

Etenim, in duabus aliis §§, omnibus ceteris casibus providetur. Atque expresse inter *manualia* ponuntur stipendia quae a fidelibus offeruntur ex obligatione, etiam perpetua, a testatore propriis heredibus facta.

Quod consonat cum can. 1544 § 1, ubi, ex definitione piarum fundationum, clare colligitur fundationem non haberi nisi bona temporalia tradita sint *alicui personae morali in Ecclesia,* et ex reditibus annuis saltem per diuturnum tempus sumi debeat unde pium opus expleatur.

Ergo, in proposito casu, non *agitur* de missis fundatis, sed *de manualibus.*

Ad II. Ordinarius intentionem defuncti interpretari non potuit ad aequam missarum reductionem admit-

(1) Farina potissimum amylo et glutine constituitur.

tendam. Can. enim 1517 § 2, dum hanc potestatem de aliis piis oneribus non negat, conceptis verbis excipit missarum reductionem, eamque semper Apostolicae Sedi reservatam pronuntiat.

Ad III. Recursus fieri potest vel aperte, proditis nominibus propriis, vel reticito nomine. In priore casu, gratia pro utroque foro; in altero pro solo foro interno conceditur. Pro recursu aperto adeunda est *S. Congregatio Concilii,* quam can. 250 conpetentem efficit; in altero casu scribendum est, semper reticito nomine, ad *S. Paenitentiariam*, sive ab ipso Ordinario sive a Confessario, pro Ordinario.

Casus moralis de iustitia.

Euphrosina duas neptes habebat, Mathildam et Martham. Testamento autem omnia bona sua legaverat Mathildae, praeter legatum particulare, quod Marthae destinaverat.

Sed, dum iam ultimo morbo correpta erat, offensa fuit a Mathilda propter sat levem causam. Quare accersivit vicinam Leocadiam, eamque rogavit ut sibi quaereret notarium, « se enim velle alio modo testamentum scribere ». Annuit Leocadia. Sed, quando se contulit ad notarium, is domo aberat. Tunc ipsa rem neglexit, et post paucos dies Euphrosina mortua est, testamento minime mutato.

Notarius congratulatus est Mathildae quod, propter incuriam Leocadiae, beneficio testamenti frui posset.

Mathilda autem, quae de anima sua sollicita est, quaerit:

1. *Utrum necne possit tuta conscientia hereditatem ex praefato testamento adire*;

2. *Utrum necne Leocadia contra iustitiam peccaverit, et, si peccaverit, quamnam obligationem restitutionis contraxerit.*

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

Praelatus in Codice I. C. quisnam sit

Quisnam intelligitur *praelatus* in canone 110, qui scilicet proprio nomine talis dicatur? Certe ante omnia evidens est eum non esse huiusmodi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo non obtineat. Sed an sufficit qualiscumque talis iurisdictio? Et ex DE LUCA videtur requiri iurisdictio non solum ordinaria, sed etiam episcopalis aut quasi episcopalis (1).

(1) DE LUCA, in suo opere *De iurisdictione*, disc. XXXIV, n. 8 sqq. distinguit triplicem speciem praelatorum in iure, secundum diversam mensuram iurisdictionis quam habent, eamque desumit ex *Toletana*, Iurisdictionis, disputata apud Rotam in secunda medietate seculi XVII, anno 1686, sqq. et refert etiam in disc. I eiusdem operis. Triplex porro haec classis ita ab eo distinguitur, ut prima dicatur esse episcoporum in propriis dioecesibus tamquam in territoriis cathedralium omnimodam iurisdictionem spiritualem habentium. Altera est praelatorum cum vero territorio separato et *nullius*, in quo independenter a quocumque Ordinario omnimodam iurisdictionem spiritualem ac legem dioecesanam, ut ipse loquitur, exercent. Tertia vero species est praelatorum aliquam iurisdictionem in aliena dioecesi et sub alio Ordinario habentium. Et addit, primam esse et dici episcopalem, alteram posse eodem modo episcopalem dici, sed in magis propria locutione vocari quasi-episcopalem; tertiae vero nec unum nec alterum, episcopalis vel quasi episcopalis, vocabulum convenire. Et in confirmationem adducit decisionem rotalem in *Romana*, Hereditatis, 28 apr. 1639, coram Mettio, « ubi agendo de Card. Vicario Urbis firmatur eum dici Ordinarium, utpote repraesentantem personam Papae, non tamquam Papae, sed tamquam episcopi Urbis cum plena iurisdictione episcopali et lege dioecesana, et tamen eius iurisdictio dicitur quasi episcopalis, gratia melioris locutionis, quia vere non est ipse episcopus ». DE LUCA igitur praeter hos, nullum alium praelatum recognoscit.

Scilicet, secundum doctrinam De Luca, nec ipsius tantum sed omnium, quod sciam, canonistarum, praelatus stricto sensu est clericus non insignitus charactere episcopali, sed gaudens iurisdictione in foro etiam externo, exercenda non titulo vicariali, sed proprio nomine; quare eius iurisdictio dicitur et est quasi episcopalis. Inter huiusmodi praelatos, supremum gradum obtinent praelati vere *nullius*, qui habent territorium separatum a dioecesi cuiuslibet episcopi et iurisdictionem activam in clerum et populum. Hi, exceptis iis, quae sunt ordinis episcopalis et quibusdam aliis in iure expresse notatis, omnia possunt quae spectant ad iurisdictionem episcopalem.

Gradum intermedium tenent praelati, qui habent iurisdictionem in certum quemdam clerum et populum, qui tamen situs est in dioecesi alicuius episcopi.

Infimum gradum obtinent praelati regulares, qui habent iurisdictionem in suos et exemptionem a iurisdictione episcopali. Videtur igitur dicendum ex De Luca, requiri iurisdictionem quasi episcopalem. Exinde autem sequitur *abbates* et *praelatos nullius* (c. 323), *vicarios* et *praefectos apostolicos* (c. 294), *administratores* quoque *apostolicos* etiam ad tempus datos (c. 315) vere esse et dici praelatos. Item *superiores maiores religionis* clericalis exemptae praelatis sunt annumerandi c. 501. Sed quid dicendum de superioribus regularibus localibus? Et puto iure Codicis hos non posse dici praelatos.

Dixi « iure Codicis »; nam certe ante Codicem, secundum multos, praelati dicebantur et erant. Hanc vero assertionem hi probabant tum ex c. 3 de privilegiis (V. 33) Alexandri IV, cum ex constitutione S. Pii V « *Romani Pontificis* » 21 iul. 1571. Ex primo quidem, quia illo capite Alexander IV, explicando duo privilegia abbatibus concessa, alterum de impertienda sollemni benedictione, alterum de conferendis ordinibus

minoribus, videtur ipsis concedere iurisdictionem quasi episcopalem ; ex altero, seu ex const. Pii V, quia ea concedebatur PP. Praedicatoribus potestas quasi episcopalis, non exclusis prioribus seu superioribus conventualibus seu superioribus localibus. Et quamvis forte primum non omnino satisfaciat, quia Alexander nihil concedit, sed tantum iam habita declarat, secundum non videtur posse impugnari.

Ante Codicem igitur in ordine P.P. Praedicatorum Priores seu superiores locales, cum haberent iurisdictionem quasi episcopalem, vere dicebantur et erant praelati. Et si id valebat in ordine PP. Praedicatorum, cum regulares mendicantes haberent plenissimam communicationem privilegiorum inter se et cum non mendicantibus (1), valebat etiam pro aliis.

At nunc, cum ex una parte decretales a Codice abrogatae sint, et communicatio privilegiorum ex can. 613 sit exclusa, aliud dicendum omnino videtur. Scilicet iurisdictionem ordinariam in foro interno et quasi episcopalem, cum unice habeant superiores maiores, ii tantum, non superiores locales dici possunt et sunt praelati. Idque confirmatur ex can. 198, §. 1., quo ipsi soli seu soli superiores maiores in iure aequiparantur vel potius annumerantur Ordinariis.

B. Ojetti, S. I.

Partes Confessarii in diudicanda virtute necessaria ad sacros ordines.

« Sicut de externis qualitatibus iudicat Episcopus, ita Confessarius de internis pronuntiat ». Ita fere Card. Gennari, in *Monitore ecclesiastico,* t. 24. p. 267, nota.

(1) Cfr inter alias Const. Sixti IV « *Regimini* » 31 aug. 1474 et Const. Leonis X « *Dudum* », 10 dec. 1519.

Definire tamen officium Confessarii in ista sententia ferenda, est quidpiam gravissimum, lubricum et anceps, satis recens examini theologorum propositum, nunc autem paene cotidie a Confessario practice solvendum.

Gravissimum est, tum quia recta rei definitio magnopere interest ad commune Ecclesiae bonum, quae idoneis ministris extreme opus habet, tum quia agitur tota vita praesens, immo quadantenus vita futura paenitentis cuius causa dirimitur: statuitur enim quodnam vitae curriculum emetiendum sit a persona quae confessario velut medico spirituali se committit.

Lubricum et anceps est, quia auctores probati, nec perfecte inter se convenire videntur, nec semper distincte de re scribunt; praeterea quia futuri liberae voluntatis actus coniciendi sunt, et quia simul considerandа et componenda sunt plura quae animum iudicis in diversa inclinant.

Et recens propositum. Namque de re silent classici isti scriptores aureae aetatis theologiae moralis, qui suis operibus nobis tam utiliter adesse solent. S. ALPHONSUS, L. 6, n. 64, refert se, ante quam suam sententiam proferret, diu de re cum « quam plurimis Neapolitanae urbis theologis », disputasse; neque ipse auctorem citat qui aetatepraecesserit NATALEM ALEXANDRUM (1724), ita ut quaestio de partibus Confessarii summum, saeculo XVIII coepta sit examinari.

Nunc est paene cotidie a Confessariis solvendum. Estne enim, per totum orbem, Seminarium, estne institutum religiosum clericale in quo de capessendo vel declinando sacerdotii honore nulla dubia exoriantur?

Quare, distinctioni conceptuum et usus facilitati simul consulere volentes, utile duximus ut argumentum istud in pauca contraheremus et synoptice proponeremus.

In quo negotio, ducem potissimum assumpsimus S. Doctorem ALPHONSUM. Versamur enim in quaestione in qua illuminata et tam authentice commendata eius prudentia partes praecipuas agendas habet; et ipse, loco citato, nobis testatur quanta cura et sollicitudine varias opiniones libraverit, ut deveniret ad sententiam de qua cum ipso convenerunt multi theologi quos consultum adhibuerat.

Eleganter hic D'ANNIBALE, III, 293 (19) relata controversia, concludit: « a quo (S. Alphonso) recedere nefas duco. »

Ad synopticam expositionem addemus quaestionem subsicivam, instar complementi apti ad dissipanda obscura et saltem ambigua quorundam scriptorum dicta.

Synoptica propositio rerum quae faciunt pro susceptione vel contra susceptionem ordinis sacri.

N. B. Quae huc referuntur esse pro ordinatione vel contra eam, i. e. favere susceptioni vel ei contraire, non ita accipienda sunt quasi singula decretorium secundum se argumentum contineant. Contra susceptionem esse dicuntur quatenus saltem inclinent animum ad negandum ascensum; dicuntur esse pro susceptione, quatenus benigniorem responsionem suadeant. Plura enim simul componenda sunt et ratio habenda est experimenti de quo in normis, n. C.

A. Contra susceptionem ordinis sacri:

I. **Peccatum completum** *in re venerea,* si completum fuerit cum complice, praesertim eiusdem sexus et quidem *post* 13. vel 14. aetatis annum; vel si nimiam propensionem ad vitium revelaverit.

Completum intellegas hic etiam *ex modo,* i. e. non mere per tactus externos.

Peccatum tale, etiam *sine habitu,* susceptionem ordinis sacri iam serio impeditiorem efficit.

II. **Habitus pravus,** qui exsistit, quando non raro peccatur ex propensione.

Distinguitur habitus:

1. **Ex intensitate:** *mensilis,* seu minus gravis;
semi-mensilis, seu gravis;
hebdomadarius, seu valde gravis;
cotidianus vel fere talis, seu gravissimus.

Quo gravior fuerit, eo magis ordinationi obstat, vel diuturniorem probationem imponit.

2. **Ex origine:** *nativus,* propter quasdam nervorum affectiones.

acquisitus { ex causa *extrinseca* accidentali (qualis est malus socius)
ex causa *intrinseca* (pigritia, malitia).

Peior est habitus nativus et is qui ex causa intrinseca est acquisitus.

3. **Ex tempore:** *praesens* vel *praeteritus*;
anterior proposito vitae sacerdotalis, ingressu in seminarium, ordine sacro iam succepto, vel his *posterior.*

Praesens maxime obstat; peior est, qui est vel fuit posterior proposito vitae sacerdotalis, ingressu in seminarium, ordine sacro iam suscepto.

4. **Ex obiecto** terminatur ad phantasias, ad aspectus, ad actiones vel *solitarias* vel *cum alia persona,* sive alterius sive eiusdem sexus.

Hic attendendum est ad substitutiones. Deficiente vero suo obiecto, fit ut naturalis propensio ad alterum sexum terminetur ad alia.

Pessimus est habitus inclinans ad actiones cum eodem sexu qua tali, et difficilius eradicatur.

Peior quam solitarius est vitium quo peccatur cum alia persona; idque etiam propter scandalum.

B. Pro susceptione sacri ordinis.

I. **Amor vitae sacerdotalis,** qui variat intensitate et puritate in motivis. Motiva supernaturalia!

Quo intensior et purior, eo magis favet.

II. **Talenta, dotes subiecti,** quibus utilior erit Ecclesiae, religioni.

Cave tamen a superbis et a periculo maioris scandali, si in altiore loco sunt corrupti.

III. **Necessitas Ecclesiae** laborantis penuria sacerdotum.

IV. **Difficultas mutandi statum,** periculum cuiusdam notae, ex instante ordinatione.

V. **Condicio manentis in saeculo** vel ad illud redeuntis: pericula fidei, moribus.

VI. **Experimentum servatae continentiae,** sive simplex, sive auctum gratia extraordinariae conversionis.

C. **Normae practicae, quarum nulla supplet iudicii maturitatem.**

I. **Semper prohibendus** est immediato ascensu, qui in *praesenti* laborat malo habitu *hebdomadario,* etiam solitario.

II. **Moraliter semper prohibendus** est immediato ascensu qui *quolibet habitu praesenti* infectus est, nisi extraordinaria fuerit eius conversio. Cfr S. ALPH. VI, 64.

Si habitus fuerit cum alia persona, *semper* praeterea *experimentum* continentiae imponendum est.

III. **Dehortandus** est ascensu:

a) qui habitudinem habuerit *peccandi cum alia persona ;*

b) qui laboraverit habitu *hebdomadario* etiam vitii solitarii (propter periculum novae crisis);

c) qui *nimis* ad vitium *propensus* sit.

Nimia autem propensio a perito cognosci potest, et iam revelatur ipsis mediis *extraordinariis* quibus uti quis debet ad servandam castitatem (violenta non durant). Exceptio fortasse admitti potest, si cum extraordinaria conversione experimentum praevium coniungatur.

B. N. In his tribus casibus *nullus respectus* habendus est condicionum sub B. seu argumentorum pro ordinatione.

IV. Etiam si extraordinaria fuerit gratia conversionis, *semper* suadenda est *praevia probatio*, quae gravitati habitus attemperata fuerit.

V. **Hortandus non** est is, cuius praevidentur relapsus *accidentales*, i. e. qui non iam ex habitu, sed ex causa accidentali manant.

VI. Ad prudentem confessarium spectat cognoscere an poenitens vel temporis experimento vel alia via sit convenienter probatus atque dispositus.

VII. In casibus minus perspicuis et quando rogatur consilium, consiliator elementa pro cum elementis contra, implorato lumine divino, perpendet.

N. B. Iudicium confessarii fere semper ad castitatem refertur.

De actione eorum qui externae seminarii gubernationi praeficiuntur paucissima haec subiungere liceat.

1. Ad tria vitia potissimum attendendum est: ad *superbiam* (quae se prodat gravior et vix corrigibilis), ad *luxuriam*, ad *ebrietatem*.

2. Qui in *primo* anno seminarii, ubi multa nova media supernaturalia praesto sunt, habitum non deposuerit, experientia teste, a fortiori in sequentibus annis manet habitu ligatus; quare dimittendus est.

3. Qui in *feriis* habitudinem habuerit *peccandi cum alia persona*, iterum, teste experientia, prohibendus est ab ascensu.

Quaestio subsiciva.

Hactenus definire conati sumus quaenam virtus in eo adesse debeat qui sacros ordines suscipere voluerit. Atque, ut ex ipsis normis facile colligitur, ut minimum requiritur *habitualis status gratiae*, quem nullus pravus habitus interrumpat, et *securitas a casu qui palam sit scandalosus*.

Iam quaeritur quonum fundamento niti debeat coniectura Confessarii de isto habitu et de ista securitate. Sufficitne probabilis, an requiritur moraliter certa? Physice enim certitudinem haberi non posse nimis liquet.

Iam vero statuimus *moralem certitudinem requiri,* nec sufficere coniecturam probabilem, nisi ea sit quae, quia unice probabilis est, ad moralem certitudinem redigitur.

Quod tum ratione, tum auctoritate sic effici posse arbitramur.

1. *Argumentum rationis.*

a) Estne fas ut cum dubia aptitudine aliquod officium ambias, ut eius onera et obligationes suscipias ?

Quisnam id fas esse dixerit ?

Estne istud fas, si via postea retrocedendi penitus sit interclusa ?

Id multo minus fas esse omnes affirmabunt.

Estne istud fas, si periculum accedit gravis detrimenti aliorum vel Societatis publicae ?

Ex periculo isto fortissimam rationem prohibitionis manare nemo diffitebitur.

Ac re vera, quisnam existimaverit quempiam cum dubia scientia munus advocati, iudicis, cum dubia peritia munus medici honeste assumi vel exerceri posse ?

Iam vero dubia est idoneitas, si rationes probabiles suadent virtutem non satis firmari, etiamsi rationes probabiles virtutis sufficientiam suadeant.

Haec est vera positio Probabilismi : cum rationes probabiles suadent non haberi legem, lex *dubia* est etsi rationes probabiles stent pro lege. Et talis lex, utpote quae sit dubia, obligare negatur.

Igitur iuvenis sacros ordines honeste appetere non potest, quam diu non constet morali certitudine, periculum publici scandali vel pravae consuetudinis esse amotum.

b) Probabilitas futurae castitatis est probabilitas non iuris sed facti. Atqui « dicimus numquam esse licitum uti opinione probabili probabilitate facti cum periculo damni alterius aut sui ipsius, quia huiusmodi pro-

babilitas minime aufert periculum damni » (S. ALPH. I, 42).

In casu autem nostro, periculum damni tum proprii tum alieni subesse, manifestum est.

2. *Argumentum auctoritatis.*

a) Pro nostra conclusione faciunt quotquot requirunt in ordinando sanctitatem seu *probatam virtutem.* Iidem enim, consequenter volunt ut adesse cognoscatur, nec mere cernatur veri similis. Quare allegamus:

c. Nemo, 12, Distinct. 32: « Nemo ad Sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo aut probatae castitatis exsistat ».

S. THOMAM, 2, 2, q. 189 art. 2 ad 6: « Ordines sacri praeexigunt sanctitatem... unde pondus ordinum imponendum parietibus iam per sanctitatem desiccatis ».

Haec, subiungit BALLERINI, IV, 231, videtur communis doctrina. Ceterum ipse S. THOMAS, loquens de ordinante, haec habet: « exigitur ut secundum mensuram ordinis vel officii iniungendi, diligenter cura apponatur ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum ». (Supp!. q. 36 art. 4. ad 3).

Salmanticenses, tr. 8 *De Ordine,* c. 5, n. 40, « ultra (absentiam a peccato mortali) requiritur quod (ordinandus) sit honestis moribus imbutus ».

PIGHI, *Theol, mor.* IV, n. 449 Q. 3. « Primario immo essentialiter est (requisita) sanctitas interna seu vera, tum positiva, tum praesertim negativa, quo ipsius anima immunis sit nedum a peccato, sed et ab habitibus pravis ».

b) Nec desunt testimonia magis directa et explicita.

VOIT, S. I, *De Ord.* n. 1013: « Quaenam requiritur sanctitas in ordinando subdiacono? ». — « Ut vel a baptismo innocenter vixerit, vel peccati maculas a notabili tempore per paenitentiam eluerit: ut solutus a vitiosis habitibus et in virtutibus, praesertim in castitate radicatus, extra morale periculum constitutus censeatur ».

LEHMKUHL, S. I. II, 760. « De divina vocatione id imprimis noto, debere positiva probatione constare de vitae probitate, tum Superiori, ut ad ordines, maxime sacros, admittere possit, tum ipsi candidato, ut sacrum ordinem suscipiat ».

PRUEMMER, O. P., *Theol, mor.* III, 603: « Omnes docent non sufficere ut ordinandus post sinceram confessionem sit abso-

lutus a gravibus peccatis commissis, sed etian ut per diuturnum exercitium virtutum, praebuerit moralem certitudinem de constanti vita virtuosa ».

FRASSINETTI, *Comp. della Teolog. morale,* n. 470, nota 150: « Il Confessore del chierico abituato non si lasci smuovere nè per promesse, nè per proteste, nè per lagrime e scongiuri dalla necessaria inflessibilità di negargli l'assoluzione, se prima d'una prova di stabile e sicuro ravvedimento pretende di passare al suddiaconato » (1).

D' ANNIBALE, *Summula,* III 293, nota 19, ut controversam quidem refert quaestionem utrum sine praevio experimento clericus habituatus ad ordines sacros admitti possit, necne, sed S. ALPHONSO standum esse tenet: « Sane is, licet extra hunc casum licite absolvi posset, in praesens indignus est qui hunc honorem sibi sumat; et merito dubitari debet, utrum ad hunc honorem vocatus sit; et ne, sacerdotio suscepto, in gravius periculum coniciatur ».

AENNIJS-DAMEN, C. SS. R., *Theol, mor.,* II, 586, sicut MARC-GESTERMAN, doctrinam S. Alphonsi repetit: « Tenetur antea per tempus notabile, saltem per complures menses, pravum habitum emendasse ».

BULOT, S. I. *Theol, mor.* II, n. 130, haec tradit de eo qui frequenter labitur et velit ingredi religionem clericalem et apostolicam: « Si carnis lapsus oriantur ex indole vel pravo habitu, potius quam ex tentatione externa vehementi, videtur omnino arcendus, utpote onus importabile ausu temerario volens suscipere cum magno periculo scandali et religionis detrimento ».

FERRERES, S. I. *Comp. Theol.* II, 876 (ed. 10) refert et sequi videtur placita S. ALPHONSI, LEHMKUHL, AERTNIJS, etc, etsi in fine addat « contra alios ». Ipse demum sic concludit: « Si quis exquirat a nobis *consilium,* id nostrum erit, ut non audeat ad ordines sacros accedere nisi post longam unius saltem anni probationem castitatis; 2, si de *praecepto* sit sermo, vix umquam prohibendum accessum ad sacros ordines ei qui *per sex menses* perfectam servaverit castitatem; vix umquam concedendum, nisi saltem post *tres menses* probationis; minus vero difficilem poterit quis se exhibere erga eos qui per *quatuor* vel

(1) Confessarius clerici vitioso habitu affecti, nec per promissa, nec per asserverationes, nec per lacrymas nec per singulta sinat se moveri a necessaria firmitate qua neganda est absolutio ei qui, priusquam stabilem et certam emendationem demonstraverit, ad subdiaconatum transire voluerit ».

quinque menses illibatam servaverunt castitatem. Excipitur semper casus mirae et extraordinariae conversionis ».

Card. GENNARI MONITORE, t. 25, p. 74 necessitatem comparatae certitudinis multis urget.

CORNELISSE, O. F. M. *Comp. Theol.* III, n. 502, sententiam S. ALPHONSI refert, dein respondet cum BALLERINI et GENICOT, et tandem haec profert: « Nihilo minus in hypothesi (clerici habituati in peccatis luxuriae occultis) putamus aliquam obligationem *ex lege naturae*, abstinendi ab ordine sacro, maxime a subdiaconatu recipiendo (1); eam autem graviorem vel leviorem pro maiori vel minori periculo quod, omnibus consideratis, remanere creditur ne tali paenitenti Ordo seu potius status suscipiendus vergat in maiorem sni aliorumve perniciem ».

Num forte obicies Tridentinum, quod S. XXIII, c. 13 mere exigere videtur ut subdiaconi « sperent Deo auctore se continere posse »? Sed Concilium ipsos non supponit vitiosos, cum velit ut bonum testimonium afferant et in minoribus ordinibus iam sint probati; et ab ordinandis presbyteris postulat ut sint « castis moribus conspicui » (c. 14). Quare ita locutum esse videtur quia, cum nemo de perseverantia sua sit stricte certus, non possimus nisi spem fundatam habere, quae nullo argumento contrario infirmetur.

A nobis non dissentire, sed ad communem sententiam trahi posse ac deberi arbitramur auctores, ceterum probatos, quorum modus dicendi, parumper ambiguus, de mera probabilitate accipi possit (2). Ita clariora verba desiderantur apud BALLERINI PALMIERI (3), IV,

---

(1) « Maxime a subdiaconatu », quatenus tunc facilius receditur. Sed si post subdiaconatum habitus permanserit, magis urgere nobis videtur ratio non ascendendi ad ordines superiores qui ne ut subdiaconus quidem caste vivere potuerit. Ipsum C. Trid. plus, c. 14 pro presbyteris, quam c. 13 pro subdiaconis exigit.

(2) Sunt auctores, aiunt PISCETTA-GENNARO (*Elementa theol. mor. IV, 180*) qui clerico habituato ascensum permittunt « si modo probabiliter aestimat se imposterum caste victurum, et confessarius non iudicat eum falli ».

(3) « *Si aliter nequit credi probabiliter* quod ordinatus sit caste victurus ».

228-233; NOLDIN (1), II, 753; GÉNICOT (2), II, 26; TANQUEREY (3), *Theol, mor. et pastor.* I, n. 1161. Id dolemus, quia perperam intellecti locum facile dant actionis nimis benignae, quae, in hac re, ut nobis dicebat P. LEHMKUHL, tegit crudelitatem erga Ecclesiam et, nimis saepe etiam erga minus dignos quos dein sero paenitet se ad sacros ordines aspirasse.

Dolemus etiam non bene allegari BENEDICTUM XIV, *De Syn.* L. XI, c. 2, n. 18, quasi simpliciter scripserit « nullam generalem regulam tradi posse », cum Pontifex haec non tradat nisi de eo qui « talia contriti cordis indicia prae se ferat, ut Confessarius illius conversionem sinceram merito existimare valeat atque confidere eum non amplius relapsurum esse in antiqua peccata quorum consuetudine involutus fuit ».

A. VERMEERSCH, S. I.

Quaesita de usu privilegii Fidei.

I. Titius, vir prudens et providus, vix suscepto baptismo, uxorem quam in infidelitate duxerat interpellavit utrum necne vellet converti vel saltem pacifice cum ipso cohabitare. Acceptum responsum negativum ad utramque quaestionem communicavit cum missionario, ac dein quaesivit sibi christianam quae vellet secum nuptias celebrare. Hac reperta, adivit missionarium ut de die celebrationis convenirent. Missionarius tamen dubio angitur: interpellationes suntne sufficientes, cum non sint factae interveniente Ordinario,

(1) « Ex rei natura clericus ad sacros ordines tuta conscientia accedere nequit, *nisi fundatam spem* teneat se habitualiter saltem caste victurum esse prout in ordinatione Deo promissurus est ».

(2) « Qui turpium peccatorum consuetudine irretitus *maiorem ordinem suscipit,... non habens probabilem aestimationem* quod, suscepto ordine, peccata externa gravia contra castitatem *habitualiter* vitabit, peccat graviter. Ita communissima sententia ».

(3) Qui peccata contra castitatem vel alias virtutes « commiserunt debent tamdiu probari quam diu necesse est ut fundata spes habeatur eos in eadem vitia non esse relapsuros ».

et tunc peractae sint quando nulla erat Titio voluntas nisi generalis, quondam nubendi?

Respondemus tamen interpellationes factas sine dubio esse validas. Interventus quidem Ordinarii regulariter praescribitur, ut nunc expressis verbis statuit canon 1122; verum idem canon in § 2 monet etiam privatim a parte conversa factas interpellationes valere. Curandum tamen est ut per duos testes vel alio probationis modo de factis interpellationibus et responsis negativis partis infidelis in foro externo constet.

Nusquam dein legitur necesse esse ut interpellationes fiant postquam pars conversa sponsalia fecerit vel de definita uxore cogitaverit. Unum per se requiritur, ut fiant post baptismum partis conversae ante huius matrimonium et ante baptismum alterius partis. Nullus, quod sciamus, auctor novam condicionem apponit. Cfr v. g. WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum,* IV, n. 632; CAPPELLO, *De matrimonio,* n. 768. Nulla ratio igitur est cur severius dicamus.

Quaeres fortasse cur interpellationes fierent ante quam pars fidelis statuisset se definite velle cum tali persona contrahere matrimonium?

Respondemus id optimis rationibus suaderi posse. V. g. si in praesenti sine difficultate interpellari possit infidelis quem deinceps reperire nequeas vel simpliciter vel non sine molesto conatu; vel si, ut casus est in Sinis, sponsalia non possint sine dedecore pro parte repudiata abrumpi. In isto casu, si Titius, postquam de matrimonio agere coeperit cum aliqua Bertha, et dein ab uxore infideli respondeatur se velle pacifice cohabitare, a propositis novis nuptiis recedere non posset sine offensa Bertha et eius familia.

II. **Quaeres** autem quid iuris, *si pars infidelis consilium mutet,* et quae prius nolebat nunc iam annuat pacificae cohabitationi?

Respondemus, dummodo ipsa ne sit baptizata ante

novas viri facti christiani nuptias, paenitentia ista ius Titii minime affici. Etenim interpellationes semel tantum faciendae sunt habentque effectum perpetuum. Cfr Nostrum *De Casu Apostoli,* n. 57. 62.

III. Etiam ante definite propositas nuptias, dummodo iustae adsint causae, *dispensatio ab interpellatione* valide et licite concedi potest. Unum tamen statuitur, post receptam dispensationem, matrimonium infra annum celebrandum esse. Elapso anno sine matrimonio, vel nova dispensatio impetranda est vel interpellationes faciendae sunt.

Quid autem, si dispensatio concessa est post sponsalia Titii cum Bertha, et subinde Titius, abruptis sponsalibus, alteri mulieri christianae, Semproniae, manum suam dare voluerit. Estne facta dispensatio utilis ad alias nuptias, an potius renovanda?

Res ista non consuevit attingi a scriptoribus. Recolamus principia. Dispensatio effectum habet ex voluntate dispensantis, nec potest praesumi de futuro, seu conici ex interpretatione animi seu voluntatis *quae esset si* Superior interrogaretur, sed quae re vera non fuit. Quare, si data fuit ut Titius Bertham uxorem duceret, et is velit cum Sempronia nuptias contrahere, nova dispensatione opus erit: si vero simpliciter data est ut christianam uxorem ducere queat, semel concessa dispensatio erit ad novas nuptias utilis.

Ac re vera, cum causae dispensandi ab interpellatione omnes se habeant ex parte infidelis qui difficile interpellari queat, dispensatio plerumque data censebitur ad permittendas simpliciter nuptias potius quam tales nuptias. Practice autem securius erit interrogare dispensantem, qui potest gratiam a se concessam utilem reddere ad alium casum, per suam ratihabitionem novi usus faciendi ex priore sua concessione.

A. VERMEERSCH, S. I.

Solutio Casus propositi De Iustitia, p. 228*.

Ad I. Mathilda hereditatem ex testamento tuta conscientia adire potest.

Habet enim, in isto testamento authentico, titulum legalem qui nullo vitio laborat.

Defuncta quidem voluntatem expressit istud testamentum mutandi, et quidem in detrimentum Mathildae. Voluntas autem ista omni legali expressione caruit. Comparari potest cum testamento informi quod is cuius interest tuto neglegere potest.

Nec defectus novi istrumenti ullo modo Mathildae imputari potest. Quae inter Euphrosinam et Leocadiam convenerint Mathilda ignorabat. Ipsi sunt res inter alios actae quae ius suum, seu iuridicas suas rationes nec mutare nec afficere potuerunt.

Ad II. Peior, prima specie, est causa Leocadiae. Haec enim mandatum acceptavit arcessendi notarium.

Voluitne autem se ex iustitia obligare ad quaerendum notarium, an tantum bono amicae officio aegrotae grata esse?

Nulla mentio fit sollemnis cuiuspiam promissionis.

Num promisit se curaturam esse ut notarius re vera arcesseretur, an tantum unum aditum ad notarium promisit, quem re vera tentavit?

Potius merum hoc conamen videtur promisisse, ita ut, postquam se frustra ad domicilium notarii contulisset, se omni onere liberatam existimare potuerit.

Num vi vel fraude Euphrosinam impedivit ne opera alius personae notarium acciret?

Nihil huiusmodi insinuatur. Integrum ipsi Euphrosinae erat, per paucos dies qui ei superfuerunt vitae, sollicite de advocando notario cogitare.

Quare, ne ipsa quidem Leocadia rea iniustitiae fuisse videtur, ita ut nullum de restitutione verbum miscendum sit.

PARS ALTERA

MONUMENTA

1. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Litt. Enc. (1) 6 Ian. 1928

DE VERA RELIGIONIS UNITATE FOVENDA

(A. A. S. 10 ian. 1928, 20,5)

Prima Pars.

Pius PP. XI. Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Generalis cupiditas fraternae unionis

Mortalium animos nunquam fortasse alias tanta incessit cupiditas fraternae illius, qua — ob unam eandemque originem ac naturam — inter nos obstringimur copulamurque, necessitudinis cum confirmandae tum ad commune humanae societatis bonum transferendae, quantam per nostra haec tempora incessisse videmus. Cum enim nationes pacis muneribus nondum plene fruantur, quin immo vetera alicubi et nova discidia in seditiones inque civiles conflictiones erumpant; controversias autem sane plurimas, quae ad tranquillitatem prosperitatemque populorum pertinent, dirimi nequaquam liceat, nisi concors eorum actio atque opera intercedat qui Civitatibus praesunt earumque negotia gerunt ac provehunt; facile intellegitur — eo magis quod de generis humani unitate iam nulli dissentiunt — quare cupiant plerique, ut, universa eiusmodi germanitate instinctae, cotidie arctius variae inter se gentes cohaereant.

Spes concepta coniungendi omnes aliquo modo religiosos. Inde conventus.

Rem haud dissimilem in iis, quae invectam a Christo Domino Novae Legis ordinationem respiciunt, efficere quidam contendunt. Quod enim pro comperto habeant, homines quovis religionis sensu destitutos perraro inveniri, idcirco eam in

(1) Ad RR. PP. DD. Patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, aliosque locorum ordinarios pacem et communionem cum apostolica sede habentes: de vera religionis unitate fovenda.

spem ingressi videntur, haud difficulter eventurum, ut populi, etsi de rebus divinis alii aliud tenent, in nonnullarum tamen professione doctrinarum, quasi in communi quodam spiritualis vitae fundamento, fraterne consentiant. Qua de causa ab iis ipsis conventus, coetus, contiones, haud mediocri cum auditorum frequentia, haberi solent, et advocari illuc ad disceptandum promiscue omnes, cum ethnici omne genus, tum christifideles, tum etiam qui ab Christo infeliciter descivere vel qui divinae eius naturae ac legationi praefracte pertinaciterque repugnant. Eiusmodi sane molimenta probari nullo pacto catholicis possunt, quandoquidem falsa eorum opinione nituntur, qui censent, religiones quaslibet plus minus bonas ac laudabiles esse, utpote quae etsi non uno modo, aeque tamen aperiant ac significent nativum illum ingenitumque nobis sensum, quo erga Deum ferimur eiusque imperium obsequenter agnoscimus. Quam quidem opinionem qui habent, non modo ii errant ac falluntur, sed etiam, cum veram religionem, eius notionem depravando, repudient, tum ad naturalismum et atheismum, ut aiunt, gradatim deflectunt: unde manifesto consequitur, ut ab revelata divinitus religione omnino recedat quisquis talia sentientibus molientibusque adstipulatur.

Magis speciosa spes uniendi christianos

At fucata quadam recti specie nonnulli facilius decipiuntur cum de unitate agitur christianos inter omnes fovenda. Nonne — dictitari solet — aequum est, immo etiam cum officio consentaneum, quotquot Christi nomen invocant, eos et a mutuis criminationibus abstinere sese et mutua tandem aliquando caritate coniungi? Ecquis enim dicere audeat, ab se Christum amari, nisi pro viribus optata ipsius perficienda curet, Patrem rogantis ut discipuli sui « unum » essent? (1) Atque idem Christus discipulos suos nonne hac veluti nota insigniri ab ceterisque distingui voluit, ut scilicet inter se diligerent: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem »? (2) Christiani quidem universi — addunt — utinam « unum » essent: etenim ad propulsandam impietatis luem multo plus possent, quae, cum latius in dies serpat ac pervagetur, enervare Evangelium parat. Haec aliaque id genus iactant atque inflant qui *panchristiani* vocantur; iidemque tantum abest ut pauci admodum rarique sint, ut, contra, in integros veluti ordines creverint, et in societates coiverint late diffusas, quas plerumque, etsi alii alia imbuti de rebus

(1) IOANN., XVII, 21.
(2) IOANN., XIII, 35.

fidei doctrina, acatholici homines moderantur. Inceptum interea istud tam actuose provehitur, ut multifariam sibi civium assensum conciliet, et ipsos complurium catholicorum animos spe capiat alliciatque talis efficiendae unionis quae cum Sanctae Matris Ecclesiae votis congruere videatur, cui profecto nihil antiquius quam ut devios ad gremium suum filios revocet ac reducat. Verum sub horum illecebris blandimentisque verborum error latet sane gravissimus, quo catholicae fidei fundamenta penitus disiiciuntur.

Apostolicum officium protegendi gregem a perniciosis fallaciis

Conscientia igitur apostolici officii cum moneamur, ut dominicum gregem perniciosis ne sinamus circumveniri fallaciis, vestram, Venerabiles Fratres, in cavendum eiusmodi malum diligentiam advocamus; confidimus enim, per scripta et verba cuiusque vestrum posse facilius et ad populum pertingere et a populo intellegi quae mox principia et rationes proposituri sumus, unde catholici accipiant quid sibi sentiendum agendumve cum res est de inceptis quae eo spectant, ut, quotquot christiani nuncupantur, ii omnes in unum corpus quoquo pacto coalescant.

Altera Pars.
Attento iure Dei eiusque beneplacito,

A Deo, universarum rerum Conditore, idcirco creati sumus ut eum cognosceremus eique serviremus; plenum igitur Auctor noster ius habet, ut sibi a nobis serviatur. Potuit quidem Deus regundo homini unam tantummodo praestituere naturae legem, quam scilicet, creando, in eius animo insculpsit, eiusque ipsius legis ordinaria deinceps providentia temperare incrementa; at vero praecepta ferre maluit, quibus pareremus, et decursu aetatum, scilicet ab humani generis primordiis ad Christi Iesu adventum et praedicationem, hominem ipsemet officia docuit, quae a natura rationis participe sibi Creatori deberentur: « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio ». (1) Liquet inde, veram religionem esse posse nullam praeter eam quae verbo Dei revelato nititur: quam quidem revelationem, fieri ab initio coeptam et sub Veteri Lege continuatam, Christus ipse Iesus sub Nova perfecit. Iamvero, si locutus est Deus — quem reapse locutum, historiae fide comprobatur —, nemo non videt, hominis esse, Deo et revelanti absolute credere et omnino obedire imperanti: utrumque autem ut nos, ad Dei gloriam nostramque salutem, recte ageremus, Unigenitus Dei Filius suam in terris Ecclesiam constituit. Porro qui se christianos profitentur, putamus eos facere non posse quin credant, Ecclesiam quandam, eandemque unam,

Vera religio nulla esse potest praeter revelatam,

(1) *Hebr.*, I, 1 seq.

ab Christo conditam esse; verum si quaeritur praeterea, qualem, Auctoris sui voluntate, eam esse oporteat, iam non omnes consentiunt. Ex iis enim bene multi, exempli causa, negant, Ecclesiam Christi adspectabilem atque conspicuam esse oportere, eatenus saltem, quatenus unum apparere debeat fidelium corpus, in una eademque doctrina sub uno magisterio ac regimine concordium; at, contra, Ecclesiam adspectabilem seu visibilem intellegunt non aliud esse, nisi Foedus ex variis christianorum communitatibus compositum, licet aliis aliae doctrinis, vel inter se pugnantibus, adhaereant. — Ecclesiam vero suam instituit Christus Dominus societatem perfectam, natura quidem externam obiectamque sensibus, quae humani generis reparandi opus, unius capitis ductu, (1) per vivae vocis magisterium (2) perque sacramentorum, caelestis gratiae fontium dispensationem, (3) in futurum tempus persequeretur; quamobrem et regno (4) et domui (5) et ovili (6) et gregi (7) eam comparando similem affirmavit. Quae quidem Ecclesia, tam mirabiliter constituta, Conditore suo itemque Apostolis eius propagandae principibus morte sublatis, desinere atque exstingui profecto non poterat, utpote cui mandatum esset, ut universos homines, nullo temporum locorumque discrimine, ad aeternam salutem perduceret: « euntes ergo docete omnes gentes ». (8) Cuius in perpetua perfunctione muneris num Ecclesiae aliquid virtutis efficaciaeque defuturum est, quando ei praesens perpetuo adest Christus ipsemet, sollemniter pollicitus: « Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » ? (9) Itaque fieri non potest quin Ecclesia Christi non modo et hodie et in omne tempus, sed etiam eadem prorsus exsistat, quae in aevo apostolico fuit, nisi dicere velimus — quod absit — Christum Dominum aut non suffecisse proposito, aut tum errasse cum asseveravit, portas inferi adversus eam nunquam fore praevalituras. (10)

Ecclesiam visibilem a Christo institutam

Quae obiciuntur ex voto Christi, et separatione ecclesiarum

Atque hoc loco aperienda occurrit ac tollenda falsa quaedam opinio, unde tota eiusmodi causa pendere videtur, itemque acatholicorum actio et conspiratio proficisci illa multiplex, quae ad

(1) MATTH., XVI, 18 seq.; LUC., XXII, 32; IOANN., XXI, 15-17.
(2) MARC., XVI, 15.
(3) IOANN., III, 5; VI, 48-59; XX, 22 seq.: cf. MATTH., XVIII, 18; etc.
(4) MATTH., XIII.
(5) Cf. MATTH., XVI, 18.
(6) IOANN., X, 16.
(7) IOANN., XXI, 15-17.
(8) MATTH., XXVIII, 19.
(9) MATTH., XXVIII, 20.
(10) MATTH., XVI, 18.

consociandas christianas ecclesias, ut diximus, pertinet. Scilicet huius auctores consilii Christum dicentem: « Ut omnes unum sint... Fiet unum ovile et unus pastor » (1) paene infinite afferre consueverunt, ita tamen, ut significari per ea verba velint Christi Iesu votum et precem, quae adhuc effectu suo careant. Opinantur enim, fidei ac regiminis unitatem — quae verae et unius Ecclesiae Christi insigne est — nec fere unquam exstitisse antehac nec hodie exsistere; eandemque optari quidem posse et fortasse per communem voluntatum inclinationem aliquando effici, sed commenticium quiddam interea habendam esse. Addunt, Ecclesiam per se, seu natura sua, in partes esse divisam, idest ex plurimis ecclesiis seu communitatibus peculiaribus constare, quae disiunctae adhuc, etsi nonnulla doctrinae capita habent communia, tamen in reliquis discrepant; iisdem sane iuribus frui singulas; Ecclesiam, ad summum, ab aetate apostolica ad priora usque Oecumenica Concilia unicam atque unam fuisse. Oportere igitur aiunt, controversiis vel vetustissimis sententiarumque varietatibus, quae christianum nomen ad hunc diem distinent, praetermissis ac sepositis, de ceteris doctrinis communem aliquam credendi legem effici ac proponi, cuius quidem in professione fidei omnes non tam norint quam sentiant se fratres esse; multiplices autem ecclesias seu communitates, si universo quodam foedere coniunctae sint, ea iam condicione fore, ut solide fructuoseque impietatis progressionibus obsistere queant. Ista quidem, Venerabiles Fratres, communiter. Verumtamen sunt qui ponant ac concedant, Protestantismum, quem vocant, quaedam fidei capita nonnullosque externi cultus ritus, sane gratos atque utiles, inconsulto nimis abiecisse, quos, contra, Ecclesia Romana adhuc retinet. Mox tamen subiiciunt, hanc quoque ipsam perperam fecisse, quae priscam religionem corruperit, aliquibus doctrinis, Evangelio non tam alienis quam repugnantibus, additis ad credendumque propositis; quas inter praecipuam illam numerant de iurisdictionis Primatu, qui Petro eiusque in Sede Romana successoribus adiudicatur. In quo quidem numero adsunt, quamquam non ita multi, qui Romano Pontifici aut primatum honoris aut iurisdictionem seu potestatem quandam indulgeant, quam nihilominus non a iure divino sed a fidelium consensu quodammodo proficisci arbitrantur; atque alii vel eo progrediuntur, ut conventibus illis suis, quos versicolores dixeris, ipsum Pontificem praesidere cupiant. Quodsi multos, ceteroqui, reperire acatholicos licet fraternam in Christo Iesu communionem pleno ore

Error de primatu Rom. Pon. eorum qui velint agere cum Romana Ecclesia.

(1) IOANN., XVII, 21; X, 16.

praedicantes, at nullos profecto invenias, quorum in cogitationem cadat, ut Iesu Christi Vicario vel docenti vel gubernanti se subiiciant ac pareant. Interea affirmant, sese cum Ecclesia Romana, aequo tamen iure, idest pares cum pari libenter acturos: at agere si possent, non videtur dubitandum quin ea mente agerent, ut per pactum conventum forte ineundum ab iis opinionibus recedere ne cogerentur, quae causa adhuc sunt, cur extra unicum Christi ovile vagentur atque errent.

Tertia Pars. *Fieri nequit ut S. Sedes participet eorum conventus, Neque catholici iis operam dare possunt.*

Quae cum ita se habeant, manifesto patet, nec eorum conventus Apostolicam Sedem ullo pacto participare posse, nec ullo pacto catholicis licere talibus inceptis vel suffragari vel operam dare suam; quod si facerent, falsae cuidam christianae religioni auctoritatem adiungerent, ab una Christi Ecclesia admodum alienae. Num Nos patiemur — quod prorsus iniquum foret — veritatem, eamque divinitus revelatam, in pactiones deduci? Etenim de veritate revelata tuenda in praesenti agitur. Siquidem ad omnes gentes evangelica fide imbuendas misit Christus Iesus in mundum universum Apostolos, quos, ne quid errarent, per Spiritum Sanctum doceri ante voluit omnem veritatem: (1) numne haec Apostolorum doctrina in Ecclesia, cui rector et custos Deus ipse adest, aut penitus defecit aut perturbata aliquando est? Quodsi Evangelium suum Redemptor noster non ad apostolica tantum tempora, sed ad futuras quoque aetates pertinere, significanter edixit, potuitne obiectum fidei tam obscurum incertumve procedente tempore fieri, ut opiniones vel inter se contrarias hodie oporteat tolerari? Hoc si verum esset, dicendum quoque foret, et Spiritus Paracliti in Apostolos illapsum et eiusdem Spiritus in Ecclesia permansionem perpetuam et ipsam Iesu Christi praedicationem abhinc pluribus saeculis efficaciam utilitatemque omnem amisisse: quod sane affirmare, blasphemum est. Iamvero Unigenitus Dei Filius, cum legatis suis imperavit ut docerent omnes gentes, tum omnes homines hoc obstrinxit officio, ut iis rebus fidem adiungerent quae sibi a « testibus praeordinatis a Deo » (2) nuntiarentur, atque ita iussum sanxit: « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur »; (3) sed utrumque Christi praeceptum, quod non impleri non potest, alterum scilicet docendi, alterum credendi ad aeternae adeptionem salutis, ne intellegi quidem potest, nisi Ecclesia evangelicam

(1) IOANN., XVI, 13.
(2) *Act.*, X, 41.
(3) MARC., XVI, 16.

doctrinam proponat integram ac perspicuam sitque in ea proponenda a quovis errandi periculo immunis. In quo de via ii quoque declinant, qui censent, depositum quidem veritatis in terris exsistere, sed tam operoso labore, tam diuturnis studiis disceptationibusque illud quaeri oportere, ut ad inveniendum ac potiundum vix hominis vita sufficiat; quasi benignissimus Deus per prophetas et Unigenitum suum sit idcirco locutus, ut quae per hos revelasset, pauci tantummodo, iidemque aetate iam graves, perdiscerent, minime vero ut fidei morumque doctrinam praeciperet, qua homo per totum mortalis vitae curriculum regeretur.

Vera caritas fidei repugnare non potest.

Videantur quidem *panchristiani* isti, qui ad consociandas ecclesias intendunt animum, nobilissimum persequi consilium caritatis christianos inter omnes provehendae; at tamen qui fieri potest, ut in fidei detrimentum caritas vergat? Nemo sane ignorat, Ioannem ipsum, caritatis Apostolum, qui in evangelio suo Cordis Iesu Sacratissimi videtur secreta pandidisse perpetuoque memoriae suorum praeceptum novum « Diligite alterutrum » inculcare consueverat, omnino vetuisse ne quid cum iis haberetur commercii, qui Christi doctrinam non integram incorruptamque profiterentur: « Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis ». (1) Quamobrem cum caritas fide integra ac sincera, quasi fundamento, innitatur, tum unitate fidei, quasi praecipuo vinculo, discipulos Christi copulari opus est. Itaque fingere animo qui liceat christianum quoddam Foedus, quod qui inierint, vel tum, cum de fidei obiecto agitur, suam quisque cogitandi sentiendique rationem retineant, quamvis ea ceterorum opinionibus repugnet? Et quo pacto, rogamus, unum idemque fidelium Foedus participent homines qui contrarias in sententias abeunt? ut, exempli causa, sacram Traditionem genuinum esse divinae Revelationis fontem, qui affirmant et qui negant? ut qui ecclesiasticam hierarchiam, ex episcopis, presbyteris atque ministris constantem, censent divinitus constitutam, et qui asserunt pro rerum temporumque condicione pedetemptim inductam? qui in Sanctissima Eucharistia per mirabilem illam panis et vini conversionem, quae transsubstantiatio appellatur, praesentem reapse Christum adorant, et qui ibi corpus Christi tantummodo per fidem vel per signum ac virtutem Sacramenti adesse affirmant; qui in ea ipsa sacrificii item ac sacramenti naturam agnoscunt, et qui eam dicunt nihil esse aliud quam Dominicae

Quot discidia de fidei obiecto!

(1) *II Ioann.* 10.

Coenae memoriam seu commemorationem? qui bonum atque utile esse credunt, Sanctos una cum Christo regnantes, in primis Deiparam Mariam, suppliciter invocari eorumque imaginibus venerationem impertiri, et qui contendunt eiusmodi cultum adhiberi non posse, utpote qui honori « unius mediatoris Dei et hominum » Iesu Christi (1) adversetur? Qua quidem tanta opinionum discrepantia nescimus quomodo ad unitatem Ecclesiae efficiendam muniatur via, quando ea nisi ex uno magisterio, ex una credendi lege unaque christianorum fide oriri non potest; at scimus profecto, facile inde gradum fieri ad religionis neglegentiam seu *indifferentismum* et ad modernismum, ut aiunt, quo qui misere infecti sunt, tenent iidem, veritatem dogmaticam non esse *absolutam* sed *relativam*, idest variis temporum locorumque necessitatibus variisque animorum inclinationibus congruentem, cum ea ipsa non immutabili revelatione contineatur, sed talis sit, quae hominum vitae accommodetur. Praeterea, quod ad res credendas attinet, discrimine illo uti nequaquam licet quod inter capita fidei *fundamentalia* et *non fundamentalia*, quae vocant, induci placuit, quasi altera recipi ab omnibus debeant, libera, contra, fidelium assensioni permitti altera queant; supernaturalis enim virtus fidei causam formalem habet, Dei revelantis auctoritatem, quae nullam distinctionem eiusmodi patitur. Quapropter quotquot vere sunt Christi, quam, exempli gratia, Augustae Trinitatis mysterio fidem praestant, eandem dogmati Deiparae sine labe originis Conceptae adhibent, pariterque Incarnationi Dominicae non aliam atque infallibili Romani Pontificis magisterio, eo quidem sensu quo ab Oecumenica Vaticana Synodo definitum est. Neque enim quod eiusmodi veritates alias aliis aetatibus, vel proxime superioribus, sollemni Ecclesia decreto sanxit ac definivit eaedem idcirco non aeque certae, non aeque credendae; nonne Deus illas omnes revelavit? Etenim Ecclesiae magisterium — quod divino consilio in terris constitutum est ut revelatae doctrinae cum incolumes ad perpetuitatem consisterent, tum ad cognitionem hominum facile tutoque traducerentur — quamquam per Romanum Pontificem et Episcopos cum eo communionem habentes cotidie exercetur, id tamen complectitur muneris, ut, si quando aut haereticorum erroribus atque oppugnationibus obsisti efficacius aut clarius subtiliusque explicata sacrae doctrinae capita in fidelium mentibus imprimi oporteat, ad aliquid tum sollemnibus ritibus decretisque definiendum opportune procedat. Quo quidem

Excluso magisterio, non ad unitatem sed ad indifferentismum et modernismum via sternitur.

Nec puncta sunt alia fundamentalia, alia non.

(1) Cfr I Tim., II, 5.

extraordinario magisterii usu nullum sane inventum inducitur nec quidquam additur novi ad earum summam veritatum, quae in deposito Revelationis, Ecclesiae divinitus tradito, saltem implicite continentur, verum aut ea declarantur quae forte adhuc obscura compluribus videri possint aut ea tenenda de fide statuuntur quae a nonnullis ante in controversiam vocabantur.

E solo reditu ad veram Ecclesiam unitas sperari potest.

Itaque, Venerabiles Fratres, planum est cur haec Apostolica Sedes numquam siverit suos acatholicorum interesse conventibus: christianorum enim coniunctionem haud aliter foveri licet, quam fovendo dissidentium ad unam veram Christi Ecclesiam reditu, quandoquidem olim ab ea infeliciter descivere. Ad unam veram Christi Ecclesiam, inquimus, omnibus sane conspicuam et talem, Auctoris sui voluntate, perpetuo mansuram, qualem ipsemet ad communem salutem instituit. Neque enim mystica Christi Sponsa, saeculorum decursu, contaminata est unquam, nec contaminari aliquando potest, teste Cypriano: « Adulterari non potest Sponsa Christi: incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit ». (1) Et sanctus idem Martyr iure meritoque mirabatur vehementer, quod credere quispiam posset « hanc unitatem de divina firmitate venientem, sacramentis caelestibus cohaerentem, scindi in ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio separari ». (2) Cum enim corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, unum sit, (3) compactum et connexum, (4) corporis eius physici instar, inepte stulteque dixeris mysticum corpus ex membris disiunctis dissipatisque constare posse: quisquis igitur cum eo non copulatur, nec eius est membrum nec cum capite Christo cohaeret. (5)

Inde acceptanda auctoritas Petri eiusque successorum.

Iamvero in hac una Christi Ecclesia nemo est, perseverat nemo, nisi Petri, legitimorumque eius successorum, auctoritatem potestatemque obediendo agnoscat atque accipiat. Episcopo quidem Romano, summo animarum Pastori, nonne maiores paruerunt eorum, qui Photii novatorumque erroribus implicantur? Recesserunt heu filii a paterna domo, quae non idcirco concidit ac periit, perpetuo ut erat Dei fulta praesidio; ad communem igitur Patrem revertantur, qui, iniurias Apostolicae Sedi ante inustas oblitus, eos amantissime accepturus est. Nam si, quemadmodum dictitant, consociari Nobiscum et

(1) *De Cath. Ecclesiae unitate*, 6.
(2) Ibidem.
(3) *I Cor.*, XII, 12.
(4) *Eph.*, IV, 15.
(5) Cfr *Eph.*, V, 30 ; I, 22.

cum nostris cupiunt, cur non ad Ecclesiam adire properent, « matrem universorum Christi fidelium et magistram ? ». (1) Lactantium iidem audiant clamitantem : « Sola... catholica Ecclesia est quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium Fidei, hoc templum Dei : quo si quis non intraverit vel a quo si quis exierit, a spe vitae ac salutis alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita et salute : cui nisi caute ac diligenter consulatur, amissa et extincta erit ». (2)

Invitatio ad accedendum

Ad Apostolicam igitur Sedem, hac in Urbe collocatam quam Petrus et Paulus Principes Apostolorum suo sanguine consecrarunt, ad Sedem, inquimus, « Ecclesiae catholicae radicem et matricem », (3) dissidentes accedant filii, non ea quidem mente ac spe, ut « Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis » (4) fidei integritatem abiiciat suosque ipsorum toleret errores, sed contra, ut se illius magisterio ac regimini permittant. Utinam, quod tam multis decessoribus Nostris nondum obtigit, id Nobis auspicato contingat, ut, quos funesto discidio seiunctos a Nobis filios dolemus, paterno animo amplectamur ; utinam Salvator noster Deus « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire », (5) Nos audiat enixe exposcentes, ut errantes omnes ad unitatem Ecclesiae vocare dignetur. Quo quidem in negotio sane gravissimo deprecatricem Beatam Mariam Virginem, Matrem divinae gratiae, omnium victricem haeresum et Auxilium christianorum adhibemus adhiberique volumus, ut optatissimi illius diei Nobis quamprimum impetret adventum, quo die universi homines divini eius Filii vocem audient « servantes unitatem Spiritus in vinculo pacis ». (6)

Oratio ad Deum et B.M.V.

Votum Pontificis. Benedictio

Hoc, Venerabiles Fratres, intellegitis quam Nobis sit in votis, idque sciant cupimus filii Nostri, non modo quotquot sunt ex orbe catholico, sed etiam quotquot a Nobis dissident : qui si humili prece caelestia lumina imploraverint, sane non est dubium quin unam Iesu Christi veram Ecclesiam sint agnituri eamque tandem ingressuri, perfecta nobiscum caritate coniuncti. In huius exspectatione rei, auspicem divinorum munerum ac testem paternae benevolentiae Nostrae, vobis, Vene-

(1) Conc. Lateran. IV, c. 5.
(2) *Divin. Instit.*, IV, 30, 11-12.
(3) S. CYPR., *Ep. 48 ad Cornelium*, 3.
(4) I *Tim.*, III, 15.
(5) *I Tim.*, II, 4.
(6) *Eph.*, IV, 3.

rabiles Fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die VI mensis Ianuarii, in Festo Ephiphaniae Iesu Christi D. N., anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri sexto. *Dies (6 ian. 1928)*

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

Encyclicae istae litterae, de praesentissimo argumento, prorsus mirabiles praedicandae sunt, sive copiam doctrinae consideres, sive claritatem expositionis, sive vim argumentorum quibus catholici a non paucis erroribus praecaventur vel etiam sanantur, et, ut sperare licet, ipsi acatholici sincerae intentionis, paulatim persuabuntur ad ineundam rectam unitatis viam.

Quare, paulo magis solito annotationes evolvere placet, hoc ordine statuto:

1. *Ut uno quasi conspectu tradamus quae Encyclica proponuntur;*

2. *Ut de erroribus reprobatis vel frustraneis conatibus quae Pontifex denuntiat non nulla addamus;*

3. *Ut quae ex iussione S. Pontificis eiusque optatis consequuntur colligamus.*

I. Ipsarum litterarum ordo et brevis conspectus.

Praeclarum istud monumentum in tres partes commode dividitur.

Prima pars memorat hodiernam propensionem voluntatum ad unionom, practicos conatus et proposita inde nata.

Haec occasio sunt Pontifici ea docendi et tradendi quae actione Ordinariorum sunt pervulganda.

Altera Pars conatus erroneis principiis fundatos redarguit.

Tertia Pars iussiones continet Pontificis eiusque optata.

Prima Pars. In prima parte S. Pontifex cupiditatem unionis eleganter distinguit *generalem, specialem, specialissimam.*

Generalis unionis voluntas, ipsa communitate originis et naturae innititur, ac pacem internationalem artiorem reddere studet. De hac S. Pontifex nihil praeterea observandum habebit: in se laudanda est, nec confusionem religiosam inducit, etsi nunc sic dicta *World Conference* per unitas religiones pacem istam fovere velit.

Specialis voluntas unionis, ex omnibus in quibus inest qui dicitur instinctus religiosus quasi aciem constituere cupit ad profligandam perfectam impietatem et incredulitatem.

Specialissima foedere coniungere velit omnes qui christiano nomine gloriantur. Inter hos, meliores sibi Ecclesiam Romanam conciliare peculiariter avent.

Prima cupiditas ex universali persuasione communis originis et experientia malorum quae dissensionibus parantur nascitur.

Altera ex voluntate cohibendi lamentabilem propagationem incredulitatis manat.

Tertia, quae « panchristianismi » nomine decoratur, appellat etiam orationem qua Christus Patrem oravit ut ipsius discipuli sint unum.

Altera Pars. Praemisso officio hominis, quod simul supremum est et alia omnia officia ad se revocat, seu officio serviendi Deo, Pontifex consilium divinum commemorat revelandi, revelatione ad omnes directa, unam religionem, quae est Christus, et quae ex voluntate Christi fideles omnes in unum visibile corpus, seu Ecclesiam, in omne tempus futuram, congregare debet.

Inde errores reprehenduntur eorum qui Ecclesiam fingant foederatis communitatibus constantem ; — vel qui votum Christi de unico ovili ed de unico Pastore interpretantur de voto hactenus vacuo et inefficaci,

quasi nondum exsistat istud ovile, vel subsistat sine Pastore ; — vel qui per mutuas concessiones conciliationem cum Ecclesia Romana somniantur.

Ne multa : communis omnium error repudiatur cuiuspiam « *syncretismi* », plus vel minus absoluti aut radicalis.

Tertia Pars. 1. *Iussio Pontificis.* Nec S. Sedes conventus huiusmodi de foederandis ecclesiis participare potest, nec catholicis licet huiusmodi inceptis suffragari vel operam dare.

Iussionem istam Pontifex confirmat perpetua assistentia Spiritus Sancti, qua fit ut Ecclesia evangelicam doctrinam integram ac perspicuam proponat ; — permultis inter se contrariis quae docent isti qui se christianos vocant, reiecta distinctione inter capita fundamentalia et secundaria : cui distinctioni repugnat revelatio quae omnium dogmatum est communis.

2. *Optatum Pontificis.* Cum vera coniunctio christianorum obtineri nequeat nisi reditu dissidentium ad unam veram Ecclesiam, ac proin oboedientiam legitimi successoris Petri, S. Pontifex peramanter dissidentes invitat ut hanc veram viam ineant unitatis. Quod ex animo optat et apprecatur.

II. De tentatis viis fallacibus.

1. *Consilium coniungendi uno foedere omnes homines religiosa anima praeditos,* in nullam stabilem institutionem concrevit.

Prodire visum est in famosa ista exhibitione religionum quae, in civitate Chicagiensi, anno 1893, habita est. Ibi, post recitatum Pater Noster a Cardinali GIBBONS, delegati religionum diversissimarum, suam quisque religionem peroravit. Hanc secuti sunt, in foederatis Americae civitatibus, plures similes conventus, donec litteris 18 sept. 1895 ad Delegatum Apostolicum (qui

postea creatus est Cardinalis, SATOLLI) LEO XIII, verbis ceterum temperatis, promiscuitatem istam improbaverit. (*Acta Leonis XIII,* XV, p. 323.)

2. *Studia " panchristianismi „* manifestantur :

a) Mutuis invitationibus quibus, in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, ministri variarum sectarum alios ministros, etiam catholicos, rogant ut secum aedificationem novi templi vel simile religiosum institutum celebrare velint.

b) Congressibus ad promovendam unitatem omnium christianorum, quos secta Episcopalis Americana excitavit ab anno 1910. Cfr iam exposita *Per.* XVI, p. 130.

c) Anglica societate quae anno 1857 constituta est ad procurandam Christianismi unitatem.

d) Diffusione et actione Societatis, cui nomen *World Alliance for international friendship through the Churches* (Societatis universalis ad internationalem pacem firmandam ope communis ecclesiarum actionis). Societas ista condita est Neo-Eboraci, 1914. Ab hoc principio proficiscitur : superbiam et egoismum gentilicium et nationalem, quae semina bellorum germinant, superari non posse nisi dominante religionis auctoritate ; oportere autem ut religio quae in ecclesiis mundi incarnatur se demonstret sincera et efficax.

e) Variis conventibus qui, sine principio continuitatis, a variis auctoribus congregantur. Ita, 19-30 aug. 1925, archiepiscopus lutheranus e Suecia convocavit congressum christianum Stockholmiam ; recens, auctore americano episcopo protestante BRENT, convenerunt variae sectae, 9-21 aug. 1927, in civitatem Lausannensem (1).

3. Versus finem istius Partis, S. Pontifex non obscure alludere videtur ad catervam istam Anglica-

(1) Cfr. de his DUDON, S. I. in *Études*, t. 185, p. 641 ss ; et t. 193, p. 664 ss.

norum qui se magis alienos a protestantibus et viciniores Ecclesiae catholicae profitentur, ita ut etiam quandam primatus rationem R. Pontifici indulgeant. Attamen, observat SS. D. N. Pp. PIUS XI, « nullos profecto invenias quorum in cogitationem cadat, ut IESU CHRISTI Vicario vel docenti vel gubernanti se subiciant ac pareant ».

III. Iussiones et vota Pontificis.

I. *S. Sedes ipsa* nullam partem habere vult in conventibus qui, ea quae dicta est ratione, pacem consectantur inter ecclesias, vel eas communi foedere et actione iungere student.

II. *Negat catholicis facultatem suffragandi vel cooperandi talibus inceptis.* Et sic confirmat resolutionem *Supremae S. C. S. Officii,* 8 iul. 1927 (*Per.* XVI, 129).

Quosnam litterae S. Pontificis directe respiciant, Enc. ipsa aperte profitetur.: sunt conventus panchristiani, seu qui, in consensu de quibusdam punctis spem reponunt vel redigendi ad unitatem vel saltem foedere coniungendi quas vocant christianas ecclesias. Ac magis immediate, ut opinatur Dr. RARABOSKY, litterae enc. respondent conventui Lausannensi, anni 1927. Ephemeris catholica *Universe,* 20 ian. 1928 sic habet: « Enc., id convenit, sunt in primis nuntium quem B. Pater mittit ad istos excellentes et ferventes Protestantes qui se Romam contulerunt ut certiores se redderent de modo quo S. Sedes exciperet sic dictam *World Conference* ».

Simul tamen eadem ephemeris latius patentem Pontificis intentionem his verbis referebat: « Manifesta intentione S. Pontificis comprehenduntur omnia studia sonantia aliquod genus reconciliationis, omnes pariter similes quaestiones sicut, amplior ista quae

suborta est conexa cum Anglicani *Prayerbook* controversia (1).

Inde quaeret quispiam num etiam reprobentur celebria colloquia Mechliniensia (*Les Conversations de Malines*). (2)

Cum colloquia ista non eo fine haberentur ut concordiae pactione catholicam Ecclesiam et Anglicanam sectam coniungerent vel praepararent, sed potius ea erat mens catholicorum ut viam conversionis faciliorem et breviorem pararent fratribus dissidentibus, manifestum est easdem nulla censoria nota his Encyclicis litteris notari. Praeterea quotquot pietatem et devotionem erga S. Sedem Ill. Cardinalis parumper cognoverunt, probe persuasum habent ad ipso nihil alicuius momenti tentatum esse quod S. Sedes saltem tacite non permitteret, quamvis numquam de re publicum aliquod mandatum dare aestimaverit opportunum.

Nunc, post factum experimentum, et perpensis commodis et incommodis, eadem colloquia minus utilia videri S. Pontifici, colligi potest ex verbis quae, 21

---

(1) It is, of course, recognised that the Encyclica is primarily the Holy Fathers message to those excellent and earnest Protestants who went to Rome to trie to secure the countenance of the Holy See for the « so called World Conference ». But within its scope there obviously come all movements what soever towards what termed « reunion » and all such issues as the larger ones raised in connection with the Anglican Prayer Book controversy ».

(2) Ista colloquia initium habuerunt ex quo Lord HALIFAX et Rev. PORTAL, C. M. anno 1921, Cardinalem Mercier inviserunt.

Habita autem sunt colloquia: 1. mense decembri 1921; - 2. mense martio, 1923; — 3. mense novembri 1923; — 4. mense maio 1925. Post obitum Illustris Cardinalis, breve quintum colloquium mense octobri 1926 habitum est ad redigendam relationem colloquiorum. Ne haec publici iuris fierent, optabat archiepiscopus Cantuarensis, suadebat Card. Arch. Mecliniensis. Lord HALIFAX, nihilo minus publici iuris fecit puncta de quibus aliquo modo convenerunt ambae partes.

Post quartum colloquium, Card. MERCIER 25 oct. 1925 litteras pastorales scripsit de *Conversations de Malines*, ut, fervente de iis controversia, earum finem et causam explicaret.

Ex parte catholica interfuerunt Cardinalis MERCIER, eiusque Vicarius generalis qui nunc est Card. Van Roey, postea Rev. BATTIFOL et Rev. HEMMER. Ex parte Anglicanorum nominemus Lord HALIFAX et Rev. GORE.

ian. 1928 leguntur in *Osservatore Romano:* « *In quanto ad una eventuale ripresa delle « Conversazioni... » possiamo di nuovo assolutamente assicurare che una ripresa non sarebbe certamente per consenso o per incoraggiamento del Santo Padre... il Quale, pur avendo seguito fin qui lo svolgimento delle cose, non ne ha mai preso atto se non come di cosa avvenuta fra private persone, senza mandato di sorte alcuna* „ (1).

De isto *Prayer Book* eiusque tentata reformatione, egregius moderator « *Ephemerides Liturgicae* » R. P. PALADINI, C. M., haec, a se ex *Osservatore Romano* collecta, nobis benigne communicavit.

« Recognitio istius libri liturgici (2), qui tantae est apud Anglicanos auctoritatis, attentionem fugere nequit cuiuspiam qui in religione vel liturgia aliquantisper versetur. In *Ephemerides Liturgicae* anni 1927, p. 322. 323, collaborator quispiam noster fuse de eo rettulit, atque facta collatione novi et antiqui *Prayer Book,* de merito et demerito correctionum iudicium suum expressit.

« Capita Ecclesiae nationalis anglicanae, accurato studio et patientia novam editionem praeparaverant; sola desiderabatur consensio et approbatio utriusque aulae Parlamentaris, ut novus precum communium liber vigere inciperet. Manebat autem ipsos inopinata difficultas. Dum in Dominorum Senatu *(Camera dei Lord)*

---

(1) I. e. latine: « De possibili iteratione conversationum », omnino affirmare possumus eam nec positivo assensu nec adhortatione SS. Domini stipatum iri. Is, etsi hactenus rerum explicationem observaverit, numquam eas sibi retinuit nisi ut res actas inter privatos, nulla mandati ratione munitos ». Quare Eminentissimus Card. VAN ROEY, dum excipiebat, 17 dec. 1927, Lord HALIFAX, ipsi declaravit nullum iam modum a se videri haec colloquia resumendi.

(2) *Prayer Book* seu *Book of Common Prayer* omnem ordinationem cultus anglicani continet, non exclusa sacramentorum administratione. Primum liber iste vulgatus est anno 1549, Eduardo VI rege; regnante Elisabetha, 1559, est perfectus, et in secundariis quibusdam punctis recognitus anno 1661 et 1662. Tunc facta editio adhuc viget. Cfr BATIFFOL qui de recens tentata reformatione disseruit in CORRESPONDANT, 25 ian. 1928. Eius disputatio legitur quoque in *Documentation catholique,* 25 feb. 1928, p. 451-460.

liber sine negotio admissus est, tantopere ei in aula populari *(Camera dei Comuni)* reclamatum est, ut omnis approbationis spes in praesenti deponi debuerit.

« Quod sic praeter exspectationem accidit ingratum, mere tamen logice consequebatur modum quo Ecclesia anglicana se habet ad Statum in Anglia : ita enim Statui obnoxia est, ut dogmata confitenda et ritus cultus exterioris in arbitrio sint auctoritatis civilis, quam etiam homines non anglicani, immo non christiani possidere possunt. Taetra sane condicio, quae funestissima adducere potest. E simili in alia regione condicione effectum est ut ruina Status ruinam Ecclesiae nationalis secum traheret. In Anglia auctoritas ecclesiastica in molesto bivio distinetur : vel dirimendam habet coniunctionem cum potestate civili, separatione Ecclesiae a Statu, quae periculo obiciet materiale suum patrimonium, vel adversariis obtemperare debebit.

« Utralibet via seligatur, superest istud absonum religionis quae ancipitibus et variis casibus politicis obnoxia est, et magisterii religiosi quod civili gubernio et fluctuantibus factionibus de summa rerum contendentibus subordinatur.

« Utrum amborum selecturi sunt Episcopi Anglicani ? conflictionem an deditionem ? Deditionem fortasse (1), dum demonstrare conabuntur recognitum *Prayer Book* traditioni protestanticae minime esse infidelem, ad ruinam tamen praecavendam, necesse fuisse ut non nulla utrique parti modernistarum et anglo-catholicorum concederentur.

« Id moris est classico protestantismo, ut ab Ecclesia catholica potius abscedat quam ad eam revertatur (2); ut qui eo pascuntur alieni fiant a dogmatibus et theologicis disputationibus, imbuantur autem ea cultus ra-

(1) Optionem deditionis factam esse iam comperimus.
(2) Cfr Ephemeridem *Osserv. Rom.*, 28 ian. 1928.

tione quae prorsus contraria sit omni ritui, Missae similitudinem praeseferenti.

« Cum autem *Prayer Book* sine gravi ratione reiectus sit, subit mentem haec cogitatio, librum ideo re vera repudiatum esse, quia coniunctae cum reformatione deliberationes, spiritum protestanticum denuo excitarunt. Re quidem vera, non omnes fratres dissidentes a catholicismo sunt alieni, non omnes libero ingressui in Ecclesiam catholicam obsistunt, neque eodem gradu intolerantes sunt adversarii. Immo, in ipso sinu anglicanismi, exsistit schola ista cui nomen « anglo-catholicismi », cuius auctores distantiam ab Ecclesia catholica minuere intendunt. Absit tamen ut religio catholica populum per tramitem « Ecclesiae Status » attingat, et ipsa haec Ecclesia fiat instrumentum ad propagandas doctrinas quae protestantismo repugnant: id enim dissidentes fere ad unum tolerari posse negabunt (3).

« Neque praetereundum est, oppositionem reformato *Prayer Book* magnam partem deberi immoderato patriae amori, cui « nationalismi » nomen. Cur catholicismus odio habetur, nisi quod nolint Praelato extraneo subesse ? Amor proprius nationalis, etiam apud non paucos clericos, ipsi studio veritatis praevalet, ita ut non raro eorum religio ad merum ritum exteriorerum recidat.

« Inde intellegitur quo modo Anglicani ordinum superiorum, et magis etiam, in septemtrionali Angliae regione, ordinum mediorum (quamvis plures parum in propriis ecclesiis sint assidui) decretorie tamen quibusdam reformationibus repugnarint, v. g. mutandis formulis orationum et asservandis speciebus eucharisticis in ipsorum ecclesiis. Existimabant enim id perinde fuisse ac si suffragio Parlamenti approbarentur

(3) Cfr *Osservatore Romano*, 28 ian. 1923.

formulae ac ritus quae nimis catholice olent. Intellegitur quoque timor rigidiorum, ne factae formis cultus catholici concessiones ad alias usque maiores concessiones perducant.

« Episcopi autem, reformationis auctores, modernistis quantum poterant concesserunt. Ampliores concessiones in discrimen adduxissent pactiones iam a binis partibus dissidentibus ut viam mediam acceptatas. Cum vero periculum separationis Ecclesiae a Statu impedire vellent, non remanebat nisi ut experimentum renovarent, sperantes fore ut Parlamentum propriam ipsorum reformationem ratam haberet. »

CONCLUSIO.

Post haec omnia exposita, sumusne sine ulla spe reditus dissidentium ad Ecclesiam catholicam, veram eorum matrem ?

Non ita nobis videtur. Anglo-catholici ipsa repulsa quam passi sunt, reiecto reformato *prayer Book*, fere ad incitas videntur redacti. Alieni a praesenti anglicanismi condicione, deiecti omni spe obtinendi pactum conventum cum vera Christi Ecclesia, una optima via ipsis patere pergit : via simplicis reditus ad Ecclesiam veram, cuius Pastor paratissimum se profitetur eos paterno amplexu amantissime excipere.

Sic autem, saltem indirecta ratione, colloquia Mechliniensia, propter quae, ut in Anglia non nulli opinabantur, rariores factae sunt conversiones exspectantium solutionem magis collectivam discidii et separationis, messem spiritualem splendidiorem praeparare potuerunt.

Ephemeris iam allegata, *Universe*, hoc modo suam expositionem rerum post Encyclicam SS. D. N. Pii XI resumebat : « Itaque, pro omnibus catholicis finitae sunt omnes istae quaestiones. Atque etiam pro non

catholicis locus est sperandi fore ut verba Beatissimi Patris illuminent mentes in instantibus disputationibus de Ecclesia Angliae » (1).

---

2. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve 7 nov. 1927

DE CONSTITUTIONIBUS MONIALIUM A PERPETUA ADORATIONE

(A. A. S. 1 febr. 1923, XX, 33)

PIUS PP. XI

Acta Ben. XV.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Expositum Nobis** est, rec. mem. Decessorem Nostrum Benedictum Pp. XV Litteris Apostolicis, sub Piscatoris anulo die XII m. Martii, an. MDCCCCXV obsignatis, benevolentiae quidem suae testimonio, ad quasdam difficultates dirimendas, quae Sororum animos exagitabant, Constitutiones Instituti monialium a perpetua Adoratione Sanctissimi Sacramenti Apostolicae auctoritatis suae sanctione roborasse. At non obstantibus eisdem Litteris Apostolicis, quae incipiunt « Sancta Mater Ecclesia », moniales Instituti ipsius a perpetua Adoratione, quod, initio praeteriti saeculi, opera b. m. Dei Famulae Mariae Magdalenae ab Incarnatione ortum habuit in hac Alma Urbe Nostra, nonnullis adhuc difficultatibus agitantur circa Constitutionum Instituti originem atque initia. Quibus omnibus mature perpensis, Nos, volentes dictum Institutum prospere feliciterque vivere atque in perfecta tranquillitate florescere, illiusque utilitati et commodis, quantum in Domino possumus, prospicere atque omnes dilectas in Christo filias Nostras, eiusdem Instituti moniales, specialibus favoribus gratiisque prosequi cupientes, Nostrorum quoque Decessorum Pii Pp. VII et Leonis Pp. XII vestigia sequentes, Institutum monialium a perpetua Adoratione Sanctissimi Sacramenti iuxta Regulam Sancti Augustini sub Dolentis Virginis Mariae patrocinio

Permanens difficultas

Inde nova approbatio Instituti

(1) So for all catholics, all such matters are now concluded. Also, one may hope that the Holy Father' s words will have a clarifying influenee in the forthcoming discussions concerning the Church of England ».

a bon. mem. Famula Dei Maria Magdalena ab Incarnatione fundatum, apostolica auctoritate Nostra denuo adprobamus.

Designatio Constitutionum quas observare debent.

Quod ad Constitutiones insuper, eadem apostolica auctoritate Nostra mandamus ac praecipimus ut moniales eiusdem Instituti in Urbe degentes illas observent, quae a Iacobo Philippo S. R. E. Cardinali Fransoni, anno MDCCCXXXXVIII et praesertim a rec. mem. Leone Pp. XIII, die VII m. Decembris anno MDCCCLXXXXVIII confirmatae sunt, easque ad normam recentiorum decretorum Apostolicae Sedis redactas denuo etiam adprobamus et confirmamus.

Nova earum approbatio.

Ita pariter Constitutiones monasterii Viglebanensis, quae per Breve Apostolicum a Gregorio Pp. XVI, die XXIII m. Ianuarii, anno MDCCCXXXVIII datum, approbatae fuerunt, ad normam item recentiorum decretorum Apostolicae Sedis redactas denuo adprobamus et confirmamus.

Similis dispositio de Const. monasterii Viglebanensis.

Ne autem in futurum controversiae et difficultates iterum exoriantur, omnibus monialibus cuiusvis monasterii utriusque observantiae virtute sanctae obedientiae, silentium imponimus circa genuinitatem, auctoritatem aut originem Constitutionum de quibus est sermo, atque insuper Apostolica auctoritate decernimus ac praecipimus ut in futurum in novis Constitutionibus edendis nonnisi praesentes Litterae apponantur.

Praeceptum de silentio servando, de novis editionibus Constitutionum

Deinde Monasteriis utriusque observantiae indulgentias omnes et singula privilegia atque indulta iam tributa, quae hisce praesentibus Litteris non adversantur, eadem auctoritate apostolica Nostra confirmamus, concedentes insuper indulgentias et privilegia atque indulta, quae supra memoravimus, pro omnibus Instituti ipsius domibus.

Confirmatio privilegiorum et indulgentiarum

Clausulae

Haec volumus, statuimus ac mandamus, decernentes has praesentes Litteras resque omnes in iisdem expressas semper ac perpetuo firmas, validas atque efficaces exsistere et fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Contitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet.

Dies (7 nov. 1927).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Novembris anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

ANNOTATIO

Ut ex relata origine et Instituti ratione facile colligitur, non agitur hic de Congregatione quae ab Adoratione perpetua appellatur *(Dames de l' Adoration perpétuelle)* sed de instituto Monialium quae vulgo vocantur *Le Sacramentine.*

---

3. — S. S. C. S. Officii

Decretum 13 ian. 1928

PROSCRIPTIO LIBRORUM

(A. A. S. 1 febr. 1928, XX, 35)

Dies Congregationis.

In Generali Congregatione Sancti Officii, habita Feria IV, die 11 Ianuarii 1928, E.mi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, cum compertum habuerint libros novissimos, quibus tituli:

Opera

La Politique du Vatican — Sous la Terreur... 20 *Septembre - 15 Novembre 1927* — Avec une Préface de LÉON DAUDET et un Epilogue de CHARLES MAURRAS. Bibliothèque des oeuvres politiques, Versailles;

MERMEIX, *Le Ralliement et l' Action Française,* Paris, Arthème Fayard et C. Editeurs;

M.is DE ROUX, *Charles Maurras et le nationalisme de l' Action Française,* Paris, Bernard Grasset, Editeur:

Ratio decreti

pergere in propugnandis ideis ac rebus iam proscriptis et in detorquenda actione et mente Summi Pontificis a religiosa — uti semper et exclusive fuit — in politicam, quod fuit semper et est ab eius intentione et opera omnino alienum — decreverunt ad libros eosdem extendi iam latam condemnationem, eosque in Indicem librorum prohibitorum esse inserendos.

Decretum

Approbatio Pontificis

Et insequenti Feria V, die 12 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius divina Prov. Pp. XI, in audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit et publicandam iussit.

Dies (13 ian. 1928).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 13 Ianuari 1928.

ALOISIUS CASTELLANO, *Supr. S. C. Sancti Officii Notarius.*

S. C. De Disciplina Sacramentorum

Decreta 5 ian. 1928

4. — I. DE LOCO CONFESSIONIS ET COMMUNIONIS

(A. A. S. 1 mart. 1928, XX, 79)

MONTIS REGALIS IN PEDEMONTE

UTRUM PERAGI SACRAMENTALIS CONFESSIO POSSIT ET S. COMMUNIO SUSCIPI A FIDELIBUS, QUOTIES EUCHARISTIA INFIRMIS ADMINISTRETUR.

Orator

Dubia

Ab Episcopo Montis Regalis in Pedemonte, fuerunt huic Sacrae Congregationi proposita pro eorum solutione sequentia dubia:

1. De conf. et commun. in loco sacro vel saltem decente

« I. An fideles in montanis pagis habitantes, quoties ad infirmos Sacra Eucharistia deferatur, possint Sacra Synaxi refici in loco sacro, vel etiam, cum agatur de re tam sacra, in loco decenti et honesto qui in itinere exstet, non valentes ea die ecclesiam petere?

2. In domo infirmi

« II. Num S. Communio et Confessionis Sacramentum administrari possint iis, qui in domo infirmi versantur?

3. Aetate provectis vel morbo laborantibus

« III. An administrari debeant in enunciatis circumstantiis iis qui aetate sunt provecti vel morbo laborant? »

Resolutio Patrum, 22 iul. 1927.

Emi ac Rmi Patres Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, exquisito duorum Consultorum voto, in plenariis comitiis diei 22 Iulii 1927, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad 1.

Ad I^um^: « *Affirmative*, ad normam can. 869, iuncto canone 822 § 4, seu dummodo Ordinarius loci id concedat ad normam cit. praescriptionis, scilicet pro singulis casibus et per modum actus ».

Ad 2 et 3.

Ad II^um^ et III^um^: « Quoad Communionem, provisum in primo; quoad Confessionem, *Affirmative*, servatis servandis ad normam cann. 910 §§ 1, 2, et 909 §§ 1, 2 ».

Approbatio SS. 29 iul. 1927.

Facta vero die 29 Iulii insequenti, de his omnibus relatione Ssmo Dno Nostro Pio Papae XI, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum adprobare dignata est.

Decretum 5 ian. 1928.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 5 Ianuarii 1928.

✠ M. Card. LEGA, *Episc. Tusculan., Praefectus.*

L. ✠ S. D. JORIO, *Secretarius*

ADNOTATIONES *Ill. Secretarii*

Occasio quaestionis

Agebatur hac in quaestione de montanis paroeciis dioecesis Montis Regalis, in quibus pagi vel domus in agro disseminatae, procul a paroeciali ecclesia distant. Accidit vero quandoque ut parochus sacrum Viaticum aut Communionem ad infirmos in alpinis montibus degentes deferat.

Quaestio

Quid si bene valentes vel debiles, impediti quominus illo die ad ecclesiam accedant, in aliquo oratorio, vel, eo deficiente, in honesto decentique loco, Communionem suscipere et confessionem peragere cupiant?

Id quod constat.

Nullum adest dubium pio horum desiderio satisfieri posse, si parocho iter agenti, ut Viaticum vel sacram Communionem ad infirmos deferat, aliquod oratorium occurrat, in quo Missa litari valeat: nam ad normam can. 869 ibi Communio sumi potest ubi Missa celebrari licet.

Id quod difficilius videtur.

Difficultas adesse potest si, deficiente oratorio, illam sibi ministrari quis postulet in loco non sacro, etsi honesto et decenti, qualis esset, e. g., conclave alicuius domus instar oratorii decenter ornatum; vel quod ornari possit si venia fiat ibi Missam litandi. Iamvero pio eiusmodi fidelium desiderio consulit can. 822 § 4. Ibi enim edicitur: « Loci Ordinarius aut, « si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, li- « centiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram « sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo, conce- « dere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo « extraordinario casu et per modum actus ». Quare si in dictis paroeciarum Montis Regalis circumstantiis aut similibus, loci Ordinarius sub clausulis in citato canone contentis licentiam celebrandi Missam in aliquo conclavi concedere possit, et se concedere velle significet, quamvis de facto Missae celebratio ob sacerdotis defectum non sequatur, ibidem sacram Communionem distribui licitum erit.

Solutio per Ordinarium,

per Delegatum

Verum aliquando evenire potest ut parochus, urgente praefata necessitate, et fidelium instante desiderio, loci Ordinarium in eiusmodi adiunctis adire haud queat. Huic profecto incommodo visum est remedium afferre ordinarium can. 199 § 1, quo statuitur: « Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, « potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud « expresse iure caveatur ». Ergo cum in casu delegatio non

prohibeatur, et agatur de ordinaria potestate, utpote quae Ordinarii ipsius officio a iure adnectitur, loci Ordinarius eamdem facultatem parochis sub iisdem conditionibus delegare valebit.

Porro pro rei gravitate et ob arctos limites quibus eadem potestas vallatur, hanc Ordinarius delegare non debet nisi delegatus ea praestet prudentia, ut delegata potestate non esse abusurum praevideri liceat. Praeterea, in delegationis actu probe explicari debet in quo consistat *iusta et rationabilis causa;* quinam habendus sit *casus extraordinarius;* et quomodo concessio facta in certo casu non valeat pro alio casu, eisdem quoque concurrentibus circumstantiis, sed concessio expresse renovanda erit.

Ratio solutionis

In can. 822 § 4 autem non esse electam industriam personae, seu non prohiberi delegationem, prouti in citato can. 199 § 2, patet, quia potestas non conceditur personae Episcopi sed Ordinario loci, unde non prohibetur delegatio quae non indulgetur v. g. in can. 1985, ubi ab ipso Episcopo emittendum est votum in causis matrimonii rati et non consummati.

D. Jorio, *Secretarius,*

Annotationes privatae.

I. Civitas Montis Regalis in Pedemonte, lingua vulgari vocatur Mondovì.

II. Annotationes Ill. Secretarii valde utiles sunt, quatenus:

1. Innituntur principio can. 869: « Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus, id prohibuerit » ;

2. Affirmat et demonstrat licere Ordinario ut parocho vel alii viro prudenti deleget facultatem permittendi, per modum actus, in extraordinario casu celebrationem Missae in altari portatili.

Simul non omittit addere cautiones opportunas ad praecavendos abusus;

3. Memorat, in causis dispensationis in rato et non consummato matrimonio votum requisitum can.

1985, ab ipso Episcopo dandum esse et non ab alio, v. g. Vicario Generali. Hoc modo consulit negotiis S. C. de Sacramentis.

III. Hac etiam ratione solvitur dubium quod interdum movetur. Quando communio defertur ad infirmum, licetne Infirmario vel personae quae infirmo astat communionem postulare a sacerdote qui s. hostiam defert?

Ac respondendum est id non licere. Ordinarius enim facultatem dicendi s. Missam in cubiculo infirmi permittere non potest. Id formaliter ex c. 822 § 4 excluditur. Igitur, cum communio non possit distribui nisi ubi Missa permittatur, ne ipse Ordinarius quidem hanc facultatem dare poterit. In casu tamen gravis incommodi, locus esse poterit epikeiae. I. e. Ecclesia, quae hodie tantopere frequentem communionem promovet, non censetur velle ut opus caritatis, quale est servitium infirmorum, s. communionem impediat.

IV. Observes diu dilatam esse promulgationem praesentis resolutionis. Eminentissimi Patres enim 22 iul. 1927 solutionem suam dederunt. Hanc S. Pontifex approbavit die 29 eiusdem mensis; et tantum die 5 ianuarii 1928 decretum datum est.

---

5. - II. IUDEX CAUSAE RATIONABILIS PRIVATAE DELATIONIS ROMANA ET ALIARUM COMMUNIONIS INFIRMORUM

(A. A. S. 1 mart. 1928, XX, 81)

Dubium in Comitiis plenariis

In plenariis Comitiis Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum habitis die 16 Decembris 1927 in Palatio Apostolico Vaticano, proposito dubio: « An iudex causae iustae et rationabilis, prout ex Codicis iuris canonici canone 847 requiritur, ut Sacra Communio privatim ad infirmos deferatur, sit quilibet sacerdos ministrans vel tantum Ordinarius loci ». Emi

Resolutio 16 dec. 1927

ac Rmi Patres, re mature perpensa, respondendum censuerunt: « *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam » addita tamen *mente* quae sequens est: Si ex communi experientia et opinione nullum in dioecesi aut in aliquo particulari loco adsit inconveniens pro privata delatione Sacrae Communionis ad infirmos, ab Ordinariis cavendum est ne per regulas nimis praefinitas aut generales praecipientes publicam delationem, vel per reservationem sibi factam dandi veniam in singulis casibus deferendi privatim Sacramentum Eucharistiae, praepediatur infirmis solatium Communionis etiam quotidianae ».

Approbatio Pontificis 19 dec. 1927

Quam responsionem Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XI, in audientia diei 19 Decembris 1927, audita relatione ab infrascripto Secretario eiusdem Sacrae Congregationis facta, ratam habere et adprobare benigne dignatus est.

Decretum 5 Ian. 1928.

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 5 Ianuarii 1928.

✠ M. Card. LEGA, Episc. Tusculan., *Praefectus.*

L. ✠ S.

D. JORIO, *Secretarius.*

ADNOTATIONES *Secretarii*

Facta varia.

Quo plenius lata decisio nosci ac intelligi possit, praestat breviter recolere quae apud H. S. C. disputata sunt in praevio examine quoad praxim deferendi, his nostris temporibus, sacram Communionem ad infirmos. Ea siquidem varia est secundum locorum et personarum circumstantias. In Hispania, e. g., fere ubique sacra Communio ad infirmos, esto pietatis causa, publice semper defertur, quod non evenit in quibusdam aliis nationibus, praesertim si agatur de magnis urbibus, uti heic Romae.

Occasio quaestionis

Codex iuris canonici, regulam statuens generalem, in can. 847 edixit: « Ad infirmos publice sacra Communio deferatur, « nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat ». Eiusmodi lex de publice deferenda ad infirmos sacra Communione clara est; et ratio decidendi evidens, et fidelibus omnibus probata. Attamen iustae et rationabiles causae, eodem perpenso canone, aliquando suadere possunt, ut eadem sacra communio privatim deferatur. Quinam vero earumdem causarum iudex? Loci Ordinarius vel quilibet sacerdos?

Sententia privatorum theologorum

De his profecto ferendi iudicium quidam theologi et iurisperiti cuilibet sacerdoti facultatem tribuerunt, innixi potissimum can. 849 § 1, edicenti: « Communionem privatim ad infirmos « quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta

« sacerdotis, cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa « est ».

Inde recursus ex Hisponia

Horum doctorum sententiam evulgarunt quaedam ecclesiasticae ephemerides, praesertim in locis Hispaniarum; propter quod nonnulli Ordinarii Hispani, putantes fuisse laesum suum ius, recursum ad S. Sedem habuerunt.

Resolutio

Haec Sacra Congregatio, praevio opportuno R.morum Consultorum voto, quaestionem EE. PP. iudicio in plenariis Comitiis diei 16 Decembris 1927 subiecit, qui, re mature perpensa, responsum ut supra dederunt.

vindicatur menti Codicis conformis

Eiusmodi responsum esse conforme legislatoris menti, non solum ex multis incommodis quae sequerentur, si res arbitrio singulorum sacerdotum, saepe indole ingenioque discrepantium, relinqueretur, verum etiam ex ipsis canonis 847 fontibus manifesto eruitur. Et re quidem vera, inter ea quae in adnotationibus relato canoni additis sub n. 3 adducuntur, adest etiam responsum aliud ab hac Sacra Congregatione in plenariis Comitiis diei 20 Decembris 1912 datum. Haec erat quaestio: « An *Ordi-* « *narii* permittere possint ut mala affectis valetudine, qui domo « egredi nequeant, et sacram Communionem ob devotionem « petant, quum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel « aliquis petat frequenter, sacra Eucharistia privatim seu non « servatis praescriptionibus, ab Ecclesia domum deferatur ». Et responsum fuit: « *Affirmative* ex iusta et rationabili causa, ser- « vato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in Decreto *Inter* « *omnigenas*, 2 Febr. 1744, § 23, scilicet: Sacerdos stolam semper « habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa py- « xidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu « reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli « in defectu clerici, associetur ».

Apparens contrarietas

Nunc eiusmodi Ordinariorum ius, authentice a Sacra Congregatione recognitum, neque expresse, uti clare patet, neque tacite per canonem 849, qui specie tenus Ordinariorum iuri contrarius videtur, a Codice revocatum fuisse dicendum est. Hic enim canon sarta tectaque sacri principatus iura supponit.

Interpretatio responsionis

Unde si locorum Ordinarii, accedentibus iustis et rationabilibus causis, sive ordinis generalis sive ordinis particularis, in universa, vel in aliqua dioecesis parte diiudicaverint locum esse exceptioni in citato canone contentae, cessat ius parochi a canone 848 § 1 statutum, et ius oboritur cuiuslibet sacerdotis ad normam can. 849 § 1.

Explicatio mentis

Circa mentem ab E.mis ac R.mis PP. responso adiectam, ea clara et gravis est. Quare R.mi locorum Ordinarii, prae oculis

habitis iustis et rationabilibus causis a servanda lege excusantibus, tum pro casibus generalibus, ob iniuriam temporum, tum pro particularibus, atque his praesertim quae in plenariis Comitiis diei 20 Decembris 1912 rationes decidendi fuerunt, quaeque supra relatae sunt, sedulo advigilare debent ne in re tanti momenti finis ab Ecclesia intentus utcumque frustretur. Neminem enim latet, his nostris temporibus, sacram Communionem etiam quotidianam christifidelibus summopere commendari. Iamvero, quis magis quam infirmus, ad ferendas morbi angustias, auxilio solatioque tanti Sacramenti indigere dicendus erit?

Adhortatio

Quamobrem R.mi locorum Ordinarii, prudentia et caritate quibus pollent, reverentiam sanctissimo Eucharistiae Sacramento debitam cum infirmorum, praesertim pauperum, necessitatibus, duce aequitate, rite componant.

D. Iorio, *Secretarius.*

Annotationes privatae.

I. Postquam, a decem annis, vigere coepit can. 849 § 1, ac, suppressis dubietatibus et obiectionibus non nullorum parochorum, in pluribus saltem locis, pacifice invaluit eius usus intellectus secundum communiorem theologorum et iurisperitorum sententiam, dissimulandum non est severum decretum *S. C. de Disciplina Sacramentorum*, praeter exspectationem latum esse. Nec vacuam omni apprehensione mentem gerunt qui studiosi sunt frequentis, immo cotidianae aegrotorum communionis, et pacem usque magis firmatam cupiunt inter utrumque clerum, saecularem et religiosum.

Quare etiam conicere fas est non futurum fuisse ut quaestio ista a S. Sede deliberaretur sine recursu quorundam Ordinariorum Hispaniarum, quos Ill. Secretarius in sua expositione, nobis refert ut occasionem dantes decreto, et quorum auctoritati, ut par est, multum tributum est.

II. Difficultas prudentiam S. Congregationis latere non potuit; atque ideo subiecta mente severitatem Decreti emollire et quasi corrigere studuit. Dummodo ad

mentem istam omnes satis attendant, dummodo eidem sincere obsequi parati sint, securi esse poterimus. Tunc enim nec praesens rerum status notabiliter mutabitur, et cuncta amice componi poterunt, sine contentionibus et sine eucharisticis ieiuniis infirmorum.

Itaque hoc unum nobis optandum est, ut decretum non incomplete, sed plene, una cum addita mente sumatur, et perfectam exsecutionem obtineat.

III. Sed nostrum non est de genesi decreti disserere, verum in eius significationem et vim sincere nobis inquirendum est. Itaque:

1. Observes decretum nullis verbis Codicis inniti: quae causa fortasse est cur non ipsa commissio I. C. sed S. Congregatio de re deliberandum habuit. Immo, fatente Ill. Secretario in sua expositione, Codex specie tenus decreto contrarius videtur.

Sed mens legislatoris appellatur quae colligi potest: a) ex incommodis relinquendi rem singulorum sacerdotum arbitrio; b) ex subiecto fonte canonico, i. e. responso 20-23 dec. 1912 (*Per.* VII, 65, ad III). Interrogata « An Ordinarii permittere possint, ut male affectis valetudine qui domo egredi nequeant et sacram Communionem ob devotionem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferatur » — Resp. « Affirmative ex iusta et rationabili causa, servato saltem ritu proposito a BENEDICTO XIV, in Decreto *Inter omnigenas,* 2 feb. 1742 ».

Quod ius, ait Ill. Secretarius, seu potius quae facultas, sane neque expresse neque tacite Codice revocata est (1).

2. Vis decreti, ut Ill. Secretarius observat, huc

(1) Istud nemo negare posse videtur. Sed auctores agnoscebant in Codice extensionem ad sacerdotes, infirmis assistentes, facultatis prius factae Reverendissimis Ordinariis.

spectat, ut regula can. 847 de publica delatione ss. eucharistiae ad infirmos roboretur, et sic ius parochorum deferendi ss. eucharistiam ad infirmos magis praevaleat.

Exceptione rationabilis causae, praevisa ipso canone 847 publicam delationem praescribente, non iam, ut putabat NOLDIN-SCHMIT, *De sacramentis*, n. 132 « id iure communi nunc conceditur quod antea Ordinarii permittere poterant », sed usus can. 849 § 1 supponit per se praevium iudicium Ordinarii de exceptionis opportunitate. Causae autem exceptionis can. 847 faciendae, esse possunt ordinis generalis vel particularis. Itaque:

a) Ordinarii, attentis externis adiunctis, v. g. locorum ubi irreverentiae timendae forent, vel viae nimis per diem impeditae sunt, modo universali statuere possunt ss. eucharistiam non esse palam aegrotis deferendam.

b) Possunt etiam ordinare publicam delationem, quae semel vel bis fiat in hebdomada, ita ut ceteris diebus fiat privata et occulta, vel etiam privatam et occultam delationem permittere ad eos qui frequentius sacra dape refici cupiunt.

c) Propter rationes allegatas ab Ill. Secretario in causa superiore, integrum ipsis est facultatem permittendi delationem occultam ex toto vel ex parte delegare Vicariis foraneis, parochis, Superioribus religiosis, etc.

d) Possuntne parochis reservare ipsam delationem occultam ?

Id non possunt. Exsistente enim rationabili causa, ipsum ius facultatem facit omni sacerdoti de venia, saltem praesumpta, rectoris ecclesiae. Facultatem autem Codice concessam Ordinarii auferre non possunt.

e) Concessio autem qua Ordinarius aliis permittit iudicium de rationabili causa potest esse expressa,

tacita, quae in ipso constanti usu continetur, rationabiliter praesumpta.

f) Cum per se delatio publica imperetur, et iudicium de exceptione Ordinario committatur, per se quidem, ante quam occulte deferas, vel licentia ab Ordinario petenda est, vel exspectanda est aut impetranda generalis ordinatio.

In locis tamen, ubi post Codicem usus occultae delationis pacifice inoluerat, estne usus iste habendus pro suspenso, donec Ordinarius nihil praescripserit, ita ut interea infirmi nequeant more solito s. communione refici et recreari?

Manifesta mens S. Sedis nonne est ut evitentur tristitiae, querelae et murmurationes? Igitur solitum servari poterit, donec Ordinarius non positive intervenerit.

g) Quid si causa secreta fuerit, quae vel ex natura sua vel ob temporis angustias cum Ordinario communicari nequeat?

Resp. locum tunc fore praesumendi consensum Ordinarii, praesertim cum sacerdos sigillo sacramentali astringi possit, ut si ex confessione noverit sacrilegam Viatici sumptionem reparari debere.

h) Debetne, potestne rector ecclesiae e qua sacerdos velit ss. sacramentum occulto deferre, hunc interrogare de facultate Ordinarii?

Resp. Id facere non debet, immo parum decet, nisi Ordinarius id praescripserit.

V. *De addita mente.* Ipse Secretarius mentem S. Congregationis *claram et gravem* esse, sedulo monet.

Mente ista, ut ex ipso decreto et explicatione Ill. Secretarii liquet, improbanda foret omnis ordinatio, qua infirmi impedirentur a communione frequenti, immo cotidiana. Ideo, nisi exortum inconveniens aliud suadeat, vitandae sunt regulae nimis praefinitae, regulae quae publicam delationem universim praecipiunt, vel quae Ordinario reservant facultatem in singulis casibus;

immo, ubi non constet de damnoso abusu, res potius esse sinantur in statu quo ipso usu positae sunt.

Neque istud praetereundum est. Ex ipsis S. Sedis decretis, frequentia communionis cum consilio confessarii ad devotionem subiecti accommodanda est.

Oportet igitur ut etiam infirmus copiam habeat satisfaciendi isti suae devotioni.

Si quaeras quodnam genus instructionis vel ordinationis menti decreti consentaneum esse videatur, respondendum putamus hac ratione:

Ubi adiuncta id permittant, sufficientes numero praescribantur delationes sollemnes, quibus honori SS. Eucharistiae debite consulatur. Diebus illis delatio occulta prohibeatur, nisi in adiunctis omnino particularibus. Ceteris diebus ss. eucharistia deferatur occulto, servatis praescriptis Benedicti XIV, et canone 849, secundum infirmi devotionem.

Satis autem commendari non possint verba adhortatoria quibus Ill. Secretarius suas annotationes concludit: « Quis magis quam infirmus, ad ferendas morbi angustias, auxilio solatioque tanti Sacramenti indigere dicendus erit? Quam ob rem R.mi locorum Ordinarii, prudentia et caritate quibus pollent, reverentiam sanctissimo Eucaristiae Sacramento debitam cum infirmorum, praesertim pauperum, necessitatibus, duce aequitate, rite componant ».

---

6. — S. Cong. Rituum

Privilegium ex aud. Ss.mi, 9 dec. 1925.

PRO UNIONE APOSTOLICA SACERDOTUM SAEC. A SS. CORDE, « OMNIA PRO IESU ».

Orator *Beatissime Pater.* — Praeses generalis Unionis Apostolicae sacerdotum saecularium ad pedes S. V. humiliter provolutus,

Petitio

petit ut dignetur concedere in perpetuum singulis sociis privilegium legendi privatim, prima Feria VI mensis (exceptis festis D. N. I. C., duplicibus I classis, Feriis, Vigiliis et octavis privilegiatis) Missam votivam SS. Cordis Iesu, ad modum Missae a Leone XIII concessae Brevi *Altero nunc*, — adhibita qualibet Missa inter approbatas vel approbandas etiam, « pro aliquibus locis », v. g. Missa Cordis Eucharistici D. N. I. C. Et Deus.

Gratia

Unionis Apostolicae Sacerdotum saecularium. — SS. D. N. Pius Pp. XI, referente infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto, benigne annuere dignatus est pro gratia iuxta preces et in perpetuum, ad instar concessionis factae Sociis Sanctitatis Sacerdotalis a b. m. Pio Pp. X, servatis de cetero servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 dec. 1927

ANNOTATIONES

I. Inter varias societates quibus clerus saecularis iuvatur ad terendam viam perfectionis, nulla magis laudata est, quam Societas ista quae a SS. Corde Iesu nomen mutuatur et tessera utitur « Omnia pro Iesu ». Ipse Pontifex Pius X cooptari voluit in socios istius foederationis.

II. Recenti isto beneficio SS. D. permittit absolute seu sine alia condicione, singulis sociis Missam votivam instar sollemnis SS. Cordis Iesu, omnibus diebus quibus in ecclesiis unica Missa de SS. Corde legi potest, accedente tunc alia manifestatione devotionis erga SS. Cor Iesu, ut est contio, communio generalis.

Immo, non sola permittitur Missa quae est in corpore Missalis, sed singuli socii eligere possunt quamlibet Missam ex approbatis iam vel etiam in posterum approbandis de SS. Corde Iesu, sive pro tota Ecclesia sive pro aliquo loco. Atque ut extensio gratiae exemplo confirmetur, diserte proponitur liberae optioni Missa de Corde Iesu Eucharistici.

---

7. — S. C. Pro Ecclesia Orientali

Decretum 4 iul. 1927

DE MONASTERIO O. S. B. IN LOCO VULGO « AMAY-SUR-MEUSE »

DECRETUM

Dubia quae occasio sunt decreti.

Sacrae huic Congregationi quaedam dubia fuerunt proposita, quae benedictinum coenobium in loco vulgo *Amay-sur-Meuse* apud Belgas, respiciunt. Quibus perpensis, Sacra Congregatio, probante Ss.mo D.no Nostro Pio div. Providentia Papa XI, quae sequuntur statuit atque decrevit:

Omnes pertinent ad Ordinem S. Benedicti

I. Religiosi viri qui in monasterio, quod memoravimus, commorantur, sive ii qui ritus latini sunt, sive qui ritus byzantino-slavici, ad Ordinem S. Benedicti omnino pertinent, quin novum quoddam religiosum vel monasticum Institutum efforment.

Vota secundum regulam et Constitutiones Cong. Belgicae, non exclusis proponendis mutationibus.

II. Religiosa vota monachi nuncupabunt ad normam Regulae a legifero Patre Benedicto propositae, iuxta Congregationis Belgicae Constitutiones, quibus etiam monasterii disciplina est moderanda.

Integrum tamen erit mutationes opportunas, a S. Sede approbandas, proponere.

Opera ad solam Russorum gentem spectat.

III. Monachorum opera ad Russorum gentem dumtaxat spectat, non vero ad ceteros sive ex Orientalibus, sive ex Occidentalibus, dissidentes.

Cura Prioris.

IV. Prior monasterii horum tantum monachorum curam geret, qui huic monasterio de *Amay* inscripti fuerint.

Dependentia.

V. Prior et monachi eorumque opera pendent ab Abbate Lovaniensi itemque ab Abbate qui Congregationi Belgicae pro tempore praeerit, ad normam Constitutionum.

Relatio ad Abbatem.

VI. Quod vero huius monasterii eiusque Prioris relationem ad Abbatem Primatem Ordinis spectat, standum erit tum Constitutionibus Congregationis Belgicae tum etiam epistolae die 21 mensis Martii anno 1924, a SS.mo Domino Nostro ad euntem Abbatem datae.

Subiectio Commissioni pro Russia.

VII. In posterum, monasterium loci *Amay* eiusque Prior et monachi eorumque cuiusvis generis opera et instituta Pontificali Commissioni, quam vocant, pro Russia, subiecti erunt et manebunt.

Dies (4 iul. 1927).

Datum Romae, die 4 mensis Iulii anno 1927.

L. ✠ S. ALOISIUS Card. SINCERO, *Secretarius.*

† ISAIAS PAPADOPOULOS, Ep. tit. Gratianopolitan., *Adsessor.*

ANNOTATIO

Multa de praesenti argumento scribi possint, neque alieni sumus a proposito inserendi lucubrationem huiusmodi in haec *Periodica*.

Modo autem satis sit notabiliora hic summarie numerare.

1. Spes aufertur constituendi novum aliquod Institutum distinctum ab Ordine S. Benedicti.

2. Monasterium *Priorem* habet in locum Abbatis, qui prior secundum regulam et Constitutiones aliquo pacto subordinatur Abbati Lovaniensi, praeter Abbatem generalem Congregationis Belgicae.

3. Monasterium deputatur unice ad Russorum gentem, exclusis aliis sectis Orientalibus vel Occidentalibus, ut puta Anglicanis.

4. Subiectio decernitur monasterii, personarum, et operum Pontificali Commissioni pro Russia.

---

8. — Pontificia Commissio interpretando Codici

Responsa 28 dec. 1927.

DUBIA DE CONFESSIONE ET DE MATRIMONII CELEBRATIONE

(A. A. S. 1 feb. 1928, XX, 61)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Plenarius coetus.

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE CONFESSIONE RELIGIOSARUM

Dubia:

I. De Confessione religiosarum.

D. I. Utrum confessio religiosarum peracta extra loca, de quibus in canone 522 et in responso diei 4 Novembris 1920, sit tantum illicita, an etiam invalida.

II. An verbum *adeat*, canonis 522 sit ita intelligendum ut confessarius advocari nequeat per ipsam religiosam ad loca confessionibus mulierum vel religiosarum legitime destinata.

R. Ad I. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Negative.*

II. De foro absolutionis in periculo mortis.

II. — De absolutione in periculo mortis

D. An absolutio in periculo mortis secundum canonem 882 limitetur ad forum internum, an extendatur etiam ad forum externum.

R. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

III. De casibus occultis c. 1045 § 3.

III. — De dispensationibus matrimonialibus.

D. An verba *pro casibus occultis* canonis 1045 § 3 intelligenda sint tantum de impedimentis matrimonialibus natura sua et facto occultis, an etiam natura sua publicis et facto occultis.

R. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

IV. De subdelegatione assistendi matrimoniis.

IV. — De subdelegatione assistendi matrimoniis

D. I. An vicarius cooperator, qui ad normam canonis 1096 § 1 a parocho vel loci Ordinario generalem obtinuit delegationem assistendi matrimoniis, alium determinatum sacerdotem subdelegare possit ad assistendum matrimonio determinato.

II. An parochus vel loci Ordinarius, qui ad normam canononis 1096 § 1 sacerdotem determinatum delegaverit ad assistendum matrimonio determinato, possit ei etiam licentiam dare subdelegandi alium sacerdotem determinatum ad assistendum eidem matrimonio.

R. *Affirmative* ad utrumque.

Dies (28 dec. 1927).

Romae, die 28 mensis Decembris 1927.

P. Card. Gasparri, *Praeses.*

L. ✠ S.

Ioseph Bruno, *Secretarius.*

Annotationes.

I. De Confessione religiosarum.

Duo quaerebantur: alterum de valore confessionis peractae extra loca comprehensa can. 522 et resp. 4 nov. 1920; alterum de vi verbi *adeat.*

De utroque quaesito, pauca, addendo etiam quod responsum ad 2 explicat de loco confessionis peragendae.

Ad 1. Post responsum 24 nov. 1920, non pauci quidem existimarunt condicionem loci non esse ad valorem requisitam, tum quia inusitatum est ut sacerdos qui modo generali sit idoneus, non possit nisi in certis locis confessiones valide audire (1); tum quia positive affirmando confessiones in uno ex dictis locis peractas esse validas et licitas, Pontificia Commissio declinare visa est claram et facilem responsionem quaestioni quae sic erat scripta: « Utrum confessio extra loca ista peracta non esset tantum illicita sed etiam invalida ».

Nihilo minus, nostra sententia semper fuit, voluntatem ponendi condicionem valoris significatam esse ipsa voce *Dummodo*, qua Pontificia Commissio usa erat. Etenim:

a) Si non esset ad valorem, inutile foret verbum *validae*. Confessiones enim licitae esse nequeunt nisi sint validae. — *b)* Usus vocis *dummodo*, quae, ex can. 39, in rescriptis significat condicionem essentialem pro validitate, intentionem prodit ponendi condicionem validitatis. — *c)* Demum usurpatio formulae in se minus perspicuae explicatur voluntate servandi tenorem verborum canonum 519 et 522.

Quod nunc responsione Pont. Commissionis manifestissime confirmatur.

Ad 2. Mox, post Codicem, voluimus in verbo « Si adeat » insistere, atque in eo reponere modum distinguendi validas et invalidas confessionis: ita ut *validae* forent confessiones si Soror accidentali uteretur

(1) Casus prorsus diversus est quando facultas immediate conceditur pro tali ecclesia. Non raro, in magnis Italiae urbibus, sacerdos delegatur ad audiendas confessiones in tali basilica, non alibi. Verum in casu praesenti competentia conceditur directe in personas, non pro servitio cuiuspiam ecclesiae.

occasione occurrentis sacerdotis; *invalidae* autem si confessarius a Sorore advocatus esset. Subinde vero, observata usuali interpretatione, et etiam responsione Pont. Commiss. 4 nov. 1920, quae verba ista omiserat, intelleximus « si adeat », mere supponere spontaneum Sororis accessum, sive confessarius vocatus fuerit, sive non fuerit. Simul tamen negavimus talem confessarium vocari *debere,* in qua re differt a confessario supplementari, quem Ordinarius confessario ordinario et extraordinario adiungere debet.

Quae sententia nostra nunc etiam confirmatur responsione ad 2. Pontificiae Commissionis.

Verum istud etiam notandum est: Pontificia Commissio hac opportunitate usa est ad excludendam eam quam vocavimus callidam quorundam evasionem, « qui quasi ludentes in verbis *pro mulieribus,* existiment requiri locum ubi non solae religiosae sed etiam mulieres saeculares audiri possint. ». (1).

Etenim, singularis ista opinio causa fuit cur duo Episcopi diserte quaesierint, utrum locus pro mulieribus approbatus possit etiam intellegi sedes unice pro confessionibus monialium seu Sororum designata. Quocirca, cum varia dubia proposita iussa fuerint in unum contrahi, consulto, in reformatum dubium introducta sunt verba « ad loca confessionibus *mulierum vel religiosarum* » legitime destinata.

Clarissima responsione sua, Pont. Commissio calliditatem istam exclusit. Constat igitur omnino nunc, etiam monialibus claustratis prodesse beneficium can. 522. Nec immerito. Monialibus istis enim, cum rarior sit copia adeundi alium confessarium, magis utilis et necessaria fit optima sanctio can. 522.

Quaeret quispiam: potestne in casibus in quibus can. 910 sinit ut confessiones mulierum extra sedem

(1) Cfr. Epitome I, n. 594 post g.

confessionalem audiantur, locus ubi mulier legitime confessionem suam institueret, considerari ut approbatus pro religiosis?

Benignae sententiae non refragamur. Audiatur cl. MAROTO, a nobis allegatus in *Epitome,* I, n. 594, versus finem: « Si, ad normam can. 910, in casu verae necessitatis... confessarius pro mulieribus approbatus recipiat alicuius religiosae confessionem extra sedem confessionalem, in loco ubi reciperet in pari casu mulierum saecularium confessiones, legitime destinatus pariter censendus est ille locus, quoniam ab ipso confessario et a religiosa paenitente, eligitur ad normam legis, i. e. c. 910 » (*Comment. pro religiosis* 1921, p. 36).

II. De absolutione in periculo mortis.

Responsioni Pont. Commissionis, qua absolutio in periculo mortis data vi c. 882 ad forum internum limitatur, obici potest, in can. 882 restrictionem ad forum internum non exprimi, dum exprimitur in c. 2254 § 1; neque etiam expressam fuisse Conc. Tridentino (Sessio XIV, c. 7): « In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis ». Vi autem can. 202 § 3, « si forum pro quo potestas data est expressum non fuerit, potestas intellegitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura, aliud constet ».

Nihilo minus de veritate responsionis factae minime dubitamus. Etenim, ex *natura rei,* viro qui omni iurisdictione in foro externo caret data facultas ad finem ob quem sufficiat potestas in foro interno, foro isto circumscribenda est. Constat autem nullam iurisdictionem in foro externo competere confessario vel simplici sacerdoti; finem praeterea qui a Tridentino Concilio additur: *Ne quis pereat,* plene obtineri per reconciliationem cum Deo. Ergo, *ex rei natura,* potestas circumscribenda est foro interno. Tunc autem,

ex ipso can. 202 § 3, forum exprimi non debet. Praeterea, *locus* quo data est potestas mentem prodit restringendi facultatem ad forum internum. Conceditur enim ubi sermo est de sacramento paenitentiae, seu de foro interno. — Quid, quod can. 882 praeservat recursum imperatum canone 2252. Iam vero, cum agitur de censura a iure reservata, recursus in primis faciendus est ad S. Paenitentiariam, i. e. ad tribunal fori interni. Atque etiam si recurritur ad Episcopum vel ad alium Superiorem, *nomen* reticeri debet: quod fit in solo foro interno. Ut autem cohaerenter dicat, Codex potestatem eodem can. 882 factam in censuras ab homine latas, debet ad idem forum referre ad quod refertur facultas pro censuris a iure latis.

Haec interpretatio confirmatur quoque receptis sententiis ante Codicem, Cfr FERRARIS, *Prompta Bibliotheca,* art. I. n. 56; *Theol. prakt. Quartalschrift* 1926, pag. 245 ss. R. P. Dr. JONE, O. M. Cap.

Corollaria responsionis: *a)* Absolutio conferri non potest extra sacramentum a simplici sacerdote. — *b)* Aegrotus, si convaluerit, puniri poterit in foro externo. — *c)* Si adhuc usus foret absolvendi in foro externo post mortem, ut v. g. delinquens in foro interno absolutus, donari possit sepultura ecclesiastica, haec absolutio in foro externo danda foret. Nunc autem satis erit ut concessio absolutionis legitime praesumatur in foro externo.

III. De dispensatione matrimoniali pro casibus occultis, vi c. 1045 § 3.

Quaestio huc vertitur, utrum facultas data pro casibus occultis, sola *impedimenta occulta* respiciat, an sufficiat, ut *ipse casus* impedimenti per se publici, sit de facto occultus, intellegendo vocem sicut in c. 2197 intellegitur: ibi occultum opponitur facto divulgato aut quod facile divulgabitur.

Ac notes probabiliter sufficere ut impedimentum sit *formaliter* occultum, i. e. non cognoscatur ut impedimentum. De hac notione, cfr ARENDT, S. I., *Ius Pontificium,* anno VI (1926) p. 145 ss; *Per.* XV (1926), p. (85). (86).

Atque ipsa Pont. Commissio, 1 mart. 1921 ad IV, declaravit non requiri ut impedimentum antea omnino ignotum fuerit et tunc resciatur, sed satis esse ut, quamvis antea cognitum, tunc solum, cum omnia parata sunt ad nuptias, delatum sit ad notitiam parochi aut Ordinarii. (Cfr. *Per.* X, p. 326.)

Graves quidem auctores propendebant in partes severiores, quibus stricte intellegitur casus occultus sicut impedimentum occultum, v. g. WERNZ-VIDAL, *Ius matrim.* n. 428 et nota 94.

Latiorem tamen interpretationem professi sumus: *a)* quia Legislator utendo aliis verbis « casus occulti » non praesumitur velle idem dicere quod potuisset vocare: casus impedimenti occulti ». — *b)* Quia notio occulti applicata ad impedimentum matrimoniale est nova, nec proin ad aliam materiam applicanda; — *c)* quia finis legis est ut prospiciat casui perplexo. Si autem verba Codicis restringas ad impedimenta occulta, facultas raro utilis foret et iterum recurrendum esset ad doctrinam Codici anteriorem de casu perplexo. — *d)* Quia cum agatur de solis impedimentis in quibus hodie S. Sedes dispensaret, grave incommodum ex usu potestatis timendum non est. Excipe rarum profecto casum ubi altera pars decepta, a voluntate contrahendi recederet si impedimentum novisset.

Sententia ista est nunc responsione Pont. Commissionis confirmata.

IV. De subdelegatione assistendi matrimoniis.

Responsa hactenus data de necessitate determinandi tum *sacerdotem cui,* tum *matrimonium pro quo* delegatio ad assistendum matrimonio detur, dubiam

fecerunt regularem applicationem normarum delegationis et subdelegationis ad istam materiam. Haec duo enim constant ex can. 199 § 3 et 4. Potestas delegata ab habente ordinariam potestatem subdelegari potest: *a)* si sit concessa ad universitatem negotiorum; — *b)* si concessio subdelegandi sit expresse facta.

Iam vero, vicarius cooperator, ad normam c. 1096 § 1 generaliter delegari potest ad assistendum matrimonio. Quaerenti igitur utrum necne vicarius iste, si re vera generaliter delegatus fuerit, possit facultatem assistendi alicui determinato sacerdoti subdelegare, nonne statim affirmative respondendum esse apparet? Quod suo suffragio nunc confirmavit Pont. Commissio.

Deinde quaesitum est utrum necne parochus vel Ordinarius possit sacerdoti determinato quod ad assistendum matrimonio determinato delegaverit, facultatem facere sibi substituendi alium sacerdotem, quem delegatus determinet, pro eodem matrimonio. Iterum principia generalia postulant responsum affirmativum, quod re vera datum est a Pont. Commissione.

Observes demum quod scripsimus commentando decretum *Ne temere*. « Iure superiore triplicem distinguebant delegationis rationem: delegationem *unius,* delegationem *complurium*, et delegationem *indeterminatae personae*. Sola ultima nunc est suppressa. Facultas autem subdelegandi non putabatur esse delegatio indeterminata sed complurium (Wernz, IV, n. 180). Ac delegatio indeterminatae personae et facultas subdelegandi hac re differunt, quod in delegatione sacerdotis indeterminati, electio cuivis, sacerdoti vel laico relinqui potest facienda, dum, quando facultas subdelegandi conceditur, prior delegatio et ipsa subdelegatio non possunt nisi sacerdoti determinato concedi. Cfr quoque Cappello, *De matrimonio,* n. 673.

Hactenus quae satis esse videntur ad declaranda prudentia responsa Pont. Commissionis.

ACTA SUMMATIM RELATA

9. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Litterae de ecclesiis.

In basilicam minorem eriguntur:

Basilicae Minores;

Brevi *Exstat intra fines,* 7 aug. 1927, sanctuarium B. M. V. in caelum assumptae, in oppido Staraviensi, dioecesis Premisliensis in Polonia (*A. A. S.*, XX, 1928, 17);

Staravien.

Brevi *Exstat in Columbia,* 18 aug. 1927, sanctuarium N. D. a Rosario, O. P., in oppido Chinquinquira, dioecesis Tunquensis (*A. A. S.*, XX, 1928, 18);

Chinquinquira

Brevi *Sanctuarium perinsigne,* 22 aug. 1927, sanctuarium O. F. M., S. Margaritae Cortonensis, in civitate ac dioeces Cortonensi in Tuscia situm (*A. A. S.*, XX, 1928, 20).

Cortona

10. — S. Congr. Consistorialis.

1. *Designationes Ordinariorum pro appellatione:*

Ordinarii pro appellatione

Rescripto 12 dec. 1927, approbata est designatio facta ab archiepiscopo Glasguensis, Ordinarii Ergadiensis et Insularum pro appellatione in secunda instantia.

Rescriptis 4 ian. 1928, pariter approbatae sunt designationes:

Ordinarii Sancti Spiritus, ab archiepiscopo Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii:

Ordinarii Montisclarensis, ab archiepiscopo Adamantinensi;

Ordinarii Parahybensis, ab archiepiscopo Belemensi de Para;

Ordinarii Adamantinensis, ab archiepiscopo Bellohorizontino;

Ordinarii Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, ab archiepiscopo Cuiabensi;

Ordinarii Pesqueirensis, ab archiepiscopo Olindensi et Recifensi;

Ordinarii Natalensis, ab archiepiscopo Parahybensi;

Ordinarii Pelotensis, ab archiepiscopo Portalegrensis in Brasilia;

Ordinarii Fortalexiensis, ab archiepiscopo Sancti Ludovici de Maragnano (*A. A. S.*, XX, 1928, 22).

Rescripto 18 ian. 1928, approbata est designatio Ordinarii Galvestoniensis, ab archiepiscopo S. Antonii Americae Septemtrionalis (*A. A. S.*, XX, 1928, 37).

2. *Immutatio finium dioecesium :*

Fines Monacensis-Frisingensis et Passaviensis.

Decreto 31 dec. 1927, nonnihil immutantur fines duarum dioecesium, dum locus *Loding* a paroecia *Kay* archidioecesis Monacensis et Frisingensis separatur et paroeciae *Tyrlaching*, dioecesis Passariensis unitur (*A. A. S.*, XX, 1928, 36).

11. — S. Cong. Rituum

Introductio causae S. D Alberici Crescitelli.

Die 21 dec. 1927, signata est commissio introductionis causae Servi Dei Alberici Crescitelli, missionarii apostolici in Sinis, in odium fidei, ut fertur, perempti, 21 apr. 1900, saeviente per regionem Sinensem persecutione in christianos (*A. A. S.*, XX, 1928, 23).

Confirmatio cultus S. D. Hosannae de Catharo.

Die 21 dec. 1927, confirmatus est cultus servae Dei Hosannae de Catharo, virgini tertii ordinis S. Dominici, inde ab obitu, a. 1565, publice praestitus (*A. A. S.*, XX, 1928, 39).

12. — S. Romana Rota

Causae actae anno 1927.

Summa causarum.

In *A. A. S.*, XX, 1928, 43, pro more publici iuris fit elenchus causarum actarum anno 1927.

Sententia definitiva lata est in 61 causis, quarum 53 sunt causae matrimoniales. Absque definitiva sententia finem habuerunt, transactione seu peremptione, vel alio modo, 20 insuper causae varii argumenti.

13. — Provisio Ecclesiarum

Decretis *S. Congr. Conistorialis* nominati sunt :

Catanzaro e Squillace (Italia).

R. P. D. Ioannes Fiorentini, archiep. Cathacensis et ep. Squillacensis, utraque sc. sede ad personam unita ;

Conza, S. Angelo de Lombardi, Bisaccia, Lacedonia (Italia).

R. P. D. Iulius Tommassi, archiep. Compsanus et ep. S. Angeli de Lombardis ac Bisaciensis et Laquedoniensis, ecclesia Laquedoniensi cum ecclesia S. Angeli de Lombardis in personam unita ;

Nictheroy (Brasilia).

R. P. D. Iosephus Pereira Alves, ep. Nictheroyensis, ex ep. Natalensi.

Mangalore (India).

Decreto *S. Congr. de Propaganda Fide,* nominatus est R. D. Valerianus Iosephus de Souza, ep. Mangalorensis.

14. — Nominationes

Decretis *S. Congr. de Propaganda Fide* nominati sunt:

17 oct. 1927, R. P. Bruno Wolnik, S. I., Praef. Ap. de Broken-Hill; — *Broken Hill (Afr. merid.).*

9 nov. 1927, R. P. Patric. Iacob. Byrne, e Soc. de Maryknoll, Praef. Ap. de Peng-yang; — *Peng-yang (Cina).*

23 nov. 1927, R. P. Aegid. Roy, O. F. M., Praef. Ap. de Kagoshima: — *Kagoshima (Iaponia).*

11 ian. 1928, R. P. Ioan. Hippol. Esquerre, e Soc. Lugdunensi Missionum ad Afros, Praef. Ap. de Bobo Djoulasso. — *Bobo Djoulasso.*

Decreto 20 ian. 1928, R. D. Raphael Lovera, nominatus est praeses Consilii Pontificii Operis a Probagatione Fidei pro Venezuela. — *Venezuela.*

15. — Necrologium

29 dec. 1927, Ill. D. Thomas Lemonnier, ep. Baiocensis et Lexoviensis. — *Bayeux et Lisieux.*

1 ian. 1928, Ill. D. Angelus Marquina y Corrales, ep. Guadicensis. — *Guadix.*

7 iul. 1927, Ill. D. Laurent. Steph. M. Monnier, ep. Trecensis. — *Troyes.*

10 iul. 1927, Ill. D. Ioannes Plaza y Garcia, ep. Santanderiensis. — *Santander.*

8 oct. 1927, Ill. D. Iacob. Muldoon, ep. Rockfordiensis. — *Rockford.*

24 dec. 1927, Ill. D. Becharach Chemali, archiep. Damascenus Maronitarum. — *Damas.*

31 dec. 1927, Ill. D. Anton. Alvarus Ballano, ep. Zamorensis. — *Zamora.*

13 ian. 1928, Ill. D. Carol. Falcini, ep. Sancti Miniati. — *S. Miniato.*

BIBLIOGRAPHIA

I Libri.

XXX. *Annuaire de l'Université catholique de Louvain:* 1920-1926. 1 vol. (13×18) 780-CCCVIII p. Tongres Michiels.

Prem. Partie. Prière à la Vierge. Conseil d'administration Conseil général et Personnel de l'Université. Collèges et Établissements académiques. Docteurs honoris causa. Étudiants admis aux grades académiques. Statistiques des inscriptions. Nécrologe. — *Deux. Partie.* Analectes pour servir à l'histoire de l'Université. Rapports. Discours d'ouverture, etc. — *Troisième Partie.* Notices nécrologiques.

Sosio d' Angelo (R. Prof.). *La morte reale ed apparente* e *l'amministrazione dei Sacramenti* — Vol. (14×22); 80 p. — Torino, Roberto Berruti et C. venit 4 lib. ital.

Introduzione — La vita latente nei neonati e nei feti — L' amministrazione del battesimo ai neonati e feti apparentemente morti — Vita latente negli adulti apparentemente morti. — L' amministrazione dei Sacramenti agli adulti apparentemente morti.

Giuseppe De Nardis (Ill. D.). **Il Ballo.** — *Lettera Pastorale per la Quaresima del 1928.*

Giuseppe Cattani (Dott.). *Sentire e Volere. Arte del vivere.* Vol. (12 × 19); XVI—586 p. Milano, Ulrico Hoepli, 1928.

Vivere ed amare — Amare e sentire (affettività) — Amore sensibile e funzione genetica — Eredità e Costituzione — Bisogni e desideri — Fisiologia del sentire — Il godere — Il soffrire — Il carattere — Passioni — Emozioni — Immaginare (Fantasia — Inventiva) — Il Genio — Fede e Santità — Suggestione e Psiconeurosi — Simpatie — Dormire e Sognare — Ricordare — Conoscere e Conoscersi — Obbedire — Rispettare (Colpa — Delinquenza — Pazzia) — Parlare, scrivere, gestire — Il volere — Educare il volere — Operare, Lavorare, Affaticare — Riposare.

P. Fr. **Ben. H. Merkelbach,** O. P. (Prof.) — *Quaestiones de variis Poenitentium categoriis* — vol. in-8; 202 p. Liège. La Pensèe Catholique — 1928.

De poenitentibus varie dispositis — De poenitentibus variis

secundum conditionem corporis — De poenitentibus variis secundum conditionem animae.

Iames Strachey Barnes, *F. R. G. S. The Universal Aspects of Fascim* — Vol. (14 × 22); XXII-250 p. — London, Williams and Norgate, 1928. Venit 10 s. 6 d.

Preface by His Excellency Signor Benito Mussolini. — Introduction. — Part I. Chapter I. Fascism in the Light of History. — Ch. II. The State. — Ch. III. The Main Principles of Fascism. — Ch. IV. Fascism and Democracy. — Ch. V. Fascism and Empire. — Ch. VI. The Weltanschauung of Fascism. — Part. II. Section I. General Remarks. — Sect. II. Heterogeneous Legislation in Italy. — Sect. III. The Law on the Attributions and Prerogatives of the Prime Minister. — Sect. IV. The Law Defining the Powers of the Executive. — Sect. V. The Law of the Corporations. — Sect. V. The Labour Charter. — Sect. VIII. The New Italian Parliament. — Sect. VIII. Epilogue.

I. L. Gaston Pastre. L'Éternel Féminin. *Notes Brèves sur le Féminisme.* Vol. (12 × 19) ; 160 p. — Paris, Pierre Téqui, 1927 — Venit Franc. 6.

Un peu d'Histoire. — La Femme sur le plan intellectuèl. — De l'Éducation des Femmes. — La Dépopulation. — Les Oeuvres. — Le vote et l'éligibilité des Femmes. — Le Mariage et le Divorce. — Le Foyer. — La Famille et son Chef. — A propos du Programme féministe. — Un peu de tout. — Le travail des Femmes. — A bâtons rompus. — Conclusion.

E. de Moreau, S. I. *Le Catholicisme en Belgique.* Vol. (12×18); 104 p. — Liège, La Pensée Catholique, Quai Mativa, 38. — La situation légale du catholicisme. — Le clergé séculier. — Les religieux. — Les oeuvres sociales. — L'enseignement catholique. — Le parti et la presse catholique. — Les sciences sacrées. — La Belgique Catholique, les missions étrangères et l'union des Églises. — Situation morale. — Pratique religieuse.

F. Cimetier (S. S.). *Pour étudier le Code de Droit Canonique.* 1 Vol. (12 × 18) 245 p. Paris, Gabalda, 1927.

Introduction générale. — Bibliographie. — Réponses et décisions officielles, disposées selon l'ordre du Code: 1917-1927.

Henzi Lanier (R. D.) *Guide pratique de la Procédure Matrimoniale en Droit canonique.* Vol. (14×23), XX-84 p. — Paris, Pierre Téqui, 1927. Introduction: L' *Enquête préliminaire.* — Liste générale des chefs de nullité. — Chapitre I. La Procédure sommaire dans certains cas particuliers. — Chap. II. La Procédure normale dans les affaires en nullité. — Chap. III. La Procédure pour les dispenses *super rato* et *non consummato.* — Do-

cuments: I. Positions du Droit canonique en quelques cas de nullité plus fréquents. — II. Formules diverses.

Felix M. Cappello, S. I. — *Summa Iuris Canonici in usum scholarum concinnata.* Vol. I (14 × 20); VIII-508 p. Romae. Universitas Gregoriana, 1928. — Venit 18 lib. itál. — De principiis et fontibus iuris canonici. — De personis.

Fr. Luis G. Fanfani, O. P. — *El Derecho de las Religiosas conforme al Código de Derecho Canónico. Trad. a P. Fr. Toribio Ardanza,* O. P. — Vol. (14 × 21); XXIV-298 p. Taurini-Romae, Marietti, 1928. Venit 5,50 pesetas. — Nociones generales. — Erección y Supresión de un Instituto religioso, de una Provincia, de una Casa religiosa. — Gobierno de las religiosas. — Las Superioras. — Confesores y Capellanes. — Bienes temporales. — Admisión en religión. — Obligaciones de las religiosas. — Privilegios de las religiosas. — Del Culto divino. — Escuelas y Misiones. — Paso a otro Instituto religioso. — Abandono de la Religion. — Pias Sociedades o Congregaciones de mujeres que viven en comunidad, pero sin votos.

Emile Van Dievoet (Prof.). *La Séparation de Corps et la loi du 20 mars 1927. — Étude Juridique.* Vol. (12 × 19); 176 p. Louvain, Société d'Études Morales, sociales et Juridiques *1928.* Venit Franc. 9. — Introduction. Ch. I. Conversion de la séparation de corps en divorce. — Ch. II. Les avantages matrimoniaux de l'époux coupable. — Ch. III. Le désaveu des enfants conçus pendant la séparation des époux. — Ch. IV. La capacité de la femme séparée de corps et le régime matrimonial. — Annexe: Loi du 20 Mars 1927: Texte Français et texte Flamand.

Ex Periodicis

Apollinaris, 1928. PHILIPPUS MAROTO, C. M. F. De axiomate « ubi tumulus ibi funus ». — SOSIUS D'ANGELO. De Fundamento discriminis inter privilegium reale et privilegium personale in « Codice Iuris Canonici » - Missa pro populo. — FRANCISCUS ROBERTI. De S. Ordinatione *ex metu* suscepta et de poenis in eos qui *quoquo modo* coegerint. (Concordia Canonum 214 § 1 et 2352). De recursu ob reiectionem libelli. — ALAFRIDUS OTTAVIANI. Concordatum Lithuanicum. — P. FRANCISCUS XAV. D'AMBROSIO O. M. Cap. De professione religiosa Italorum qui servitio militari adstringuntur.

Collationes Tornacenses, 1928. I. WARICHEZ (R. D.). Autour de nos anciennes funérailles (suite). — *** De assistentia fune-

ribus mere civilibus. — *** Droits de l'Église et de l'État sur le mariage. — *** Quinam sunt ritus S. Communionis infirmis ministrandae ?

Collectanea Mechliniensia, 1928. I. HENRI. Une critique du marxisme. — K. CRUYSBERGHS. De Valore legis civilis in foro conscientiae. — V. SEMPLES. La personnalité juridique en droit ecclésiastique.

Il Diritto Ecclesiastico, 1928. E. PIGA. Contenuto e limiti del diritto di patronato nelle parrocchie gentilizie della Liguria. — TITO ARMELLINI. I provvedimenti per la difesa dello Stato e l'art. 2 della legge per le guarantigie pontificie. — CLEMENTE CARMIGNANI, O. F. M. Il Convento-Parrocchia. - *Giurisprudenza della Congr. Rom.* Canonico coadiutore. - Presunta morte del coniuge. - Assenza dei padrini. *Giurisprudenza della Rota* in materia di patronato.

Ephemerides Liturgicae, 1927. *Acta Academiae Liturgicae.* *** De proprio calendario religiosorum. — BATTISTINI. De Festorum praestantia. - De officiorum translatione. — C. CALLEWAERT. De hymno « Te Deum ». — Notes sur le carême primitif gallican. — TH. KLAUSER. Der Ursprung des Festes Petri Stuhlfeier am 22 Februar. — C. MOHLBERG. Das älteste Sakramentar Tengarno und eine wiedergefundene Mikrologus - Handschrift. — I. M. HANSSENS, S. I. Deux documents carolingiens sur le baptême. — F. NOVATI. De quodam commentariolo liturgico - astrologico saeculi XV.

Estudios Eclesiásticos. 1928. TEIXIDOR, L. Concurso immediato de Dios. — NINK, G. Principia contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis, eorumque inter se conexio. — MURILLO L. El problema sinoptico.

Benediktinische Monatschrift, 1928 P. H. SUSO MAYER: Ehe und Jungfräulichkeit. — P. THOMAS OHM: Benediktinisches Mönchtum im fernen Osten.

Estudis Franciscans, 1928. P. AMÉDÉE TEETAERT. De Teologia morali pastoral.

Il Monitore Ecclesiastico, 1928. C. PARISI (R. D.). Circa la dote delle Clarisse. Circa la facoltà dei Regolari di disporre dei loro beni. *** Circa il valore della testimonianza del Confessore nelle cause dei Servi di Dio (can. 2027 § 2). *** Del Confessore occasionale delle Religiose.

Perfice Munus, 1928. D. EMM. NADDEO, O. S. B. Teologia pastorale. — MONS. FELICE RAVANAT. Della Croce sugli Altari. — S. B. Chiesa funerante, elettiva e quarta funeraria nel mezzogiorno d'Italia. — SAC. G. ROSSI. L'assoluzione del complice

in peccato turpi. Per le annotazioni al « Codex Iuris Canonici » — CAN. GIOV. LARDONE. Sacerdoti e iniezioni - Comunioni d'infermi non digiuni - sepultura more parvulorum.

Palestra del Clero 1928. P. GIULIO MONETTI, S. I. Omelie sui Vangeli di Settuagesima, di Sessagesima, di Quinquagesima e della prima Domenica di Quaresima; e Triduo per le SS. Quaranta Ore. — MONS. PIETRO PEZZALI. Istruzioni Morali. — MONS. FORTUNATO DE SANTA. Discorsi per il primo Venerdì del mese, per le sacre Ceneri e Istruzioni catechistiche. — SAC. FRANCESCO BERTONCELLO. Fervorini eucaristici. *** - Meditazioni. — S. ECC. MONS. EUGENIO BECCEGATO. Riflessioni sui vangeli di Settuagesima e di Quinquagesima.

Pastor bonus, 1928. DR. OSKAR MEISTER. Arbeitsrecht und Arbeitsseelsorge. — P. GABRIEL SCHMIDT, O. F. M. Der Dritte Orden des heiligen Franziskus.

Theologisch-praktische Quartalschrift, 1928. VIKTOR CATHREIN, S. I. Die Eigentumslehre des Viktor Cathrein. — DR LEOP. KOPLER. Religion und Politik. — P. ZYRILL FISCHER, O. F. M. Die Sozialdemokratische Kinderbewegung. — Dr JUR. OSKAR MEISTER - Eid und Meineid in ihrer Bedeutung für das heutige Rechtsleben. — Univ. Professor Dr PRÜMMER, O. P. Irregularitas ex defectu Corporis.— Univ. Professor A. SCHMITT, S. I. Taufe unter Bedingung. — Dr KARLE FRUHSTORFER, Verschiedene Ansichten über Messverpflichtungen. - Dr ALOIS SCHRATTENHOLZER. Ist ein nach dem österreichischen Weingesetz - B. - G. - Bl. Nr. 217 ex 1925 - Aufgezuckerter Wein als Messwein zulässig? — P. Dr HERIBERT IONE, O. M. Cap. — Error communis und Suppletion der Beichtjurisdiktion. — Die Gebete zur Gewinnung des Portiunkula-Ablasses. — Profane Taufnamen. — Der Ordinations prozess propter metum gravem.

Le Recrutement sacerdotal, 1928 - Et. PERREAU (Prof.) Rattachement des Séminaires aux syndicats ecclésiastiques. —

M.lle ANNIE LE PELLEY. Fondations de bourses pour Séminaristes dans le cadre de la loi syndicale. — M. D. S. J. Le 3e Congrès national du « Recrutement sacerdotal ». — A. BESSIÈRES S. J. La gratuité de l'enseignement secondaire.

Resena Ecclesiástica, 1928. MIGUEL DE ARQUER. Impedimentos del matrimonio (Continuación). — La exposición solemne del Santisimo (reglas que deben observarse).

Revue des Communautés religieuses (1928). - J. CREUSEN. S. J. Les lois pénales. — E. JOMBART, S. J. Malade imaginaire. — R. BROUILLARD, S. J. Devoir de discrétion à l'égard du Confesseur.

PARS ALTERA

MONUMENTA

16. — Suprema S. C. S. Officii.

Responsa 18-26 Ian. 1928

DE COMPETENTIA IN CAUSIS MATRIMONIALIBUS MIXTIS

(A. A. S. 1 mart. 1928, XX, 75)

DUBIA

Dubia

Propositis Supremae huic Sacrae Congregationi Sancti Officii sequentibus dubiis:

De acatholico actore;

I. Utrum in causis matrimonialibus *acatholicus*, sive baptizatus sive non baptizatus, *actoris* partes agere possit.

De exclusiva competentia S. Officii

II. Utrum in quibuslibet causis matrimonialibus inter partem catholicam et partem acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, quocumque modo ad Sanctam Sedem delatis, Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii exclusivam habeat competentiam.

Dies (18 ian. 1918)

Feria IV, die 18 Ianuarii 1928

E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt:

Responsum ad I;

Ad I: *Negative*, seu standum Codici I. C., praesertim can. 87. Siquidem autem speciales occurrant rationes ad admittendos acatholicos ut *actores* in huiusmodi causis, recurrendum ad Supremam Sacram Congregationem Sancti Officii in singulis casibus.

Ad II.

Ad II: *Affirmative*, habita praesertim ratione can. 247 § 3, et salvo praescripto can. 1557 § 1, 1°.

Approbatio SS.

Et feria V, die 26 eiusdem mensis et anni Ss.mus D. N. D.

Pius divina Providentia Pp. XI in audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari mandavit.

Dies (27 ian. 1928). Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 27 Ianuarii 1928.

ALOISIUS CASTELLANO
Supremae S. C. Sancti Officii Notarius.

ANNOTATIONES

I. Iuvabit in primis ea quae antea acta sunt memorare, quatenus ex *Acta Ap. Sedis* vel documentis certis ea cognoscere potuimus.

Iam die 8 april. 1925, *Suprema C. S. Officii* archiepiscopo Friburgensi sic interroganti : « Utrum Tribunal ecclesiasticum iudicare possit de validitate matrimonii duorum acatholicorum, instante parte acatholica quae nempe cum catholico contrahere vult, aut parte catholica acatholico nupturiente, aut utraque, aut solo Promotore iustitiae » : respondit « Recurrendum in singulis casibus ».

Responsio tamen ista, quam *Periodica*, XV, 166 ex Ephemeride Germanica exscripserant, non fuit per *Acta Ap. Sedis* promulgata.

In sollemni receptione qua SS. Dominus tribunal S. Rotae, ineunte anno iuridico, honestare solet, Ill. et Rev.mus Decanus Rotae ita, coram SS.mo explicavit quomodo S. Rota in causa matrimoniali Marconi-O' Brien [seu duorum tunc acatholicorum (1)] sententiam pronuntiasset. « Nobis, inquit, obiciebatur quod causas

(1) Quo pacto matrimonium Marconi O' Brien considerari possit ut celebratum inter duos acatholicos, ostendimus *Periodica*, XVI, p. 103 - Ita *Acta Ap. Sedis* XIX, p. 354, verba III. Decani referunt: « Ci si rimproverò di aver giudicato cause matrimoniali di acattolici, intromettendoci in ciò che non ci riguardava... Ma tali rimproveri non avevano fondamento alcuno. Perchè, in primo luogo, non si può ignorare che la Chiesa afferma altamente, - e basta leggere il can. 1960 del Codice, - il suo diritto di giudicare le cause matrimoniali tra i battezzati. È chiaro che molti degli acattolici, non considerando il matrimonio come sacramento, ritengono le cause matrimoniali di competenza dello Stato, e per conseguenza non può riuscir nuova la loro opposizione ai nostri principi. Ma è pur chiaro che quegli acattolici che ricorrono all' autorità

matrimoniales acatholicorum iudicaveramus... Sed ignorari non potest ab Ecclesia elate affirmari, - satis est legere c. 1960 Codicis, - suum ius iudicandi matrimoniales baptizatorum causas. Liquet, cum multi acatholici matrimonium non habeant pro sacramento, causas matrimoniales ab ipsis Statui tribui, ita ut eorum oppositio nostris principiis minime ut novum quid excipienda sit. Verum etiam liquet ab iis acatholicis qui auctoritatem ecclesiasticam appellant, re apse agnosci competentiam Ecclesiae, quae eos audire non dedignatur, cum eorum petitio tendat ad animae praeiudicium avertendum, ut verbis utamur c. 1654. Re vera, hoc modo dissidentes ad Ecclesiam approximant, et eorum reditui in Ecclesiam praeludere solent.

« Atque ideo fortasse eorum actio odiosa evadit sociis eiusdem religionis. »

II. Nunc autem, quaestio de huiusmodi causis duplici responso *Supremae C. S. Officii,* in *A. A. S.* promulgato authentice solvitur.

1. Priore responso negatur acatholico facultas partes actoris agendi in iudicio ecclesiastico. Quod declaratur consentaneum Codici, praesertim attento can. 87, quo impedimentum ecclesiasticae communionis simul obstare definitur iuribus christianorum quae baptismo per se conferuntur. Id, ut patet, non prohibet quin, ob iustam causam, dispensatio dari possit. Et sic intellegitur cur iam in sua responsione ad Ill. Arch. Friburgensem, *S. Officium* voluerit ut in singulis casibus recurreretur.

Accedit haec altera ratio exclusionis, quia acatholicus, ob ipsum defectum fidei et subiectionis, videtur adire tribunal ecclesiae cum animo non curandi futuram sententiam, si haec eius votis non satisfaciat.

---

ecclesiastica, riconoscono col fatto la competenza della Chiesa, la quale non sdegna di ascoltarli, essendo rivolta la loro domanda *ad animae praeiudicium avertendum,* per usare la parola del can. 1654.

« È in realtà un accostarsi di dissidenti alla Chiesa, che suole preludere al ritorno, e forse appunto per questo il loro passo riesce odioso ai correligionari ».

2. Altera responsione, *Suprema C. S. Officii* sibi vindicat exclusivam competentiam in quibuslibet causis matrimonialibus inter partem catholicam et acatholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, quocumque modo ad S. Sedem delatis.

III. Observes : 1. In hoc responso de solis causis agi quae aliquo modo sint S. Sedi delatae. De tribunali Ordinariorum nihil edicitur. Memoremus autem ex supra allegato responso 1925, esse in singulis casibus, *ibi numeratis,* recurrendum ad S. Officium.

2. Praesens responsio potissimum nititur c. 247 § 3, « Ipsa (S. C. S. Officii) sola cognoscit ea quae, sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, circa... matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur ; itemque ad eam spectat facultas dispensandi in hisce impedimentis. Quare quaelibet huiusmodi quaestio ad hanc Congregationem est deferenda ».

Praeterea matrimonium mixtum, quod sine cautionibus et venia S. Sedis ineatur, inducit ex se suspicionem haeresis: quae causa pertinet ad S. Officium.

3. Nihil, ut liquet, prohibebit hanc S. Congregationem quin, « si ita censeat et casus ferat, quaestionem remittat ad aliam Congregationem vel ad Tribunal Sacrae Romanae Rotae ». (c. 247 § 3).

4. Responsio reservat causas eorum qui supremum tenent populorum principatum, eorumque filiorum ac filiarum, eorumve quibus ius est proxime succedendi in principatum, quia solius est S. Pontificis ius eos iudicandi (1557 § 1), quod, ut manifestum est, per se vel per iudicem a se delegatum praestare potest (C. 1557 § 3).

5. Cfr eruditam disputationem R. P. G. Arendt, S. I., *De exclusiva S. Officii competentia circa matrimonium mixtum.* Historica iuris adumbratio. (Excerpt. ex *Ius Pontificium,* 1927).

A. Vermeersch, S. I.

17. — Suprema S. C. S. Officii

Decretum 1. 2 feb. 1928

PROSCRIPTIO OPERIS

(A. A. S. 1 mart. 1928, XX, 76)

Dies (1 feb. 1928). In Generali Congregatione Sancti Officii, habita Feria IV, die 1 Februarii 1928, E.mi ac R.mi D.ni Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, cum compertum habuerint librum recentissimum, cui titulus:

Opus PAUL COURCOURAL, *Le « Danger » de l'Action Française.* En réponse à Monsieur Maritain. — Éditions Rupella, Charles Millon, La Rochelle 1928, propugnare ideas ac res iam proscriptas, decreverunt ad hunc librum extendi iam latam condemnationem eumdemque in Indicem librorum prohibitorum esse inserendum. *Proscriptio*

Approbatio SS.mi (2 feb. 1928). Et insequenti feria V, die 2 Februarii 1928, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 3 Februarii 1928.

ALOISIUS CASTELLANO
Supremae S. C. Sancti Officii Notarius.

ANNOTATIO

Ut ex ipso decreti tenore facile colligitur, Suprema S. Congr. simul declarat libro D. Courcoural propugnari ideas ac res iam proscriptas, i. e. in variis actis Pontificiis de *Action Française,* ita ut in eum iam cadat lata condemnatio, ac proin ad ipsum applicandus sit can. 1399, 6^0 quo proscribuntur libri... « qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur »; et praeterea decernit insertationem libri in Indicem librorum prohibitorum.

A. VERMEERSCH, S. I.

18. — Suprema C. S. Officii

Responsum 16 mart. 1928

DE REPRAESENTATIONE SPIRITUS SANCTI SUB FORMA HUMANA
(A. A. S. 2 april. 1928, XX, 103).

Dubium. Proposito Supremae huic Sacrae Congregationi Sancti Officii dubio:

« An repraesentari possit Spiritus Sanctus sub forma humana sive cum Patre et Filio sive seorsim ».

Dies (14 mart. 1928). *Feria IV. die 14 marti 1928*

Responsum. Approbatio Sanctissimi. E.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales fidei et moribus tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt: *Negative.*

Et insequenti Feria V, die 15 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. D. Pius divina Providentia Papa XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum Responsionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Dies (16 mart. 1928). Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 16 martii 1928.

A. CASTELLANO — *Supremae S. C. S. Officii Notarius.*

ANNOTATIONES

I. Responsum istud nobis occasionem praebet paucis renovandi memoriam anteactorum de imaginibus Dei Unius et trini vel divinae Personae, qua talis.

1. In prima epocha, neque in Oriente neque in Occidente mos fuit efficiendi symbolicas imagines Divinitatis. Iam obstabat materiali repraesentationi spiritualis et infinitas naturae divinae, cui accedebat periculum idololatriae Verum, ut ipsa antiquissima coemeteria christianorum, seu catacumbae testantur, Christus ut Homo, B. M. Virgo, SS. Apostoli frequenter imaginibus recolebantur.

Angelorum etiam factae sunt imagines, quia, quam-

vis ipsi immateriales sint, circumscriptam tamen habent naturam, cui circumscripta imago non repugnat; et quia saepe sub figura humana in terris apparuerunt.

2. In Concilio Nicaeno II (787) memorantur imagines Iesu Christi, S. Dei Genitricis, Angelorum, omnium Sanctorum (Cfr v. g., *Denzinger,* n. 302).

In actione VIII eiusdem Concilii, verba occurrunt quae difficultatem aliquam facere possint. Dicitur enim:.. « Credentes in unum Deum, in Trinitate collaudatum, honorabiles eius imagines salutamus. » (*Denzinger,* n. 306 simpliciter allegat hunc locum pro cultu imaginum.) Ac re vera, R. P. PESCH, *Praelectiones dogmaticae,* ed. 3, t. 4, n. 669, haec verba allegat quasi ibi agatur de repraesentatione ipsius Dei. Sed contexta oratio demonstrat in isto loco non agi nisi de imaginibus quae in actione superiore VII commendatae sunt et verba « *τὰς τιμίας αὐτοῦ εἰκόνας* » intellegenda esse de imaginibus quae dicuntur Dei et Trinitatis quatenus Ipsi glorificando sunt destinatae (Cfr GRUMEL in *Dict. de theologie catholique,* verbo *Images,* tomo VII, I, col. 837-842). Sin aliter, actio VIII minime concordaret cum VII et cum canone 3 sequentis Conc. oecumenici Constantinopolitani IV (869. 870), ubi mere vindicatur cultus imaginum Salvatoris Christi, Dei Genetricis, Angelorum et Sanctorum.

Neque umquam in Ecclesia Orientali usus fuit habendi in ecclesiis imagines Dei vel Trinitatis. Columba enim non considerabatur ut sacra imago Spiritus Sancti. Ex quo tamen Orientales coeperunt Romae ad sacra ministeria informari, i. e. a saec. XVII, in quibusdam ritibus sunt sacella in quibus cernuntur imagines SS. Trinitatis.

3. In Ecclesia Occidentali, Conc. Tridentinum, in Decreto *De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et ss. imaginibus,* positive colendas non praecipit nisi imagines Christi, Beatae Virginis et Sanctorum;

de imaginibus divinitatis hoc solum habet: « Quod si aliquando historias et narrationes sacrae scripturae, cum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit ». Quare B. BELLARMINUS Controv. L. 2, *De imaginibus sacris*, c. 8, scribit: « Non est tam certum in Ecclesia an sint faciendae imagines Dei, sive Trinitatis, quam Christi et sanctorum ».

Postea tamen ALEXANDER VIII, Decr. *S. Officii,* 7 dec. 1690, inter 31 propositiones reprobatas, hanc 25^am^ proscripsit: « Dei Patris simulacrum nefas est christiano in templo collocare » (*Denz.,* n. 1315); et PIUS VI, Const. *Auctorem Fidei,* 28 aug. 1794, n. 69, ut temerariam ac pio per Ecclesiam frequentato mori contrariam, propter suam generalitatem, damnavit propositionem Synodi Pistoriensis quae praecipiebat ut imagines Trinitatis incomprehensibilis ab Ecclesia auferrentur, velut rudibus erroris occasionem praebentes (*Denz.* n. 1569).

Quod ad usum Ecclesiae Occidentalis, si fides sit MOLANO, *De historia imaginum,* L. 2, c. 3, iam saec. IV in Occidenti occurrit imago SS. Trinitatis; et ante saec. X. imago Dei Patris. Haec enim norma admissa est, ut qua figura in sacris litteris Deus referatur apparuisse, eadem pingi possit.

II. **De repraesentatione Spiritus Sancti.** Classica repraesentatio Spiritus Sancti fit sub figura columbae vel etiam flammarum ignis, cum sub utraque specie in Novo Testamento legatur apparuisse. Neque de ista symbolica repraesentatione movetur quaestio.

Repraesentatio autem separata Spiritus Sancti sub figura iuvenis vel viri numquam admissa est. Cfr *Benedicti* XIV Litteras Episcopo Augustano datas, *Sollicitudini,* 1 oct. 1745. § 34. 35. Et ratio est in promptu:

nusquam legitur sic separatim apparuisse; et imago ista periculum creat ne rudes Spiritum Sanctum incarnatum credant. Nos ipsi, rudes interrogantes de persona quae pro nobis facta sit homo, non semel responsum obtinuimus : fuisse Spiritum Sanctum.

Quid autem si simul cum Persona Patris et Filii repraesentetur? Exstant enim imagines SS. Trinitatis, in quibus SS. Trinitas exhibetur in tribus Personis, statura, aetate, omnibusque aliis lineamentis omnino aequalibus.

Profecto imago ista differt ab imaginibus quas BENEDICTUS XIV, op. c. n. 32, refert ut omnino tutas, i. e. quae « vel Personam Dei Patris exhibent in forma Viri senis, desumpta ex Dan. c. 7 vers. 9 : *Antiquus dierum sedit,* in eius autem sinu Unigenitum ipsius Filium, Christum videlicet Deum et Hominem, et inter utrosque Paraclitum Spiritum in specie columbae; vel duas Personas modico intervallo seiunctas repraesentant, unam Senioris viri, nimirum Patris, alteram Christi, medium autem inter ipsos Spiritum Sanctum in Columba, ut praefertur, expressum ».

Rursus autem imago ista non peccat formali falsitate, ut ea qua repraesentabatur Deipara Virgo Trinitatem ipsam in utero gerens, quasi vero tota Trinitas humanam carnem ex Virgine assumpsisset (BEN. XIV, op. c. § 27); neque monstruosa est, ut imago repraesentans SS. Trinitatem sub specie hominis triplici facie instructi, quam URBANUS VIII comburi iussit.

Inde habuit quosdam patronos, qui etiam innitebantur apparitione relata Gen. c. 18 trium virorum ad Abraham, quos is quasi unum alloquitur. S. AUGUSTINUS enim De SS. Trinitate, L. 2, c. 11 n. 20 (P. L. 42, 858) et non nulli post ipsum ibi agnoverunt « visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis aequalitatem, atque in tribus Personis unam eandemque substantiam » (S. AUG., l. c.)

Verum, ut iam monet BENEDICTUS XIV § 31, alii locum S. Scripturae aliter explicant. Quocirca, ipse § 33 op. c. liceitatem sic pingendi SS. Trinitatem ut controversam esse sinit.

Quam quaestionem *Suprema C. S. Officii,* suo decreto solvit, negando posse SS. Spiritum etiam cum Patre et Filio, repraesentari sub forma humana. Quo certe vetito, periculum erroris de principali mysterio Incarnationis penitius removetur.

A. VERMEERSCH, S. I.

---

19. — Sup. S. Cong. S. Officii

Decretum 25 mart. 1928

DE CONSOCIATIONE VULGO « AMICI ISRAEL » ABOLENDA

(A. A. S. 2 apr. 1923, XX, 103)

Memorantur acta praeterita: quid laudabile in proposito consociationis;

Cum Supremae huius Sacrae Congregationis Sancti Officii iudicio subiecta sint natura et finis consociationis, cui nomen « Amici Israël » nec non libellus, qui *Pax super Israël* inscribitur, a moderatoribus consociationis idcirco editus et longe lateque diffusus ut eius indoles ac methodus publice innotescerent, E.mi Patres, fidei et moribus tutandis praepositi, laudabile prae primis agnoverunt in ea propositum exhortandi christifideles ut Deum orent et adlaborent pro Israëlitarum ad Regnum Christi conversione. Neque mirum si, hunc unice finem attendentes, ab initio consociationi illi non solum plures fideles atque sacerdotes, sed etiam non pauci Episcopi et DD. Cardinales adhaeserunt. Ecclesia enim catholica pro populo iudaico, qui divinarum usque ad Iesum Christum promissionum depositarius fuit, non obstante subsequente eius obcaecatione, immo huius ipsius obcaecationis causa, semper orare consuevit. Qua caritate permota Apostolica Sedes eumdem populum contra iniustas vexationes protexit, et quemadmodum omnes invidias ac simultates inter populos reprobat, ita vel maxime damnat odium adversus populum olim a Deo electum, odium nempe illud, quod vulgo « antisemitismi » nomine nunc significari solet. Attamen, animadvertentes et considerantes consociationem « Amici Israël » deinde rationem agendi inivisse ac loquendi a sensu Ecclesiae,

quomodo multi adhaeserint.

Ratio agendi Ecclesiae cum Iudaeis.

Quae deinde reprehendenda fuerint.

a mente SS. Patrum et ab ipsa sacra Liturgia abhorrentem, E.mi Patres, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in Congregatione plenaria Feria IV, 21 Martii 1928, habita, consociationem « Amici Israël » abolendam esse decreverunt et de facto abolitam declararunt, atque praeceperunt ne quis in posterum audeat libros seu libellos scribere vel edere, qui huiusmodi erroneis inceptis quomodocumque faveant. *Inde decretum 21 mart. 1928,*

Et insequenti Feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. D. Pius divina Providentia Pp. XI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi E.morum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit. *22 mart. confirmatum.*

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 25 Martii 1928. *Dies decreti (25 mart. 1928).*

L. ✠ S. A. CASTELLANO, *Supremae S. C. M. Officii Notarius.*

ANNOTATIONES

I. Consociatio ista recentis est originis, cum libellus « Pax super Israel », Romae editus mart. 1925, statum operis referat primo anno exacto. Tunc quidem ut ascriptos refert 18 Em. Cardinales, 200 Archiepiscopos et Episcopos, sacerdotes ad 2000. Benevolentiam istam explicat ipsa Suprema S. Congr. studio orandi et collaborandi pro conversione Israelitarum.

II. Verum, ad laudabilem profecto finem assequendum frequentiorum conversorum Iudaeorum, Consociatio magis et magis arcere voluit a modo loquendi fidelium quidquid possit Iudaeis esse minus gratum. Inde, ex congressu Comitatus centralis amicorum Israel, suadebat:

1. Ut omitterent loqui: de populo *deicida*; — aut de civitate *deicida;* — de Iudaeorum *conversione; reditum* seu *transitum* potius dicendo; — de Iudaeorum *inconvertibilitate;* — incredibilia de Iudaeis narrata, et praecipue infanticidium quod dicitur « rituale »; — irreverenter, praecipue de eorum caerimoniis; — exaggerando sive generalizando sive cavillando in casu particulari; — antisemitice.

2. Inculcent vero ex divinis documentis: praerogativam divini amoris in populum Israel: — hucusque amoris signum solemnissimum per incarnationem Christi eiusque missionem; — perdurationem huius amoris, immo et augmentum ex morte Christi; — et testificationem huius amoris in Apostolis.

Praeterea, ut nobis perlatum est, efferre solebant genus Iudaicum Christi, et de Christo-Iudaeo libenter loquebantur.

Manifestum vero est haec studia facile perducere ad denuntiatam a Suprema Congregatione « rationem agendi... ac loquendi a sensu Ecclesiae, a mente SS. Patrum et ab ipsa sacra Liturgia abhorrentem ».

Haec causa fuerunt decreti suppressionis consociationis, et praecepti « ne quis in posterum audeat libros seu libellos scribere vel edere qui huiusmodi erroneis inceptis quomodocumque faveant ».

III. Notabilia sunt etiam haec verba decreti: « Apostolica Sedes... vel maxime damnat odium adversus populum olim a Deo electum, odium nempe illud quod vulgo « antisemitismi nomine nunc significari solet ».

A. VERMEERSCH, S. I.

---

20. — S. Cong. Concilii

Resolutio 12 nov. 1927

DE MISSIS PRO POPULO

(A. A. S. 1 mart. 1928, XX, 84)

Occasio dubii

Blesensis. — Quaestio. — Quandoquidem in Codice iuris canonici, can. 466 § 2, perspicue statuitur: « Parochus qui, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum debeat Missam pro populis sibi commissis, diebus praescriptis applicare » — Quae benignior dispositio non omnino congruit veteri iuri (*S. C. C.* in Lucen., 26 febr. 12 mart. 1774), — Cumque « diebus praescriptis » accenseatur profecto festum Pa-

troni loci, ut confirmavit catalogus auctoritate S. H. C., 28 decembris 1919 denuo promulgatus, quaestio orta est, num eadem benignior dispositio can. 466 § 2 valeat necne de festis Patronorum quos singulae paroeciae in administrationem ab eodem parocho habitae, diversis sane diebus celebrent: ita quidem ut parochus in festo Patroni suae paroeciae Missam universim pro ovibus sibi concreditis applicans, nulla alia obligatione applicandi gravetur in festis Patronorum alterius vel aliarum paroeciarum quarum regimen gerat. *Quaestio.*

Ad quaestionem hanc rite solvendam, R. P. D. Episcopus Blesensis opportunas preces Sacro Huic Consilio exhibuit, in quo, praehabitis Consultorum votis, concinnatum et disceptatum fuit sequens dubium: « Utrum parochus qui, praeter propriam paroeciam, alteram aut plures alias in administrationem habeat, teneatur Missam applicare pro populo tantum die festo patroni suae paroeciae, an etiam in festis patronorum alterius vel ceterarum ? » *Supplex Episcopi libellus.* *Dubium.*

Animadversiones. — 1. Neminem latet parochum teneri Sacrum pro populo applicare omnibus dominicis aliisque festis de praecepto, etiam suppressis, ad normam can. 466. Sane per Codicem nihil in hac re a disciplina hucusque vigente immutatum est, ut perspicue patet ex verbis can. 339 § 1; idque expresse confirmavit Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, die 17 febr. 1918, ad II. *Obligatio generalis parochi.*

2. Catalogus autem festorum in quibus urget obligatio Missae pro populo applicandae exhibetur ab Urbano VIII Const. *Universa*, 13 septembris 1642, addito postea a Clemente XI, Const. *Commissi Nobis*, 6 Decembris 1708, festo Imm. Concept. B. M. V. Haec vero Sacra Congregatio, die 28 Decembris 1919 publici iuris denuo fecit ad hunc effectum indicem festorum in universa Ecclesia suppressorum (*A. A. S.*, XII, p. 42). *Quisnam catalogus festorum.*

Inter praefatos dies recensetur quoque dies festus « *Patroni* regni seu status, et *Patroni*, sive dioecesis sive civitatis vel oppidi seu loci ». At nullatenus confundendus est *Titularis* ecclesiae cum *Patrono* proprie dicto. Onus Missae pro populo applicandae eatenus urget, quatenus agatur de *Patrono proprie sumpto* riteque delecto ad normam Decreti Urbani VIII, diei 23 Mart. 1630. Nam S. Congregatio Rituum, in Briocen., 9 Maii 1857, rescribendum censuit: « Patronus loci proprie is est, quem certa civitas, dioecesis, provincia, regnum, etc., sibi delegit velut singularem ad Deum patronum; servatis in eiusmodi electione regulis in Decreto s. m. Urbani VIII diei 22 Martii 1630 statutis » (*Decreta auth.*, n. 3048). *Distinctio patroni et titularis*

Duplex titulus regendi paroeciam.

3. Duplici ratione quis paroeciae regimini praefici potest: *qua parochus proprie dictus et qua oeconomus* vel *vicarius actualis* (cfr. can. 451, 471, 472, 473). Ille in titulum paroeciam obtinet, hic in administrationem tantum. Unde can. 451 § 1 ait: « Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est *in titulum* cum cura animarum sub Ordinarii loci auctoritate exercenda ».

Porro qui paroeciam in administrationem recipit, eadem iura easdemque obligationes habet, quae parocho proprie dicto competunt. Nam ex can. 451 § 2, « parochis aequiparantur *cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus* et *parochorum nomine* in iure veniunt: 1° Quasi-parochi, qui quasi-paroecias regunt, de quibus in can. 216 § 3; 2° Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti ». Quae disciplina etiam ante Codicem vigebat. Cfr Bened. XIV, Epist. Encycl. *Cum semper oblatas,* 19 Aug. 1744.

Igitur qui paroeciam in administrationem obtinet, ut vicarius oeconomus vel actualis seu vicarius paroecialis qui plena potestate paroeciali gaudet, *omnes obligationes implere tenetur,* quibus parochus proprie dictus obstringitur, atque ideo Missam quoque pro populo applicare debet ad normam can. 466.

Modus quo quis plures paroecias regat.

4. Parochus duas vel tres paroecias eodem tempore regere potest, aliam in titulum obtentam, aliam aut alias in administrationem. Iuxta veterem disciplinam, tot Missas pro populo applicare tenebatur iste parochus quot erant paroeciae ipsi in titulum vel administrationem collatae. Unde Leo XIII, in Litteris Apostolicis *In suprema,* 10 Iun. 1882, ait: « Novimus quidem Romanas Congregationes Nostras aliud decrevisse de parochis duas vel plures parochiales ecclesias aeque principaliter unitas gerentibus: in quibus *singulis singulae per dies festos Missae celebrentur et pro populo applicentur necesse est* ». Cf. etiam S. C. C. in Cameracen., 25 sept. 1858; S. C. de Propag. Fide, 17 Febr. 1792.

Quomodo tunc obligationi missae pro populo satisfiat.

Quae disciplina hodie immutata est, quia ex praescripto can. 466 § 2: « parochus qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat, aut, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum debet Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare ». Haec verba, ut palam est, non sunt eo sensu intelligenda, quod parochus onere Sacri faciendi pro populo iam non teneatur quoad paroeciam in administrationem obtentam, sed eo dumtaxat sensu accipienda sunt, quod ipse *una Missa,* aliter ac antea, « diebus praescriptis », i. e. diebus dominicis

et festis de praecepto etiam suppressis, satisfaciat praedicto oneri *tum* quoad paroeciam propriam *tum* quoad paroecias in administrationem susceptas: « pro *populis* commissis ».

Qualitates istius obligationis.

5. Obligatio Sacri pro populo faciendi non solum est *realis, personalis* et *localis,* verum etiam *affixa diei determinatae,* ut passim docent Auctores. Card. Gasparri ait: « Obligatio applicandi Missam pro populo adeo adnexa est diei ut nequeat in alia die, loco diei praescriptae, adimpleri; non obstante contraria consuetudine » *(Tractatus canonicus de S.ma Eucharistia,* I, n. 521); et recentiores docent: « Onus Missae pro populo est... *affixum diei determinatae,* quatenus Missa celebrari debet ipsis diebus dominicis aliisque festis de praecepto, etiam suppressis, non autem aliis diebus » (Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis,* I, nn. 250, 252); Lehmkuhl: « Obligatio est realis, personalis, localis, *pro ipsis diebus,* seu obligatio est ut Missa celebretur... *ipso die assignato* » (*Theol. mor.,* II, n. 263). Cfr Bened. XIV, *De sacros. Missae sacrificio,* lib. III, cap. 9, n. 9 s., S. C. C., in Melevitana, 9 April. 1892; S. R. C. in Fesulana, 26 Ian. 1771; in Portugallen., 30 Maii 1867.

Codex nullam in hac re mutationem induxit, imo veterem disciplinam diserte confirmavit. Iubet enim Sacrum pro populo fieri, non diebus quibuslibet arbitrio ipsius sacerdotis designandis, sed « *dominicis aliisque festis diebus de praecepto,* etiam suppressis » (can. 339 § 1), nimirum « *diebus praescriptis* » (can. 466 § 2), et non aliis. Addit nonnisi ex Ordinarii loci permissione, iusta de causa, fas esse, ut « parochus Missam pro populo *alia die* applicet ab ea qua iure adstringitur » (can. 466 § 3).

Inde praeparatur solutio dubii.

6. Quare, ad propositi dubii solutionem quod attinet, si Patroni *eadem die* recolendi occurrant, *vel* quatenus unus atque idem sit Sanctus legitime qua Patronus ad normam Decreti Urbani VIII designatus, *vel* quatenus Sancti designati qua Patroni sint quidem plures et distincti, at ex legibus liturgicis eorumdem festum *eadem die* celebretur: tunc parochus, *unam* Missam tantum pro populis sibi commissis applicare tenetur, uti ex. gr. si dies festus de praecepto incidat in diem dominicam (can. 339 § 2).

Dum, contra, si *distincti* sint dies in quibus occurrant festa Patronorum recolenda, procul dubio parochus, qui praeter propriam paroeciam aliam aut alias in administrationem habet, suae obligationi per unam tantum Missam nequaquam satisfacit, cum in casu praescriptum can. 466 § 2 non applicetur; idcirco ipsis diebus assignatis, in quibus recolenda occurrunt

festa eorumdem Patronorum, tenetur parochus Sacrum pro populo applicare. Agitur sane, ut supra dictum est, de onere *affixo diei determinatae*.

Resolutio S. C. 12 nov. 1927.

RESOLUTIO. — Porro in plenariis Sacrae Congregationis Concilii comitiis habitis die 12 Novembris 1927 in Palatio Apostolico Vaticano, E.mi Patres proposito suprascripto dubio responderi mandarunt:

« *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad alteram ».

Resolutio.

Facta autem de praemissis Ss.mo D.no Nostro Pio div. Prov. Pp. XI relatione per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium, Sanctissimus in audientia diei 20 eiusdem mensis et anni, datam resolutionem approbavit et confirmavit.

Approb. SS.mi (20 nov. 1927).

† IULIUS
Episc. Lampsacen., *Secretarius.*

ANNOTATIO

Dilucida et completa expositio casus et rationum, tam eleganter ab III^e^ Secretario scripta, quamlibet aliam observationem efficit superfluam.

---

21. — S. Congr. Rituum

Resolutio 11 ian. 1928

DE ORATIONE SS. SACRAMENTI IN MISSA

(A. A. S. 1 mart. 1928, XX, 90)

Dubia.

Dubia. — Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt, nimirum:

I. « An Oratio Ss.mi Sacramenti, extra tempus Orationis XL Horarum dicenda sit in qualibet Missa quae celebratur ad altare ubi Ss.mum Sacramentum statim post Missam exponatur pro publica causa, dummodo Missa vel Commemoratio in Missa occurrens non sit de identico Domini Mysterio?

II. « An praefata Oratio in eadem Missa, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, recitanda sit semper sub altera conclusione, post Orationes a Rubricis praescriptas et ante Collectas a loci Ordinario imperatas?

III. « An extra tempus Orationis XL Horarum, perdurante per aliquod tempus extra aliam sacram functionem expositione et adoratione Ss.mi Sacramenti pro publica causa, in omnibus Missis tam cantatis quam lectis addi debeat Oratio Ss.mi Sacramenti, etiam occurrentibus Festis solemnioribus universalis Ecclesiae, dummodo Missa vel commemoratio in Missa occurrens non sit de identico Domini Mysterio, et exceptis Missis quae in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum celebrentur? »

Et Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis ita rescribendum censuit:

« Affirmative in omnibus, ad mentem Decreti *Romana* seu *Instructio* circa Missas in Oratione XL Horarum celebrandas, diei 27 Aprilis 1927; sed si Oratio Ss.mi Sacramenti teneat locum Missae votivae impeditae de Ss.mo Sacramento ex Apostolico Indulto concessae vel a loci Ordinario pro re gravi et publica simul causa praescriptae, dicatur sub unica conclusione cum prima Oratione Missae ».

Approbatio SS mi.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XI per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua resolutionem et mentem eiusdem Sacrae Congregationis ratam habuit, probavit, et servari mandavit. Die 11 Ianuarii 1928.

Dies (11 ian. 1928).

✠ A. Card. VICO
Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus

L. ✠ S.

ANGELUS MARIANI,
Secretarius

ANNOTATIONES

Hoc decreto completur adaptatio novis rubricis legislationis circa orationem Ss.mi Sacramenti in Missa addendam propter expositionem Ss.mi. Instructio enim 27 aprilis 1927 nonnisi de sollemnissima expositione XL Horarum agebat, et quamvis ex principiis ibi datis haud difficulter deduci possit quid in aliis expositionibus sit faciendum, placuit tamen S. Congregationi expressum de hac re condere decretum.

Animadverti primum potest nequaquam iam agi

in hoc decreto de missa celebranda ad ipsum altare in quo Ss.mum iam est expositum. Haec enim missa ad altare expositionis, extra missam sollemnem infra octavam Corporis Christi, per se est prohibita, ac proin circa hanc condi non debent leges.

Praesens decretum ad quamcumque expositionem ex publica causa extendit regulas in Instructione 27 aprilis 1927 datas pro missis quae tempore expositionis XL Horarum praeter missas votivas sollemnes celebrantur:

Excepto casu quo missa vel Commemoratio in missa facta versetur circa idem Domini mysterium, oratio de SS.mo addenda est:

a) in missa quae celebratur in altari in quo statim post missam sollemniter exponetur Ss.mum, nec ad hoc requiritur ut in hac missa consecretur Hostia quae erit exponenda;

b) in omnibus missis quae in ecclesia vel oratorio celebrantur toto tempore quo ibidem Ss.mum remanet sollemniter expositum pro causa publica.

Ad normam in Instructione 27 aprilis datam, haec oratio addenda est in casu in omnibus missis, tam lectis quam cantatis et sollemnibus, etiam in festis sollemnioribus universalis Ecclesiae, cum antea in missis lectis nullo modo addi potuerit in duplicibus 1 vel 2 classis, diebus vero ritus inferioris ad libitum celebrantis addi potuerit vel omitti.

Haec oratio addenda est post orationes omnes a rubricis praescriptas, sed ante collectas ab Ordinario imperatas, ac proin etiam ante orationem pro Papa vel Episcopo in eorum anniversario et ante orationem quam pro se ipso sacerdote celebrans in anniversario propriae ordinationis sacerdotalis addere valet. Numquam autem dicitur *sub prima conclusione*. Decreta enim quae antiquitus hoc praescribebant faciendum diebus duplicibus 1 et 2 classis quando nulla alia occurrebat commemoratio facienda, sunt revocata novis rubricis, quae talem coniunctionem orationum *sub prima conclusione* non iam admittunt nisi in casu quo una missa alii substitui debet (1).

(1) Eadem prorsus regula tenenda est quod ad orationem pro Episcopo recitanda in anniversario eius consecrationis. Haec etiam, non obstantibus antiquis decretis, semper iam dicenda est *sub altera conclusione*, excepto tantum casu quo in cathedrali impeditae missae votivae sollemni de Anniversario substitui debet missa de die.

Haec oratio, cum non habeat indolem verae commemorationis, nullum influxum habet neque in Symbolum, neque in praefationem, neque in ultimum evangelium.

Attamen, si hac die, sive ex praescripto Ordinarii, sive ex indulto Sanctae Sedis, v. g. occasione Congressus Eucharistici, celebranda foret missa votiva sollemnis pro re gravi *de Ss.mo Sacramento*, et haec impediatur, in sola missa sollemni quae huius votivae locum tenet, oratio Ss.mi addenda erit *sub prima conclusione*, et tunc, iuxta rubricas, *sub altera* tantum addentur commemorationes quae ipsi missae votivae sollemni conveniunt. In hac missa semper addetur *Credo*, nisi ritus ipsius missae sit ferialis ; et si ipsa missa praefationem propriam non habet, dicetur praefatio de Nativitate, utpote propria missae Ss.mi Sacramenti ; ultimum vero evangelium erit ex eadem missa, nisi dicendum sit evangelium alicuius dominicae aut feriae commemoratae.

Haec oratio Ss.mi addetur tantum, ut clare ex decreto patet, si expositio fit ex publica causa, numquam vero propter expositionem factam ex privata causa : quod ceterum in antiquo iure iam erat sancitum.

IOS. PAUWELS, S. I.

---

22. — S. C. Pro Ecclesia Orientali

Decretum 25 febr. 1928

DE CONVENTU EPISCOPORUM ARMENORUM IN URBE HABENDO

(A. A. S. 2 april. 1928, XX, 106)

Armenorum calamitates.

Armenorum gens quot calamitates et angustias novissimis temporibus passa fuerit nemo ignorat. Una cum civitatum oppidorumque ruina, ipsae dioeceses fere omnes eversae, templa

aedes ecclesiasticae vastata ac in profanos usus conversa, omniaque opera et instituta, diuturnis Pastorum curis parata, dirempta fuere. Quapropter omnes Armenii Ritus Antistites, hanc miserrimam rerum conditionem plorantes, suppliciter instanterque ab Apostolica Sede efflagitarunt, ut simul convenire possent eum in finem, ut, collatis consiliis, de sui Patriarchatus negotiis, deque re religiosa pro posse instauranda maturius deliberarent.

Inde optatum Antistitorum.

Cui libenter obsecundat S. Pontifex.

Iamvero Ss.mus Dominus Noster Pius, div. Prov. Pp. XI, pro sua paterna sollicitudine ac benevolentia in universos catholicos Armenos, qui licet in aerumnis versati, firmissime tamen ac constanter christianae fidei adhaeserunt eamque gloriosa Martyrum cohorte saepe comprobarunt, oblatas preces libenter excepit, ac propterea, vi praesentis Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali decreti, benigne statuit, ut Armeni Episcopi in Urbem convocentur, prout de facto convocantur, ad conventum iuxta ipsorum vota habendum, in quo de iis quae spectant ad bonum atque incrementum Patriarchatus Armeni agant et decernant, quae dein erunt Summo Pontifici subiicienda, ut Sua adprobatione firmentur.

Conventus finis,

Dies.

Ut autem memoratus conventus laetis faustisque incipiat auspiciis, Sanctitas Sua mandat, ut idem initium habeat die VI mensis Maii, qua Apparitio Ss.mae Crucis in Ierusalem ab Armenis hoc anno solemniter recolitur. Iidem igitur Episcopi tempestive romanum iter aggrediantur, ut statuta die consessui interesse queant, qui, divina opitulante gratia, in optatum religionis incrementum profecto erit cessurus.

Contrariis quibusvis non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Clausula. Decreti dies (25 feb. 1928).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 25 Februarii anno 1928.

L. ✠ S.

A. Card. SINCERO, *Secretarius*
H. I. CICOGNANI, *ad interim Ads.*

---

23. — S. C. pro Ecclesia Orientali

Monitum

PRAECAVENS ABUSUS MENDICANTIUM

(A. A. S. 2 apr. 1923, XX, 107)

Abusus

Pluries relatum est Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali quosdam qui Orientales se profitentur, aut etiam,

falso nomine exhibito, ad Clerum orientalem se pertinere dictitant, huc et illuc per Italiae dioeceses et exteras regiones pervagari, pecuniam colligendo vel et Missarum eleemosynas expostulando.

Ars abutentium.

Iidem, quo facilius bonam fidem aliorum decipiant, solent quidem exhibere scripta et documenta, — quandoque photographias, — quae sibi prodita a Praelatis asserunt; quaeque vero aut apocrypha inveniuntur, aut ad alium finem obtenta.

Inde monitum

Sacra itaque Congregatio pro Ecclesia Orientali declarat ac monet neminem a se facultatem habere pecuniae emendicandae nec non stipes Missarum colligendi; et ad tantam audaciam compescendam, et potissimum ad tutandam dignitatem et bonam famam Orientalium, praesertim sacerdotum, rursus urgere satagit locorum Ordinarios ut advigilent, ne parochi, religiosarum domorum Superiores, ipsique fideles ab hisce pecuniae collectoribus decipiantur, neque eos recipiant, neve, eo vel minus, Missas celebrandas illis tradant, graviter onerata conscientia pro Missarum satisfactione.

---

24. — S. Congr. de Propaganda Fide.

(PONTIFICIUM OPUS A PROPAGATIONE FIDEI)

Declaratio 1. feb. 1928.

DE RELIGIOSORUM SODALIUM ASCRIPTIONE PONTIFICIO OPERI

(A. A. S. 2 apr. 1923, XX, 109)

Voluntas religiosorum, cui obstat votum paupertatis.

Plurimi Sodales Religiosi, sive viri, sive mulieres, cupiunt quidem adscribi Pontificio Operi a Propagatione Fidei, ut Indulgentias sibi acquirant et privilegiis fruantur, quibus dictum Opus donatum est a Romanis Pontificibus. Verum cum iidem teneantur voto paupertatis, non habent unde statutam stipem solvant. Quae rerum adiuncta cum infrascriptus Secretarius generalis Romano Pontifici, in audientia diei 11 mensis Ianuarii anni MDCCCCXXVIII, exposuerit, Beatissimus Pater haec benignissime indulgere dignatus est:

Inde indulgentur ipsis aliae condiciones.

a) Sodales Religiosi, sive viri, sive mulieres, Ordinum illorum vel Congregationum, quorum quarumve aliquot membra in locis Missionum ad evangelizandos infideles operam

et rite conferunt, omnibus favoribus pro adscriptis Pontificio Operi concessis frui poterunt, dummodo quotidie statutas preces recitaverint, idest semel *Pater* et *Ave*, addita invocatione: *Sancte Francisce Xaveri, ora pro nobis.*

b) Sodales vero ceterorum Ordinum vel Congregationum, ut iisdem favoribus frui possint, et ipsi dictas preces recitare tenebuntur, et insuper domus religiosa, in qua degunt, aliquam eleemosynam Pontificio Operi quotannis conferre debebit pro Dei amore atque animarum.

Dies (1 feb. 1928). Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 1 Februarii 1928.

IOSEPHUS NOGARA, *Secretarius generalis*

---

25. — Sacra Poenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Responsio 13 mart. 1928

DE INDULGENTIA CORONAE CORAM SS.MO RECITATAE (1)

Beatissime Pater,

Dubii occasio et formula. N. N. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quod sequitur humiliter exponit: Die 4 septembris 1927, Brevi *ad S. Dominici* habetur « *omnibus et singulis christifidelibus qui poenitentes et confessi ac S. Communione* iuxta morem *sint refecti ante SS. Corporis Christi Sacramentum... tertiam B. M. V. Rosarii partem devote recitantibus,* quotiescumque id egerint, *plenariam Indulgentiam in perpetuum concedimus* ». Cum dubium relate ad verba *iuxta morem* exortum sit, orator petit an sufficiat, ad lucrandam dictam indulgentiam plenariam, Communio facta in pervigilio vel intra subsequentem totam octavam, ad normam Can. 931 C. I. C.

Et Deus, etc.

Dies (13 mart. 1928). Die 13 Martii 1928.

Responsio. Sacra Poenitentiaria Apostolica ad propositam petitionem respondendum censuit: Non spectare, et rem proponendam esse ad Commissionem pro authentica interpretatione canonum C. I. C.

S. LUZIO, *S. P. Reg.*
S. DE ANGELIS. *S. P. off.*

(1) Ex authentico diplomate.

ANNOTATIONES

I. Paulo fusius, additis rationibus, proponendum videtur dubium cuius solutio ad Commissionem interpretando Codici remittitur.

Periodica de re morali, etc. (t. XVI, 125 ss.) de ista indulgentia haec habebant: « Requiritur s. communio *iuxta morem.* Postrema haec verba nobis non sunt perspicua. Se referunt, ni fallimur, ad can. 931, quo docemur quaenam communio sufficiat lucrandae indulgentiae pro qua tamquam condicio exigitur. Verba igitur *iuxta morem* idem significare putamus quod « iuxta normam praescriptam ».

Iam vero sufficit communio facta in pervigilio vel intra subsequentem totam octavam « ad quaslibet indulgentias lucrandas » (c. 931 § 1). Et cum c. 933 confessionem et s. communionem excipiat ab operibus quibus, nisi repetantur, plures indulgentiae acquiri, variis titulis, nequeant, inde diximus cotidie memoratam indulgentiam prostare ei qui singulis hebdomadis ad s. synaxim accedat, quotiescumque tertiam partem Rosarii coram Sanctissimo recitaverit.

His autem rationibus movemur.

1. Verba universalia c. 931 § 1: « *ad quaslibet indulgentias lucrandas* » peragi potest communio in pervigilio diei cui indulgentia fuit affixa et etiam intra subsequentem totam octavam. Ergo id sufficit etiam ad praesentem indulgentiam lucrandam.

2. Absoluta verba c. 933, qui, sine restrictione, confessionem et communionem excipit ab operibus quae repeti debent ut pluribus indulgentiis sint utilia.

3. Tenor ipsius Brevis. Non dicitur: « diebus quibus s. synaxim receperint », sed mere « qui s. communione iuxta morem sint refecti ».

4. Lata interpretatio facienda decreti *Ad S. Dominici.* Augusti Pontificis menti magis consentaneum videtur

ut cotidiana indulgentiae lucrandae occasione non privetur qui, ex consilio confessarii vel ob aliam iustam causam, non cotidie communicat.

5. Si intellegeretur de una sola die pro singulis communionibus, valde imminueretur valor concessae indulgentiae, cum die qua quis accedit ad s. mensam ipsi plus quam una indulgentia lucranda offeratur faciliore condicione: v. g. orationis « O bone et dulcissime Iesu »; - vel « O Christ Jésus je vous reconnais pour Roi universel, etc. ». Alterutri orationi satis est addere paucas preces libere selectas ad mentem S. Pontificis ut lucreris plenariam indulgentiam, si s. dape reficiaris.

II. Cum dubium directe versetur in declarandis verbis « iuxta morem » ipsius diplomatis quo indulgentia conceditur, mirum, prima specie, videri potest cur S. Paenitentiaria existimaverit rem potius ad Commissionem pro interpretatione Codicis spectare. Ratio haec, ni fallimur fuit, quod responsio maxime pendet ex interpretatione can. 931 et 933.

III. Ne multi fideles circa praesentem indulgentiam decipiantur, speramus fore ut authentica solutio brevi a Pont. Commissione obtineatur.

A. Vermeersch, S. I.

---

26. — Pont. Commissio interpretando Codici

Responsa 10 mart. 1928

DE FORMA MATR. ET ASSISTENTIA MIXTIS

(A. A. S. 2 ap. 1928, 20, 120)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. **De forma celebrationis matrimonii**

I. De forma canone 1098, permissa.

D. An canon 1098 ita intelligendus sit ut referatur tantum ad physicam parochi vel Ordinarii loci absentiam.

R. *Affirmative.*

II. **De matrimoniis mixtis illicitis**

II. De assistentia illicitis matr. mixtis.

D. An canone 1102 § 1 revocata sit facultas, alicubi a S. Sede concessa, passive assistendi matrimoniis mixtis illicitis.

R. *Affirmative.*

Datum Romae, die 10 mensis Martii anno 1928.

Dies (10 mart. 1928).

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

IOSEPH BRUNO, *Secretarius*

ANNOTATIONES

I. **Priore responso** finis imponitur controversiae quae iam post decretum *Ne temere,* 2 aug. 1907, exorta est, et minus perspicuis responsis, sic consulto datis a S. Sede, sedari non potuit.

Operae igitur pretium est anteacta commemorare, praesertim cum in exceptione statuenda praescriptae formae ius novum substantialiter concordet cum antiquo.

1. Decretum *Ne temere* binas exceptiones praescriptae formae duobus canonibus 7 et 8 his verbis complectebatur.

Can. VII. « Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide et licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus ».

Can. VIII. « Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab iis designatus coram quo matrimonium celebrari queat haberi non possit, eaque rerum condicio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ».

Codice canonico, in canone 1098, utraque exceptio, aliquantisper mutatis verbis confirmatur. Sic enim effertur:

« Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095.1096:

« 1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam.

« 2° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus. »

Haec igitur notanda sunt de ista varietate verborum. Codex omisit verba: « si in aliqua regione »; — praesentiam sacerdotis non postulavit ad valorem, dum decr. *Ne temere* in mortis periculo praesentiam sacerdotis requirebat. Denique, secundum decretum *Ne temere,* extra mortis periculum, rerum condicio a mense perseverasse debebat; Codex, contra, postulat ut condicio videatur permansura per mensem.

Anteriora responsa.

a) Sub decreto *Tametsi,* Conc. Tridentini, *Suprema C. S. Officii,* responsis 6 iul. 1817; 2 iul. 1827; 1 iul. 1863, physicum supposuit obstaculum ut declararet formam praesentiae parochi cum duobus testibus non esse necessariam.

Haec enim adhibet verba: « Quando difficilis nec tutus est accessus » ad parochum.

b) Post decretum *Ne temere, S. C. de Sacramentis,* interrogata quid intellegendum esset nomine regionis, « seu in qua distantia contrahentes versari deberent a loco in quo est sacerdos competens » sic, die 12-13 mart. 1910, respondit, omittendo mentionem regionis vel distantiae: « Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia

sacerdotis competentis ad assistendum, semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat » (Per. V, 115 s.)

Die vero 31 ian. 1916, de obstaculo legis civilis interrogata, *S. C. de Sacramentis* respondit: « Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valeat etiam ab impedimento clandestinitatis, permittendo ut in relatis adiunctis matrimonium cum solis testibus valide et licite contrahatur ».

Considerando verba Codicis et responsa iam data vigente decreto *Ne temere,* plures scriptores censuerunt exceptioni locum esse etiam quando causa diversa a physica absentia grave incommodum gignebat. Sic, in Comment. decreti *Ne temere,* Oietti, S. I. n. 122; De Smet, *De sponsalibus,* etc. p. 90 (in priore editione); Wernz, *Ius Decretalium,* IV, n. 188, p. 299.300; in quas partes nos ipsi inclinabamus. Cfr *Theol. mor.* III, n. 801; Creusen, *Epitome,* t. 2, n. 405, ubi plures alii citantur.

Etenim prudentia S. Sedem impediebat ne aperte profiteretur sufficere obstaculum legis civilis prohibentis, ut matrimonium sine sacerdote competente celebratum semper valeret; nihil autem obstabat quin daret perspicuum responsum negativum: quo tamen dando consulto abstinere videbatur.

II. *Nunc,* responsione authentica sua, qua Commissio interpretando Codici declarat canonem 1098 non esse intellegendum nisi de physica parochi vel Ordinarii loci absentia, controversia supprimitur, ita ut sola sententia severior iam tenenda sit.

III. Responsionem istam, ut liquet ex supra dictis, pro restrictiva habemus, quae proin non afficit matrimonia antea contracta.

IV. Responsionis autem corollarium paene necessarium istud nobis videtur, ut facultas dispensandi a

forma matrimonii, quae can. 1043 et 1044 conceditur saepe utenda sit ad evacuandas gravissismas difficultates quae aliter in casu ubi matrimonium in periculo mortis contrahi debet oborirentur.

V. *Altero responso* nunc omnino constat, quod iam communiter docebatur, nullum hodie locum esse isti passivae assistentiae quam decreto 21 iun. 1912, S. Officium imperaverat quando matrimonia mixta illicite contrahebantur (*Per.*, VI, p. 260).

A. VERMEERSCH, S. I.

---

27. — S. Poenitentiaria Apostolica

Declaratio 11 oct. 1927 ad Galliae Ordinarios

DE « ACTION FRANÇAISE »

Factum incredibile.

Ex nuntiis quae sive ad Apostolicam Sedem pervenerunt sive per totam fere Galliam vulgata sunt, cum in diariis et libellis per typos editis continerentur, — quod vix credibile videretur, — non paucos ex damnatae factionis, vulgo *L'Action Française*, sociis atque adhaerentibus, quamquam huius Sacri Tribunalis declarationibus et praescriptionibus die octava Martii anni currentis editis, notorie ac pertinaciter refragantes, per sacerdotes eidem factioni addictos vel faventes, ad absolutionem sacramentalem et ad ipsam sanctam eucharisticam mensam, de re publice gloriantes, admitti; ex quo vox orta est atque ex industria propagatur, Sanctam Sedem, ad maiora mala vitanda, supra memoratarum declarationum atque praescriptionum observantiam iam amplius urgere nolle.

Scandalosa interpretatio.

Declaratio de vigentitus decretis. et de expresso SS. mandato.

Ut dirus hic sacramentorum abusus et immane scandalum inde procedens, quo celerius atque efficacius fieri potest, removeantur, Sacra haec Poenitentiaria Apostolica, de expresso SS. D. N. Papae mandato, aperte ac sollemniter edicit ac proclamat omnes et singulas supradictas declarationes et praescriptiones in pleno suo robore, in omnibus et singulis earum partibus, permanere, neque ad aliquo quomodocumque infringi aut violari posse sine gravi animae suae detrimento. Omnibus

autem Galliae Ordinariis, graviter onerata eorum conscientia, iniungit ac mandat ut de hac re fideles sibi subditos clare edoceri curent et sacerdotes serio commoneant de stricta obligatione qua, iuxta theologiae moralis principia, sacramenta ministrare prohibentur publice indignis atque impoenitentibus, ne et ipsi cum illis Divini Iudicii ultionem incurrant. Et si quidem nihil profecerint, ad canonicas sanctiones, ad tramitem earumdem declarationum et praescriptionum procedere ne omittant.

Datum Romae, ex S. Poenitentiaria, die 11 octobris 1927. *Dies (11 oct. 1927).*

LAURENTIUS Card. LAURI, *Poen. Maior*
I. TEODORI, *S. P. Secretarius*

28. — Em. Card. Arch. Parisiensis

Litterae 19 mart. 1928, ad clerum Parisiensem, et Ordinatio collectiva Episcoporum Galliae

PRACTICA RATIO AGENDI CUM OBSTINATIS " *Action Française* „ (1)

Cum iam pluries exscripserimus acta S. Sedis et Episcoporum Galliae de factione " Action Française „, gratum erit lectoribus haec postrema acta hic legere, praesertim cum simul contineant practicam interpretationem declarationum et decretorum. Acta anteriora cfr *Periodica,* XV, 150-154; 203-206; 210-215; 215-224; 224-226; 150*; 210*-212*; — XVI, 15. 16; 40-44; 83-85; 133. 178-184.

Paris, le 19 mars 1928.

Chers Messieurs, *I. Litterae.*

A plusieurs reprises, nous vous avons écrit au sujet de l'*Action Française,* vous donnant des règles pratiques à suivre envers les membres insoumis, et connus comme tels, de ce groupement condamné par le Saint-Père.

Nous vous signalons en particulier notre Lettre du 1er novembre 1927, contenant, les « avis au clergé », et celle du 6 novembre suivant, portant publication de la *Déclaration* de la Sacrée Pénitencerie du 11 octobre 1927, où est rappelé le *Décret* *Memoratis actis superioribus,*

(1) Ex commentariis dioecesanis et ephemeride *La Croix,* 29 mart. 1928.

de la même Sacrée Congrégation, du 8 mars 1927, publié dans notre Lettre du 25 mars suivant.

Vous ne l'avez pas oublié, sans doute; la Sacrée Pénitencerie Apostolique a enjoint à tous les Ordinaires de France, comme un grave devoir de conscience, d'instruire les fidèles à ce sujet et d'avertir sérieusement les prêtres de leurs obligations à l'égard des insoumis d'*Action Française*.

nunc communem nuntiat Episcoporum ordinationem.

Nous l'avons fait; mais cette fois nous intervenons auprès de vous, chers Messieurs, en union avec tout l'épiscopat français. L'Ordonnance que nous publions aujourd'hui a reçu l'approbation du Saint-Père et les signatures de tous les cardinaux, archevêques et évêques de France.

Les circonstances nous invitent à préciser davantage la ligne de conduite que, tous, nous entendons donner — et imposer, en vertu de notre charge épiscopale, — à ceux qui comme vous, chers Messieurs, partagent la responsabilité morale et religieuse de leurs pasteurs.

Officio suo fungi existimat.

Ce faisant, nous sommes, tout simplement, avec une conviction tout intime et dans les sentiments d'une filiale obéissance, les interprètes du magistère authentique de l'Église, qui a pouvoir de lier et de délier les consciences et de régir la société chrétienne tout entière.

Nous nous reprocherions comme une coupable défaillance de n'avoir pas suffisamment paré au funeste abus des sacrements, au grave danger et au scandale qui en résultent; d'avoir omis d'appliquer, à une révolte ouverte et obstinée contre la légitime autorité de l'Église, les sanctions édictées, conformément aux saints canons, par la Sacrée Pénitencerie Apostolique.

Animo tamen paterno.

Qu'on ne se méprenne pas sur nos sentiments. Nous souffrons vivement d'être obligés d'en venir à ces justes rigueurs, et rien ne nous agréerait davantage que de pouvoir, en conscience, nous en abstenir. Combien nous bénirions la Providence, si la peine nous en était épargnée par le retour à l'obéissance de ceux qui sont restés jusqu'ici insensibles aux appels du Souverain Pontife et de leurs évêques! De tout cœur, nous prions en leur faveur, pour que s'ouvrent enfin, et leurs yeux à la vérité, et leurs cœurs aux sentiments d'une conversion sincère et définitive.

II. Ordinatio

A ces causes:

Vu la réponse de la Sacrée Pénitencerie Apostolique du 8 mars 1927; (1)

(1) cfr *Periodica*, XVI, 178.

Vu la déclaration de la Sacrée Pénitencerie Apostolique du 11 octobre 1927; (1)

Le saint Nom de Dieu invoqué;

En union avec nos vénérés frères les cardinaux, archevêques et évêques de France;

Nous avons ordonné et ordonnons ce qui suit:

I. En ce qui concerne les mariages.

De celebratione matrimoniorum.

Art. 1. — MM. les curés et autres prêtres chargés des mariages interrogeront les futurs et les avertiront, avec charité sans doute, mais en rigueur de droit, des graves prescriptions canoniques concernant les dirigeants, ligueurs et ligueuses, camelots, lecteurs non autorisés, souscripteurs et partisans insoumis de l'« Action Française », devenus par leur insoumission « pécheurs publics » et devant être traités comme tels.

Art. 2. — MM. les curés et autres prêtres chargés des mariages sont rigoureusement tenus, comme les intéressés eux-mêmes, d'en référer à l'Ordinaire — chaque fois qu'ils auront à régler les conditions de ces mariages.

Art. 3. — Tout partisan insoumis de l'« Action Française », et connu comme tel (homme ou femme, jeune homme ou jeune fille), sera tenu, pour bénéficier des cérémonies de l'Église, de faire par écrit et par devant l'Ordinaire, une rétractation des erreurs de l'« Action Française » et sa soumission totale aux décisions du Saint-Siège.

Cette rétractation se fera selon les termes de la formule annexée à la présente Ordonnance.

Notification en sera faite à la paroisse où doit avoir lieu le mariage.

Art. 4. — En cas de refus de rétractation et de soumission, il ne sera accordé, dans les conditions prévues par le canon 1 066, aucune solennité à la célébration du mariage. Le prêtre y assistera, mais il n'y aura aucune cérémonie religieuse, pas même la messe.

Art. 5. — Si l'un des conjoints seulement est partisan résolu et insoumis d'« Action Française », la cérémonie de mariage aura lieu en faveur de la partie fidèle, selon les règles liturgiques, mais avec une solennité diminuée.

---

(1) Cfr *Periodica*, hic supra, n. 27.

De sepulturis.

II. En ce qui concerne les sépultures.

Art. 6. — Les partisans insoumis d' « Action Française », et connus comme tels, décédés sans faire, dans les formes requises, une rétractation sincère et publique de leur erreur, seront privés de la sépulture ecclesiastique (Can. 1240 § 1, 6°).

En cas de doute, on devra nous en référer (Can. 1240 § 2).

De baptismis, Confirmationibus, S. communionibus et operibus piis.

III. En ce qui concerne les baptêmes, confirmations, communions et œuvres pies.

Art. 7. — *Les insoumis d' « Action Française » (connus comme tels) ne peuvent être admis comme parrains ou marraines du Baptême et de la Confirmation* (*Can.* 765, 2°).

Art. 8. — *La communion doit leur être refusée* (*Can.* 855 § 1).

Art. 9. — *Ils seront exclus de toutes les associations pieuses et œuvres catholiques* (*Can.* 693 § I).

Tout prêtre — séculier ou régulier — qui, sciemment et volontairement, ne se conformerait pas aux graves prescriptions ci-dessus énoncées se rendrait coupable de péché grave et s'exposerait aux sanctions édictées par les sacrés canons et rappelées par la Sacrée Pénitencerie Apostolique.

Dies (*7 mart. 1928*).

Donné à Paris, en notre assemblée générale annuelle, le 7 mars 1928, en la fête de saint Thomas d'Aquin.

† Louis, card. Dubois, *archev. de Paris.*

Omnes episcopi subscripserunt nomen.

La présente ordonnance a reçu la signature de tous les cardinaux, archevêques et évêques de France.

Formula retractationis.

Déclaration et rétractation

Je soussigné, ... déclare, par le présent acte, condamner et réprouver comme l'Église les condamne et les réprouve, les doctrines de l'*Action Française ;* — accepter entièrement et sans restriction les directions et instructions du Souverain Pontife ; — me soumettre sans réserve aux décisions pontificales sur les erreurs d'*Action Française,* promettant de rompre définitivement avec l'école d'*Action Française* et de ne vendre, ni acheter, ni lire habituellement le journal condamné ni contribuer directement ou indirectement à la diffusion dudit journal.

A . . . . . le . . . . . .

29. — De titulo quo Mater Dei vocatur " Virgo - Sacerdos „.

Titulus « Virgo-Sacerdos » usurpari prohibitus est.

In *Ami du Clergé* 1 mart. 1928, in 1 pag. exteriore, legitur: **Rectification.** — *L' Ami du Clergé* a publié dans son n°. du 13 oct. 1927, p. 250 de la couverture, à propos de l'opuscule du Père Ignace-Marie intitulé *La Vierge sacerdotale,* une brève recension où il est dit que le titre de Vierge-Prêtre, appliqué à la Très Sainte Vierge Marie, a reçu l'approbation des Souverains Pontifes. Nous sommes prié de déclarer que cette formule ne répond pas à la vérité, le Saint-Office ayant au contraire expressement defendu d'attribuer ce titre à la Bienheureuse Vierge (1).

(1) I. e. latine. *Correctio.* In fasciculo 13 oct. 1927, exteriore p. 250, *Ami du Clergé* vulgavit de opusculo Patris Ignatii-Mariae inscripto: *Virgo sacerdotalis*, brevem recensionem in qua ut approbatus a Summis Pontificibus refertur titulus Virginis-Sacerdotis tributi Sanctissimae Virgini Mariae. Rogati sumus declarare formulam istam non esse veritati consonam, cum, e contra, S. Officium conceptis verbis vetuerit ne titulus iste Beatae Virgini addiceretur.

ACTA SUMMATIM RELATA

30. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Patriarcha Hierosolymitanus Magister Ordinis S. Sepulchri, qui coalescit cum Op. praeserv. Fidei.

A. *Litterae de Ordine equestri S. Sepulchri.* Brevi *Decessores nostri,* 6 ian. 1928, aboletur Magnum Magisterium Ordinis equestris S. Sepulchri, atque concreditur regimen illius Ordinis Patriarchae Hierosolymitano ritus latini. Ipse autem Ordo in unum institutum iam coalescet cum Opere praeservationis fidei catholicae in Incis sanctis (*A. A. S.*, XX, 1928, 68).

B. *Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis.*

Praef. Ap. de Bobo-Dioulasso.

1. Brevi *Expedit,* 15 dec. 1927, distractis territoriis e Vicariatibus de Ouagadougou et de Bramato, erigitur Praefectura Apostolica de Bobo-Dioulasso in Africa septemtrionali, Patribus Societatis Missionariorum Africae concredita (*A. A. S.*, XX, 1928, 67).

Praef. Ap. de Sinyanchow.

2. Brevi *Ex hac divi Petri,* 15 dec. 1927, distracto territorio e Vicariatibus Apostolicis de Nanyange et de Kaifeng in Sinis, erigitur Praefectura Apostolica de Sinyangchow, Missionariis Congregationis Verbi Divini de Steyl tributa (*A. A. S.*, XX, 1928, 99).

Praef. Ap. de Lindi.

3. Brevi *Non sine magna,* 15 dec. 1927, in abbatiam « nullius » O. S. B. Congregationis a S. Ottilia erigitur Praefectura Apostolica de Lindi, in Africa centrali (*A. A. S.*, XX, 1928, 97).

Vic. Ap. de Mogadiscio.

4. Brevi *Rei christianae,* 15 dec. 1927, in Vicariatum Apostolicum a Mogadiscio denominandum erigitur Praefectura apostolica de Benadir in Africa orientali (*A. A. S.*, XX, 1928, 98).

31. — S. Congr. Consistorialis

Ordinarii pro appellatione.

1. *Designationes Ordinariorum pro appellatione:*

Rescriptis 17 et 24 ian. 1928, approbatae sunt designationes factae pro appellatione:

Ordinarii S. Sebastiani Fluminis Ianuarii ab archiepiscopo Florianopolitano;

Ordinarii Olindensis et Recifensis ab archiepiscopo Maceiensi;

Ordinarii de Pouso Alegre ab archiepiscopo Mariannensi;

Ordinarii Ilheosensis ab archiepiscopo S. Salvatoris in Brasilia;

Ordinarii Camagueyensis ab archiepiscopo S. Iacobi de Cuba;

Ordinarii Cratensis ab archiepiscopo Fortalexiensi.

2. *Denominatio dioecesis*

Dicecesis Nuorensis.

Decreto 27 ian. 1928, immutatur denominatio dioecesis Galtellimensis-Norensis, quae in posierum Nuorensis tantum nuncupabitum (*A. A. S.*, XX, 1928, 104).

32. — S. Congr. Rituum

Virtutes heroicae S. D. Fr. Benildis;

1. Die VIII id. ian. (6 ian.) 1928. decretum est constare de virtutibus heroicis S. D. Fratris Benildis e Congregatione Scholarum christianaram (*A. A. S.*, XX, 1928, 87).

S. D. Elisabeth Canori-Mora.

2. Die IV Kal. mart. (26 feb.) 1928, decretum est constare de virtutibus heroicis S. D. Elisabeth Canori-Mora, matris familias e tertio Ordine Excalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis captivorum (*A. A. S.*, XX, 1928, 111).

Reassumptio causae B. Grignon de Montfort.

3. Die 14 mart. 1928, signata est commissio reassumptionis causae Beati Ludovici Mariae Grignon de Montfort, fundatoris missionariorum Societatis Mariae et instituti Filiarum Sapientiae (*A. A. S.*, XX, 1928, 114).

33. — S. Congr. pro Ecclesia Orientali

Iurisdictio delegati Ap. Aegypti et Arabiae.

Notum facit S. Congregatio per litteras Apostolicas 6 mart. 1928, iurisdictionem Delegati Apostolici Aegypti et Arabiae extensam esse ad Vicariatus Apostolicos Erythreae et Abyssiniae (*A. A. S.*, XX, 1928, 108).

34. — Provisio Ecclesiarum.

Decretis *S. Congregationis Consistorialis* nominati sunt:

Teramo.

R. P. D. Antonius Micozzi, ep. Aprutinus, ex ep. tit. Caesareae Philippi.

Tuguegarao.

R. P. D. Constantius Jurgens, ep. Tuguegaraonensis.

Ottawa.

R. P. D. Ioannes Forbes, archiep. Ottaviensis, ex ep. Joliettensi.

Rimouski.

R. D. Georgius Courchesne, ep. Sancti Germani de Rimouski.

Rockford.

R. P. D. Eduardus Hoban, ep. Rockfordiensis, ex ep. tit. Coloniensi.

Winona. R. P. D. Franciscus Kelly, ep. Winonensis, ex ep. tit. Mylasensi.

Trivento. R. D. Attilius Adinolfi, ep Triventinus.

Udine. R. D. Iosephus Nogara, archiep. Utinensis.

Newark. R. P. D. Iosephus Walsh, ep. Newarcensis, ex ep. Trentonensis.

Lugo. R. P. D. Raphael Balanzá y Navarro, ep. Lucensis, ex. ep. tit. Chersonensis.

Soissons. R. D. Ernest. Mennechet, ep. Suessionensis.

Trenton. R. D. Ioannes Mac Mahon ep. Trentonensis.

Vitoria. R. P. D. Matthaeus Mugica y Urrestarazu, ep. Victoriensis, ex ep. Pampilonensis.

Pamplona. R. D. Thomas Muniz Pablos, ep. Pampilonensis.

Alep. Decreto *S. Congregationis pro Ecclesia orientali* nominatus est R. D. Georgius Kurdighian, ep. Aleppensis Armenorum.

35. — Nominationes

Vicarii Apostolici: 1. Brevibus Apostolicis per *S. Congregationem de Propaganda Fide* nominati sunt:

Pakhoi (Cina). 15 feb. 1928, R. P. Gustavus Deswazières, e Societate Parisiensi pro Missionibus exteris, Vicarius Apostolicus de Pakhoi.

Tananarive. (Madagascar) 15 feb. 1928, R. P. Stephanus Fourcadier, S. I., Vicarius Apostolicus de Tananarive, in insula Madagascarensi.

Hanchungfu. (Cina) 7 mart. 1928, R. D. Laurentius Balconi, e Pontif. Instit. Mediolanensi pro exteris missionibus, Vicarius Apostolicus de Hanchungfu.

Praesides operis a Prop. Fid. 2. Decretis *S. C. de Propaganda Fide* praesides Consilii *Pontificii Operis a Propagatione Fidei* nominati sunt:

Polonia. 31 ian. 1928, R. D. Casimirus Majerovicz, in Polonia;

Columbia. 8 mart. 1928, R. D. Eduardus Leo Ortiz, in Columbia.

Membrum vero eiusdem Consilii nominatus est:

Hispania. 8 mart 1928, R. D. Petrus Ruiz de Los Panos, pro Hispania.

36. — Necrologium

Bogota. 2 ian. 1928. Ill. D. Bernardus Herrera Restrepo, arch. Bogotensis in Columbia.

Marseille. 2 feb. 1928. Ill. D. Daniel Champavier, ep. Massiliensis.

Lucca. 4 feb. 1928. Ill. D. Arthurus Marchi, arch. Lucanensis.

Liverpool. 7 » 1928. Ill. D. Gulielmus Keating, ep. Liverpolitanus.

BIBLIOGRAPHIA

I Libri.

H. Merkelbach, O. P. *Quaestiones de Poenitentiae Ministro eiusque officiis,* in utilitatem cleri. Vol. (15 × 22, 4) 120 p. Liège, 38 Quai Mativa, 1928.

Introductio de ministro poenitentiae et eius potestate in genere. Caput I. De ipsa potestate Confessarii: ordinis et iurisdictionis. - Cap. II. De concessione et limitatione potestatis confessarii: iurisdictio in genere, ordinaria et delegata; iurisdictio quam supplet Ecclesia; limitatio quoad personas; quoad peccata reservata. - Cap. III. De usu et officiis potestatis Confessarii. Officia in genere; officia ante actum confessionis, in actu, post actum. - Cap. IV. De abusu potestatis confessarii: de absolutione complicis in peccato turpi; de sollicitatione Poenitentis ad turpia.

Emilio Hoenning O' Carroll. *Il Confessore e il Direttore di Spirito.* Opusc. (10,3 × 16) 22 pag. Venezia, Libreria Emiliana, 1928.

Jos. Arendt, S. I. *La J. O. C.* (jeunesse ouvrière catholique) *et le Socialisme.* Opusc. (11 × 20) 58 p. Bruxelles, Rue Plétinckx, 19, 1927.

Les Jocistes repoussent le Socialisme :

I. Parce que les organisations socialistes et communistes propagent des doctrines religieuses et morales radicalement fausses;

II. Parce que les organisations socialistes et communistes préconisent un programme familial, politique, économique inacceptable et dangereux;

III. Parce que les propagandistes socialistes et communistes emploient des méthodes qui preparent de terribles désastres.

Angel Carbonnell (Pbro). *El Colectivismo y la Ortodoxia católica.* Estudio religioso social. Vol. (12,4 × 19) XV-366 p. Barcelona, Subirana, s. d. (1928).

Declaración previa. — Conflictos imaginarios. — Confesión

de culpas. — Errores adheridos al colectivismo. — Cuestión eterna. — Colisión de derechos. — La libertad y la ley. — Forma y concepto cambiantes de la propriedad. — El poter público y el régimen de la propriedad. — Testamento y herencia — La producción colectiva. — El ansia posesora. — El factor moral. — Capitalismo y usura. — El derecho natural y la propriedad. — Espiritu social del catholicismo.

Georges Guitton, S. I. *Léon Harmel,* 1829-1915, avec une lettre de S. Ém. le Card. Vannutelli. 2 vol. (13×20) XXII-344 et 438 p. Paris, Action populaire. Éditions Spes, 1927. Veneunt 15 et 20 fr.

I. Jusqu' à l' Enc. *Rerum Novarum.* Origines familiales. — Première formation. — Orientations décisives. — Première organisation chrétienne du Val des Bois. — Dix-huit ans de mariage. — Lecons de la souffrance. — Aubes d' apostolat. — Les Congrès et le Manual d' une corporation chrétienne. — L' oeuvre des Cercles catholiques. — L' éducateur. — Visites de la mort. — Les premiers pèlerinages de la « France du Travail ». — Essais d' apostolat auprès des industriels. — La Corporation chrétienne du Val del Bois. — Les grandes directives de Léon XIII. — (Dessins hors texte).

II. Apres l' Enc. *Rerum Novarum.* La campagne pour *Rerum Novarum* : dans les milieux populaires jusqu'en 1894 ; dans les milieux commerciaux et agricoles. — Les imprudences du bon Père. — L' heure douloureuse des polémiques (1894-96). — L' évolution des Congrès ouvriers (1894-97). — Collaboration avec le clergé (1887-1901). — L' orientation sociale du tiers-Ordre franciscain (1893-1900). — Participation d' Harmel à la politique religieuse. — En attendant l' Enc. *Graves de communi.* — L' attirance de Rome. — Sous le Pontificat de Pie X. — Derniers efforts pour l' Usine chrétienne. — Le coeur du bon Père. — L' intérieur d' une âme d' apôtre. — Derniers Combats et derniers témoignages. — L' année suprême (août 1914 - novembre 1915) — Le secret d' une vie. — (Dessins hors texte).

Franz von Streng. *Um das Leben von Mutter und Kind.* Opus. 32 p. (13,4×20,4). Luzern und Leipzig, Räber und Cie. 1928.

Das Geheimnis der Mutter. — Des Kindes erste Wiege. — Die Feinde des Kindes. — Aertzte als Schützer des Kindes. — Die Mutter in wirklicher Lebensgefahr. — Nur einer ist herr über Leben und Tod. — Uns gemeinsame Rettungswerk !

Dott. **Ettore Paganuzzi** (Prof.) *Purezza e Pubertà. Contributo alla Pedagogia sessuale.* Vol. (15×24), XVI-264 - Roma, Francesco Ferrari, s. d.

Il valore morale della purezza — I limiti del presente studio — Il nucleo del problema della purezza nel periodo della pubertà — Il metodo tradizionale del silenzio — Il metodo della iniziazione scientifica — Iniziazione del « Buon Senso » — Il mio pensiero — L'educazione della purezza prima della pubertà — Educazione della purezza nell'adolescenza (pubertà) A) Rivelazione sessuale ; — B) Educazione direttiva: — C) Educazione difensiva — Educazione della purezza nella giovinezza: — D) La continuazione dell' educazione morale — La religione e l'educazione della Purezza — Elementi Umani nell' Educazione Cristiana della Purezza — Elementi Soprannaturali nell'Educazione cristiana della Purezza e loro valore pedagogico — Scuola e Dopo - Scuola nella Educazione della Purezza — La Purezza e la Vita militare.

P. **Domenico Valle**, S. I. — *La Teoria e la Pratica dell'Educazione* — 2 vol. (13×20); VIII-349 et VIII-291 p. Torino Marietti 1928. Veneunt 12 et 10 lib. ital.

1. — La pedagogia — L'educazione — Le leggi dell'educazione — I fattori e mezzi dell'educazione — L'educatore — La benevolenza — La vigilanza — La pazienza e lo spirito di sacrifizio — Il comando e la proibizione — Diletto, premi e castighi — La conoscenza dell'allievo — L'infanzia — La fanciullezza — L'adolescenza — La giovinezza — Educazione fisica, estetica, intellettuale, morale, religiosa, emendatrice — Vari problemi pedagogici.

2. — La didattica generale — Il maestro: sua natura e dignità — La vocazione, la preparazione, i doveri e le qualità del maestro — Il metodo e le regole didattiche — La scuola — Il governo e la disciplina nella scuola — Mezzi principali dell'insegnamento — Lo scolaro — Le sanzioni scolastiche — L'igiene nella scuola — L'educazione dell'attenzione — L'educazione della memoria — La lingua nazionale e il componimento — La grammatica e i temi di versione — La storia — La geografia — La giornata di un prefetto in un collegio convitto.

Otto Lipmann und Paul Plau — *Die Lüge in psychologischer, philosophischer, iuristischer, pädagogischer, historischer, soziologischer, sprach - und literaturwissenschaftlicher und entwicklungsgeschichtlicher Betrachtung.*

Vol. (18×25); XII-578 p. Leipzig, Verlag von Iohann Ambrosius Barth.

O. Lipmann. — Zur Psychologie der Lüge. — **Max Wiener.** Wahrhaftigkeit und Lüge in der israelitisch - iüdischen Religion.

— **Hermann Mulert.** Die Bewertung der Lüge in der Ethik des Neuen Testaments und des evangelischen Christentums. — **I. Lindworsky.** Das Problem der Lüge bei katholischen Ethikern und Moralisten. — **H. Bauer.** Die Lüge im Islam. — **Paul Dahlke.** Die Lüge im Buddhismus — **Rudolf Schottlaender.** Die Lüge in der Ethik der griechisch-römischen Philosophie. — **A. Görland.** Der Begriff der Lüge im System der Ethiker, von Spinoza bis zur Gegenwart. — **Leonhard Adam.** Die Lüge im Recht. — **W. Nolte.** Die Bewertung der Lüge in der theoretischen Pädagogik. — **Friedrich Kainz.** Lügenerscheinungen im Sprachleben. — **Paul Aron.** Die Darstellung der Lüge und ihre Bewertung in der Literatur. — **Isidora von Behr-Brunetti.** Die Darstellung der Lüge und ihre ethische Bewertung in der Schundliteratur. — **Rudolf Harms.** Die Darstellung der Lüge und ihre ethische Bewertung im Lichtspiel. — **Friedrich Alverdes.** Täuschung und Lüge im Tierreich. — **Karl Raininger.** Die Lüge beim Kind und beim Jugendlichen als psychologisches und pädagogisches Problem. — **R. Thurnwald.** Die Lüge in der primitiven Kultur. — **Reinhold Lorenz.** Die geschichtliche Lüge. — **Paul Plaut.** Die Lüge in der Politik. — Die Lüge in der Wirtschaft. — Die Lüge in der Gesellschaft. — **Franziska Baumgarten.** Die Lüge im Beruf. — **F. Schneersohn.** Sozialpsychologie der Massenlüge. — **Karl Birnbaum.** Die pathologische Lüge.

D.r Auguste Vallet — *Guérisons de Lourdes en 1926* — Vol. (12 × 19) XVI-160 p. — Paris, Pierre Téqui, 1927. - Venit Franc. 5.

Les Faits de Lourdes et les disciplines intellectuelles. — La Clinique de Lourdes — Les guérisons de Lourdes en 1926. — Guérison d'une ostéomyélité du fémur gauche. — Guérison d'une sclérose en plaques. — Guérison d'un grand blessé de guerre. — Guérison d'un fibrome utérin. — Une guérison d'infection généralisée des organes pelviens.

R. P. Emile Herbinière, C. S. Sp. — *Un Apotre de 15 ans.* CHARLES-HENRI DE LA BOUILLERIE. *Élève au Séminaire français de Rome, 1902-1918.* Vol. (12 × 19) 80 p. — Paris, Pierre Téqui, 1928.

Henri Mazeau — *L'héroïne du Pé-Tang* — HÉLÈNE DE IAURIAS, *soeur de Charité* — Vol. (12 × 19) XVI-320 p. — Paris, Pierre Téqui, 1928. - Venit, Franc. 10.

Le Château de Iaurias. — Paris et Amiens. — De Dieppe à Ning-Pô. — Ning-Pô. — Débuts d'Apostolat. — A l'école et aux ambulances. — L'expédition de 1860. — Prise de Pé-

kin. — Les rebelles Taïpings. — Siege de Ning-Pô. — Chang-Haï. — Fondation de l'Hôpital International. — Pékin. — Les massacres de Tien-Tsin. — La guerre Franco-allemande. — Fondation du dispensaire du Ien-Tse-Tang et d'un hôpital à Pékin. — Guerre du Tonkin. — Fondation du nouveau Pé-Tang. — Les préparatifs de défense du Pé-Tang. — Siège et délivrance du Pé-Tang.

Ex Periodicis

Collationes Brugenses, 1928. V. COUCKE. De remissione peccati venialis. — G. BRYS. De librorum prohibitione.

Collationes Gandavenses, 1928. F. CLAEYS BOÚÚAERT. Quid est sacramentum simulare? Num aliquandó id liceat? — V. MANNAERT. De iteratione Extremae-Unctionis. — F. BLATON. De peccato veniali.

Collationes Namurcenses, 1928. A. COLLART. Intentio in ministro ad valorem Sacramenti. — E. RANWEZ. De voluntario in causa. — V. GERARD. Les écueils que la foi rencontre spécialement de nos jours et les atteintes qu'elle peut en recevoir. — M. LECLER. Delicti natura; divisiones; quinam sint simul rei delicti eiusque poenis obnoxii.

Collationes Tornacenses, 1928. G. GRAVIS. La Foi chez les incrédules. — *** Quid Titularis Ecclesiae, Dedicatio, Patronus loci.

Collectanea Mechliniensia, 1928. A. GOUGNARD. De auctore proclamationum antematrimonialium. — P. GILLET. De privilegii notione. — F. CLAES. De stipendio Missae binatae et Missae pro populo dispensatae. — H. APPELMANS. Het Stevenismus.

Commentarium pro religiosis, 1928. — A. LARRAONA, C. M. F. Commentarium Codicis, c. 512. 513. 514. — De electionibus religiosorum. — S. GOYENECHE, C. M. F. Varia responsa: de initio noviciatus per vestitionem; — de extensione nominis Conversi; — de delegatione admissionis ad noviciatum; — de voto simplici paupertatis; — de iterata electione Antistitae Monialium; — de duplici voto Superiori concesso. — PH. MAROTO, C. M. F. Annotationes in resp. Pont. Commiss. interpretando Codici de c. 522.

Il Diritto ecclesiastico, 1928. — A. GIANNINI. « Modus vivendi » tra la S. Sede e la Cecoslovachia. — A. AZARA. Promulgazione ed obbligatorietà della legge canonica. — ***. I reati di ingiuria e diffamazione nella Giurisprudenza della S. Rota.

Ephemerides Liturgicae, 1928. — P. BATTISTINI. De novis festis celebrandis. — V. TIROZZI. De stola eiusque colore et usu, deque cappa et mozzetta, etc. — Altare fixum et portatile, eius consecratio et exsecratio, tituli substitutio, etc. — C. CALLEWAERT. De ratione construendi et ornandi baptisterium et fontem baptismalem.

Gregorianum, 1928. M. DE LA TAILLE. De sacrificio vero et proprio Quaestiones disputatae. — L. BUKORWKI. La réincarnation selon les Pères de l'Église. — E. HOCEDEZ. Le premier Quodlibet d'Henri de Gand. — E. SPRINGER. De SS. Eucharistiae virtute atque necessitate. — Recensiones. — Elenchus Bibliographicus. — Chronica : Pont. Universitas Gregoriana. — Pont. Institutum Archaeologiae Christianae. — Congressus Vehleradensis.

Benediktinische Monatschrift, 1928. P. BIELMEIER. Das Fasten im Geiste der Liturgie. — P. EMM. HEUFELDER. Weltanschauung und höhere Schule.

Il Monitore ecclesiastico, 1928. ***. Dispensa matrimoniale in *casi* urgenti. — Mons. FAMELI. Vacanza di Benefici incompatibili. — Mons. C. PARISI. Interruzione del noviziato in caso di viaggio.

Perfice Munus, 1928. Can. ADLOFF. Natura e qualità della Direzione Spirituale nella Confessione. - S. B. Il can. 1045 § 3. - Chiesa funerante. - Morale e diritto canonico.- Presa di possesso. - Natura dell' alternativa. - Mutuo e moneta. — Can. G. LARDONE. Parroco e prime comunioni. Parroco e religiosi ai funerali. - Messa e comunioni notturne — L. G. Varia sulla Via Crucis. - Mons. SCHÜSTER. Il precetto pasquale. — Sac. GENNARO. Il possessore di buona fede. - Confessione delle donne. — FELICE RAVANNAT. Della benedizione pasquale della casa e dell' agnello.

Palestra del Clero, 1928. D. NADDEO, O. S. B. L' attività pastorale nella cura sociale. - Il Pastore e il popolo rurale, - e la stampa. - Le biblioteche circolanti. — Mons. GRAZIOLI. Confessione e Direzione spirituale. — ARCEO MANCINI. d. P. S. S. Tumulazione e susseguente registrazione. - Permesso di pubblicazione (c. 1386). - Mgr. Vescovo L. FERRETTI. Legislazione relativa alla tutela del patrimonio. — Prof. GUIDO COCCHI. Funerale di un parroco. — Mgr. GIOVANNI BUTTIGNONI. Dubbi sulla validità del matrimonio. — P. VITTO. Celebrazione negli oratorii privati. Potere del Vescovo.

(Ministerium Verbi) Omelie - Riflessioni sui Vangeli, Di-

scorsi per feste e circostanze. - Meditazioni; istruzioni morali per le missioni. - Istruzioni catechistiche.

Pastor bonus. 1928. Prof. D.r KIEFFER. Amtsdauer des Klösterlichen Lokalobern und-oberinnen. — NOBERT BRÜHL, C. SS. R. Zur Stoffwechselfrage im Falle Konnersreuth (der stigmatisierten Therese Neumann). — Kapl. A. COPPENRATH. Der Broschürenverkaufsstand in Kirche und Hospital. — Pfarrer HOMSCHEID. Religiöse Erziehung der Kinder aus Mischehen.

Linzner theologisch-praktische Quartalschrift, 1928. O. COHAUSZ, S. I, Opfergeist. — D.R SCHULTE, O. M. Cap. Müssen wir Katholiken gegenüber der heutigen Körperkulturbewegung unseren Standpunkt revidieren? K. SUDBRACK, S. I. Zur praktischen Durchführung der Frühkommunion. — F. STEINMAYR, S. I. Psychoanalyse, Erziehung und Seelsorge. — D.R HERIBERT JONE, O. M. Cap. Ordnung einer Mischehe. — P. PHILIPP HOFMEISTER, O. S. B. Beichten in weiblichen Ordensgenossenschaften. — F. BOHM. Die Rekursfrist bei reservierten Zensuren. — D.R W. GROSAM. Die Heilige Hostie im Munde eines Verstorbenen. - P. STEINEN, S. I. Bewilligungen und Entscheidungen in Sachen der Ablässe. - PETER KILITZKS. Bericht über die Erfolge der kath. Missionem.

Resena ecclesiástica, 1928. LUIS M. BRUGADA Y PANIZO, Pbro. Apostolado del Mar. — RAMON BANCELLS SERRA. La Congregación de la Doctrina Cristiana. — MIGUEL DE ARQUER. Impedimentos del matrimonio (Errores in dispensatione eorumque correctio). — ***. El « Credo » de la iglesia cismática nacional Checo-Esiovaca.

Le Recrutement sacerdotal, 1928. *La découverte et la culture des vocations.* Expériences. — BERTRAND L. Sous le signe de Notre-Dame. — C. BARTHAS. Dans une paroisse urbaine : à l' âge de la communion solennelle. — A. GRUMEL (Ill. Ep.). Au Collège. Si j'avais su, si j'avais osé... — L. E. MARCEL. Parmi les enfants de choeur, avant le Conc. de Trente : le Card. de Giory, év. de Langres. — *** Parmi les enfants de choeur, de nos jours : au dioecèse d' Annecy. — *** Bibliographie systématique.

Revue ecclésiastique de Liège, 1928. G. VIEUJEAN. Le Stévenisme. — G. KISELSTEIN. Iurisdictio in periculo mortis. - Quo iure distincta et integra peccatorum accusatio sit necessaria. — E. LEROUX. Fortitudini annexae virtutes; La cause à double effet. — A. POSTELMANS. Missa aurea. — G. SIMENON. Les causes matrimoniales. - Dependentia administratorum fabricarum ecclesiae. — L. J. KERKHOFS (ill. D.). De angelorum custodia.

Nouvelle Revue Théologique, 1928. E. MERSCH, S. I. Amour, mariage, chasteté. — I. M. DE BUCK, S. I. Iean d'Avila et ses Oeuvres. — J. CREUSEN, S. I. Le mensonge et les mensonges. — E. HOCEDEZ, S. I. Le concept de martyr. — J. CREUSEN, S. I. L'effet juridique des consultations. — J. SALSMANS, S. I. Note de théologie morale. — DE MOREAU, S. I. L'autel chrétien. — A. VAN HOVE. Le concordat entre le Saint-Siège et le gouvernement de Lithuanie. — J. B. RAUS, C. SS. R. Saint Alphonse et les variations de son système moral. — J. CREUSEN, S. I. Les dernières réponses de la Commission d'interprétation du Code. — Directeur spécial ou confesseur occasionnel. — F. LEVIE, S. I. Encyclique *Mortalium animos* sur l'unité de l'Église.

Nederlandsche Katholiekc Stemmen, 1928. Dr. H. BEIJERSBERGEN, S. I. Over den toties-quoties vollen aflaat, verbonden aan het bidden van vijf tientjes vóór het H. Sacrament. — Dr. W. MULDER. Matrimonium putativum ? — Dr. A. C. M. S. « Error communis » in can. 209. — M. VAN GRINSVEN, C. SS. R. De supplendis unctionibus. - De iteratione extremae unctionis. — A. C. M. S. Consilium Capituli (canones quibus postulatur). — F. DE FONG. Een Nederlandsche godsdienstige beweging : de Moderne devotie.

PARS ALTERA

MONUMENTA

37. — SS. D. N. Pius Pp. XI

LITT. ENC. 8 maii 1928

DE COMMUNI EXPIATIONE SACRATISSIMO CORDI IESU DEBITA

(A. A. S., 1 iun. 1928, XX, 165)

AD RR. PP. DD. PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES:

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Solacium sumendum ex promissa perpetua adiutrice praesentia Christi

Miserentissimus Redemptor noster, cum in ligno Crucis salutem humano generi peperisset, ante quam de hoc mundo ad Patrem adscenderet anxios ut consolaretur apostolos discipulosque suos: « Ecce - inquit - ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ». (1) Vox quidem ista, sane periucunda, omnis est spei effectrix ac securitatis; eademque, Venerabiles Fratres, facile Nobis succurrit, quotiescumque de editiore hac quasi specula et universam hominum societatem tantis malis miseriisque laborantem et Ecclesiam ipsam, oppugnationibus sine ulla mora pressam insidiisque, circumspicimus. Divina enim eiusmodi promissio, quemadmodum initio iacentes Apostolorum erexit animos erectosque ad evangelicae doctrinae semina per orbem terrarum iacienda incendit atque inflammavit, ita Ecclesiam deinceps adversus portas inferi aluit

(1) MATTH., XXVIII, 30.

Facta confirmarunt magis praesens auxilium in graviore discrimine.

ad victoriam. Adfuit profecto Dominus Iesus Christus nullo non tempore Ecclesiae suae; at praesentiore tamen auxilio praesidioque tum adfuit, cum ea gravioribus periculis incommodisve conflictata est, suppeditante scilicet remedia, ad temporum rerumque condicionem apta admodum, divinâ illâ Sapientiâ, quae « attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter ». (1) Sed ne recentiore quidem aetate « abbreviata est manus Domini », (2) praesertim cum error irrepsit et satis late propagatus est, unde metuendum fuit, ne hominibus ab Dei amore ac consuetudine prohibitis christianae vitae fontes quodammodo arescerent. Quae vero, cum sese Mariae Margaritae Alacoque conspiciendum dedit, amantissimus Iesus conquestus est, quae praeterea ab hominibus, in ipsorum demum profectum, exspectare se ac velle significavit, ea cum alii e populo fortasse adhuc ignorent, neglegant alii, placet, Venerabiles Fratres, de honestae, quae dicitur, satisfactionis officio, quo erga Cor Iesu Sacratissimum obstringimur, affari vos aliquantulum, hac quidem mente, ut gregem quisque vestrum, quicquid vobiscum communicaverimus, studiose doceatis atque ad exsequendum excitetis.

Nec manus Domini abbreviata est.

Ne populi ignorent vel neglegant quae Iesus conquestus est et exoptat, S. Pontifex de satisfactionis officio affari Ordinarios ut suos doceant, proponit.

Quam opportune invectus sit cultus SS. Cordis Iesu, considerata peste Ianseniana

Inter cetera infinitae Redemptoris nostri benignitatis documenta, illud potissimum elucet, quod, defervescente christifidelium caritate, ipsa Dei caritas ad honorandum peculiari cultu proposita est eiusque bonitatis divitiae late patefactae sunt per eam religionis formam qua Sacratissimum Cor Iesu colitur, « in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ». (3) Nam, ut quondam humanae genti e Noëtica arca exeunti amici foederis signum illucescere Deus voluit, « arcum apparentem in nubibus », (4) sic turbulentissimis recentioris aevi temporibus, cum vaferrima omnium serperet haeresis illa ianseniana, amori in Deum pietatique inimica, quae Deum non tam diligendum ut patrem quam extimescendum ut implacabilem iudicem praedicabat, benignissimus Iesus Cor suum Sacratissimum, quasi pacis et caritatis vexillum, elatum gentibus ostendit, haud dubiam portendens in certamine victoriam. Siquidem apposite f. r. decessor Noster Leo XIII, in Litteris Encyclicis « Annum Sacrum », tantam cultus Sacratissimi Cordis Iesu opportunitatem admiratus, edicere non dubitavit: « Cum

(1) *Sap.*, VIII, 1.
(2) Is., LIX, 1.
(3) *Coloss.*, II, 3.
(4) *Gen.*, II, 14.

Ecclesia per proxima originibus tempora caesareo iugo premeretur, conspecta sublime adolescenti imperatori crux amplissimae victoriae, quae mox est consecuta, auspex simul atque effectrix. En alterum hodie oblatum oculis auspicatissimum divinissimumque signum: videlicet Cor Iesu sacratissimum, superimposita cruce, splendidissimo candore inter flammas elucens. In eo omnes collocandae spes; ex eo hominum petenda atque exspectanda salus ».

Confirmans verba Leonis XIII, Pontifex in ea religionis forma summam agnoscit totius religionis et normam perfectioris vitae.

Ac iure id quidem, Venerabiles Fratres; in illo enim auspicatissimo signo atque in ea, quae exinde consequitur, pietatis forma nonne totius religionis summa atque adeo perfectioris vitae norma continetur, quippe quae et ad Christum Dominum penitus cognoscendum mentes conducat expeditius et ad eundem vehementius diligendum pressiusque imitandum animos inflectat efficacius? Nemo igitur miretur, hanc probatissimam religionis formam decessores Notros continenter ea a calumniatorum criminationibus vindicasse et summis laudibus extulisse et vehementi provexisse studio, prout temporum rerumque rationes postularent. Dei autem adspirante numine factum est ut pia christifidelium erga Sacratissimum Cor Iesu voluntas maiora in dies incrementa caperet; hinc piae illae passim excitatae sodalitates divini Cordis cultui promovendo; hinc consuetudo illa sacrae Synaxis, ad Christi Iesu optatum prima cuiusque mensis feria sexta suscipiendae, quae quidem consuetudo passim hodie obtinet.

Inde studia decessorum suorum et crescens multiplicis formae pietas.

At certe inter cetera illa, quae proprie ad Sacratissimi Cordis cultum pertinent, pia eminet, ac memoranda est consecratio, qua, nos nostraque omnia aeternae Numinis caritati accepta referentes, divino Iesu Cordi devovemus. Eiusmodi autem devotionis officium, cum, quantum averet sibi ab hominibus reddi, non tam iure suo quam immensa in nos caritate permotus, Salvator Noster innocentissimam Cordis sui discipulam Margaritam Mariam docuisset, ispamet, cum suo pietatis magistro Claudio de la Colombière, prima omnium praestitit; secuti sunt, procedente tempore, singuli homines, deinde privatae familiae et consociationes, denique vel ipsi magistratus, civitates et regna. Quoniam autem, superiore aetate atque hac ipsa nostra, impiorum hominum machinationibus huc deventum est, ut detrectatum Christi Domini imperium bellumque in Ecclesiam publice commotum sit latis legibus scitisque populorum promotis iuri divino ac naturali repugnantibus, immo vel comitiis habitis conclamantium, « Nolumus hunc regnare super nos »: (1) ex

Inter eas eminet consecratio Cordi Iesu, cuius fata historica summarie referuntur usque ad sollemnem generis humani dedicationem, ineunte hoc saeculo imperatam.

(1) Luc., XIX, 14.

ea profecto consecratione, quam diximus, una omnium vox veluti erumpebat atque ex adverso opponebatur acerrime clientum Sacratissimi Cordis ad vindicandam eius gloriam et asserenda eius iura: « Oportet Christum regnare: (1) Adveniat regnum tuum ». Ex quo tandem factum feliciter, ut universitas ipsa generis humani, quam Christus, in quo uno instaurantur omnia, (2) nativo iure possidet suam, huius saeculi initio eidem Cordi Sacratissimo a f. r. decessore Nostro Leone XIII, christiano orbe plaudente, dedicaretur.

Haec incepta Pontifex complevit instituto festo Christi Regis,

Haec vero tam fausta tamque iucunda incepta, quemadmodum Litteris Nostris Encyclicis « Quas primas » docuimus, diuturnis optatis votisque quamplurimis Episcoporum et fidelium concedentes, Nosmet ipsi, Deo dante, tandem complevimus ac perfecimus cum, piaculari anno exeunte, Cristi universorum Regis festum instituimus, sollemniter toto christiano orbe concelebrandum. Quod cum faceremus, non modo summum illud quod Christus obtinet in rerum universitatem, in societatem et civilem et domesticam, in singulos homines imperium in luce collocavimus, sed etiam gaudia iam tum illius diei praecepimus auspicatissimi, quo die omnis orbis libens volensque Christi Regis suavissimae dominationi parebit. Qua de causa tum simul ediximus, ut per constituti illius diei festi occasionem haec eadem consecratio renovaretur quotannis, ad eiusdem fructum consecrationis certius uberiusque consequendum et ad populos omnes in Corde Regis regum et Domini dominantium christiana caritate et pacis conciliatione copulandos.

et praecepta annua renovatione Consecrationis.

Aliis officiis accedat oportet officium honestae satisfactionis seu reparationis, quod neglecto vel violato amori debetur.

Verum officiis hisce omnibus, praesertim tam frugiferae consecrationi, per sacram Christi Regis sollemnitatem veluti confirmatae, aliud accedat oportet, de quo vobiscum, Venerabiles Fratres, paulo fusius in praesenti colloqui libet: honestae satisfactionis, inquimus, seu reparationis, quam dicunt, officium Sacratissimo Cordi Iesu praestandum. Nam, si illud est in consecratione primum ac praecipuum ut amori Creatoris creaturae amor rependatur, alterum sponte hinc sequitur, ut eidem increato Amori si quando aut oblivione neglectus, aut offensa violatus sit, illatae quoquo modo iniuriae compensari debeant: quod quidem debitum reparationem vulgato nomine vocamus.

Ad hoc implendum, vali-

Quodsi ad utramque rem iisdem prorsus rationibus impellimur, reparandi tamen expiandique officio ob validiorem quen-

(1) *I Cor.*, XV, 25.
(2) *Eph.*, I, 10.

dam iustitiae et amoris titulum tenemur: iustitiae quidem, ut irrogata Deo nostris flagitiis expietur offensa et violatus ordo paenitentia redintegretur; amoris vero, ut Christo patienti ac « saturato opprobriis compatiamur », eique nonnihil solacii pro tenuitate nostra afferamus. Peccatores enim cum simus omnes multisque onerati culpis, non eo solo cultu Deus noster nobis est honorandus, quo vel eius summam Maiestatem debitis obsequiis adoremus, vel eius supremum dominium precando agnoscamus vel eius infinitam largitatem gratiarum actionibus laudemus; sed praeterea Deo iusto vindici satisfaciamus oportet « pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis » nostris. Consecrationi igitur, qua Deo devovemur et sancti Deo vocamur, ea sanctitate ac firmitate quae, ut docet Angelicus, (1) consecrationis est propria, addenda est expiatio, qua penitus peccata exstinguantur, ne forte indignitatem nostram impudentem reverberet summae iustitiae sanctitas munusque nostrum potius arceat invisum quam gratum suscipiat.

diore iustitiae et amoris compatientis titulo impellimur.

Eo genus humanum totum premitur propter peccata, frustra instaurato errore de nativa virtute humanae naturae, ad altiora usque progredientis

Hoc autem expiationis officium humano generi universo incumbit, quippe quod, ut christiana docemur fide, post Adae miserandum casum, hereditaria labe infectum, concupiscentiis obnoxium et miserrime depravatum, in perniciem detrudendum fuisset sempiternam. Id quidem superbi hac nostra aetate sapientes, veterem Pelagii errorem secuti, inficiantur, nativam quandam virtutem humanae naturae iactantes quae suapte vi ad altiora usque progrediatur; sed falsa haec humanae superbiae commenta reiicit Apostolus, illud nos admonens: « natura eramus filii irae ». (2) Et sane iam ab initio communis illius expiationis debitum quasi agnovere homines et Deo sacrificiis vel publicis placando, naturali quodam sensu ducti, operam dare coeperunt.

Insufficiens tamen expiatio, nisi Dei Filius in humana sua natura munus reparatoris suscepisset.

At nulla creata vis hominum sceleribus expiandis erat satis, nisi humanam naturam Dei Filius reparandam assumpsisset. Quod quidem hominum Salvator sacri Psaltis ore nuntiavit: « Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio » (3) Et reapse « vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit; vulneratus est propter iniquitates nostras » (4) et « peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum... (5) delens quod adversus nos erat

(1) II, II, q. 81, a. 8, c.
(2) *Eph.*, II, 3.
(3) *Hebr.*, X, 5-7.
(4) Is., V, 3; IV, 5.
(5) I PETR., II, 24.

chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio affigens illud cruci... (1) ut peccatis mortui iustitiae vivamus » (2).

Christo autem nostras laudes et satisfactiones addere possumus et debemus; etsi omnis virtus expiationis pendet a Christi cruento sacrificio,

Quod cotidie incruento modo in Eucharistia renovatur.

Quamquam vero copiosa Christi redemptio abunde nobis « omnia delicta donavit », (3) ob miram tamen illam divinae Sapientiae dispensationem, qua in carne nostra adimplenda sunt quae desunt passionum Christi pro corpore eius quod est Ecclesia, (4) etiam laudibus et satisfactionibus, « quas Christus in nomine peccatorum Deo persolvit » nostras quoque laudes et satisfactiones adiicere possumus, immo etiam debemus. At semper meminerimus oportet, totam expiationis virtutem ab uno Christi cruento sacrificio pendere, quod sine temporis intermissione in nostris altaribus incruento modo renovatur, siquidem « una eademque est Hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa »; (5) quamobrem cum hoc augustissimo Eucharistico sacrificio et ministrorum et aliorum fidelium immolatio coniungi debet ut ipsi quoque « hostias viventes, sanctas, Deo placentes » (6) sese exhibeant. Quin immo S. Cyprianus affirmare non dubitat « sacrificium dominicum legitima sanctificatione non celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni ». (7) Quapropter nos monet Apostolus, ut « mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes » (8), atque cum Christo consepulti et complantati similitudini mortis eius, (9) non modo carnem nostram crucifigamus cum vitiis et concupiscentiis, (10) « fugientes eius quae in mundo est concupiscentiae corruptionem »; (11) sed « et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris » (12) et, aeterni eius sacerdotii participes effecti, offeramus « dona et sacrificia pro peccatis ». (13) Neque enim arcani huius sacerdotii et satisfaciendi sacrificandique muneris participatione ii soli fruuntur, quibus Pontifex noster

Quare immolatio Christianorum coniungi debet cum Missae sacrificio ut ipsi sic regale suum sacerdotium exerceant.

---

(1) *Coloss.*, II, 4.
(2) I PETR. II, 24.
(3) Cf. *Coloss.*, II, 19.
(4) Cf. *Coloss.*, I, 24.
(5) Conc. Trid., sess. XXII, c. 2.
(6) *Rom.*, XII, 1.
(7) Ep. 63, n. 381.
(8) *II Cor.*, IV, 10.
(9) Cf. *Rom.*, VI, 4-5.
(10) Cf. *Gal.*, V, 24.
(11) II PETR., I, 4.
(12) *II Cor.*, IV, 10.
(13) *Hebr.*, V. 1.

Christus Iesus administris utitur ad oblationem mundam divino Nomini ab ortu solis usque ad occasum omni loco offerendam, (1) sed etiam christianorum gens universa, ab Apostolorum Principe « genus electum, regale sacerdotium » (2) iure appellata, debet cum pro se, tum pro toto humano genere offerre pro peccatis, (3) haud aliter propemodum quam sacerdos omnis ac pontifex « ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum » (4).

Quo perfectius id praestabunt, eo uberiores fructus percipient.

Quo autem perfectius oblatio nostra nostrumque sacrificium sacrificio dominico responderit, idest amorem nostri cupiditatesque nostras immolaverimus et carnem crucifixerimus crucifixione ea mystica, de qua loquitur Apostolus, eo uberiores propitiationis atque expiationis pro nobis aliisque percipiemus fructus. Mirifica enim viget fidelium omnium cum Christo necessitudo, qualis inter caput et cetera corporis membra intercedit, itemque arcanâ illâ, quam fide catholica profitemur, Sanctorum communione, cum singuli homines tum populi non modo coniunguntur inter se, sed etiam cum eodem « qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis sui facit in aedificationem sui in caritate » (5). Quod quidem Mediator ipse Dei et hominum Christus Iesus, morti proximus, a Patre postulavit: « Ego in eis et tu in me ut sint consummati in unum » (6).

Expiatio inchoat, perficit et consummat nostram cum Christo unionem.

Quemadmodum igitur unionem cum Christo profitetur ac firmat consecratio, ita expiatio eamdem unionem et, culpas detergendo, inchoat et, Christi passiones participando, perficit et, victimas pro fratribus offerendo, consummat. Atque id sane miserentis Iesu consilium fuit, cum Cor nobis suum, insignia passionis praeferens ac flammas amoris ostentans, patere voluit, scilicet ut hinc infinitam peccati malitiam coniectantes, illinc Reparatoris caritatem infinitam admirati, et peccatum vehementius detestaremur et caritati ardentius vicem redderemus.

Atque in cultu SS. Cordis

Et vere expiationis potissimum seu reparationis spiritus primas semper potioresque partes habuit in cultu Sacratissimo

(1) MALACH. I, 11.
(2) I PETR., II, 9.
(3) Cf. *Hebr.*, V, 2.
(4) *Hebr.*, V. 1.
(5) *Eph.*, IV, 15-16.
(6) Io., XVII, 23.

partes reparationis semper potiores fuere, ut probant ipsa Christi verba, et commendatae ab ipso exercitationes.

Cordi Iesu exhibendo, nihilque eo congruentius origini, indoli, virtuti, industriis quae huic religionis formae sunt propriae, ut rerum memoria et usus, sacra item lituriga atque Summorum Pontificum acta confirmant. Siquidem cum se conspiciendum Margaritae Mariae exhiberet Christus, caritatis suae infinitatem praedicans, simul, maerentis instar, tot tantasque sibi inustas ab ingratis hominibus iniurias in haec verba conquestus est, quae utinam in piorum animis insiderent nullaque unquam oblivione delerentur: « En Cor Illud — inquit — quod tantopere homines amavit beneficiisque omnibus cumulavit, quodque amori suo infinito non tantum redditam gratiam nullam invenit, at contra oblivionem, neglectum, contumelias, easque ab iis etiam illatas nonnunquam, qui amoris peculiaris debito officioque tenerentur ». Ad quas quidem culpas eluendas cum alia complura, tum haec praesertim sibi gratissima commendavit: ut eâdem expiandi mente homines de altari libarent, — quam « Communionem Reparatricem » vocant, — et supplicationes item piaculares ac preces, per solidam horam productas, adhiberent, — quae « Hora Sancta » verissime appellatur: quas quidem pietatis exercitationes non modo Ecclesia probavit, sed etiam copiosis spiritualibus largitionibus locupletavit.

Explicat Pontifex cur piaculares ritus Christum beate regnantem consolari possint:

At enim beate regnantem Christum in caelis quî piaculares eiusmodi ritus consolari queant? Scilicet — « da amantem et sentit quod dico » (1) — reponimus, Augustini verbis usi, quae in hunc locum aptissime cadunt.

ex repetita memoria passionis Christi, cuius peccata omnis temporis fuere causa;

Dei enim amantissimus quisque, si praeteriti temporis spatium respiciat, videt meditando intueturque Christum pro homine laborantem, dolentem, durissima quaeque perpetientem, « propter nos homines et propter nostram salutem » tristitia, angoribus, opprobriis paene confectum, immo « attritum propter scelera nostra » (2) ac suo nos livore sanantem. Atque haec omnia eo verius piorum meditantur animi, quod peccata hominum ac flagitia quovis tempore perpetrata in causa fuerunt cur Dei Filius morti traderetur, eademque nunc etiam mortem ipsam per se essent Christo illatura iisdem cum doloribus maeroribusque coniunctam, quippe singula passionem Domini suo quodam modo renovare censeantur: « Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes ». (3) Quodsi propter peccata quoque nostra, quae futura quidem erant at praevisa, anima Christi tristis facta est usque ad

ex praevisis a Christo reparationis studiis;

(1) *In Ioannis evangelium,* tract. XXVI, 4.
(2) Is., LIII, 5.
(3) *Hebr.*, VI, 6.

mortem, haud dubium quin solacii nonnihil iam tum ceperit etiam e nostra, item praevisa, reparatione, cum « apparuit illi Angelus de caelo », (1) ut Cor eius taedio et angoribus oppressum consolaretur. Atque ita Cor Illud sacratissimum, quod ingratorum hominum peccatis continenter sauciatur, etiam nunc mira quidem sed vera ratione solari possumus ac debemus, quandoquidem — ut in sacra quoque liturgia legitur — ex ore Psaltis Christus ipse se ab amicis suis derelictum conqueritur: « Improperium exspectavit Cor meum et miseriam, et sustinui qui simul contristaretur et non fuit, et qui consolaretur et non inveni ». (2)

ex continuata et renovata passione Christi in corpore suo mystico seu Ecclesia.

Accedit quod passio Christi expiatrix renovatur et quodammodo continuatur et adimpletur in corpore suo mystico, quod est Ecclesia. Etenim, ut rursus Sancti Augustini (3) verbis utamur, « passus est Christus quidquid pati debuerat; iam de mensura passionum nihil deest. Ergo impletae sunt passiones sed in capite; restabant adhuc Christi passiones in corpore ». Quod quidem Dominus ipse Iesus declarare dignatus est, cum ad Saulum « adhuc spirantem minarum et caedis in discipulos » (4) loquens: « Ego sum — inquit — Iesus quem tu persequeris », (5) haud obscure significans, commotis in Ecclesiam insectationibus, ipsum divinum oppugnari ac vexari Ecclesiae Caput. Iure igitur meritoque Christus in corpore suo mystico adhuc patiens nos expiationis suae socios habere exoptat, idque etiam ipsa nostra cum eo necessitudo postulat; nam cum simus « corpus Christi et membra de membro », (6) quidquid patitur caput, omnia cum eo membra patiantur oportet. (7)

Hodierna reparationis necessitas ex multis malis praesentibus tum vitae publicae nationum,

Quantopere autem huiusmodi expiationis seu reparationis necessitas hac nostra potissimum aetate urgeat, nemini non manifestum erit, qui, ut initio diximus, hunc mundum « in maligno positum », (8) oculis animoque perlustraverit. Undique enim gementium ad Nos populorum clamor adscendit, quorum principes vel rectores vere adstiterunt et convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Ecclesiam eius. (9) Per regiones quidem

(1) Luc., XXII, 43.
(2) *Ps.*, LXVIII, 21.
(3) *In Ps. 86.*
(4) *Act.*, IX, 1.
(5) *Act.*, IX, 5.
(6) *I Cor.*, XII, 27.
(7) Cf. *I Cor.*, XII, 26.
(8) I Io., V, 19.
(9) Cf. *Ps.*, II, 2.

illas iura omnia divina humana permisceri cernimus. Templa deiici atque everti, religiosi viri ac sacrae virgines e suis aedibus deturbari et conviciis, saevitiis, inedia, carcere affligi; puerorum ac puellarum greges e gremio Ecclesiae matris abripi atque ad eiurandum Christum et blasphemandum, ad luxuriae pessima crimina induci; christianorum plebs universa, exanimata vehementer ac disiecta, perpetuo in discrimine aut defectionis a fide aut mortis vel atrocissimae versari. Quae profecto tam tristia sunt, ut per eiusmodi eventus praenuntiari iam nunc ac portendi dixeris « initia dolorum » illa, quae allaturus est « homo peccati extollens se supra omne quod dicitur Deus aut colitur ». (1)

tum vitae privatae, etiam fidelium.

At magis etiam dolendum, Venerabiles Fratres, quod inter ipsos fideles, sanguine Agni immaculati in baptismo ablutos gratiaque locupletatos, tot inveniantur cuiusvis ordinis homines, qui incredibili rerum divinarum ignorantia laborantes et falsis doctrinis infecti, vitiis irretitam procul a domo Patris vitam traducant, quam nec verae fidei lumen collustrat, nec spes futurae beatitatis delectat nec ardor reficit fovetque caritatis, ut sedere in tenebris et in umbra mortis vere videantur. Praeterea inter fideles ecclesiasticae disciplinae veterumque institutorum percrebrescit incuria, quibus vita omnis christiana nititur, domestica societas regitur, coniugii sanctitas munitur ; neglecta prorsus aut mollioribus depravata blanditiis puerorum institutio, et vel adempta Ecclesiae iuventutis christiane educandae facultas; christiani pudoris in vita cultuque praesertim muliebri, lacrimabilis oblivio; fluxarum rerum effrenata cupiditas, civilium rationum immoderatio, aurae popularis captatio exlex, legitimae auctoritatis detrectatio denique verbi Dei contemptus, quo fides labefactatur ipsa vel in proximum discrimen adducitur.

Accedunt apostasiae, sacrilegae communiones.

Hisce vero malis veluti in cumulum accedit cum eorum ignavia atque socordia, qui, dormitantium et fugentium instar discipulorum, nutantes in fide, Christum angoribus oppressum vel Satanae satellitibus circumventum misere derelinquunt, tum eorum perfidia, qui, ludae proditoris exemplum secuti, aut temere et sacrilege de altari libant, aut ad hostium castra transfugiunt. Atque ita vel invitum subit cogitatio animum, iam propius adventare tempora de quibus Dominus Noster vaticinatus est: « Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum ». (2)

---

(1) *II Thessal.*, II, 4.
(2) MATTH., XXIV, 12.

Inde maiora studia reparationis;

Quae quidem omnia quotquot pie commentati erunt fideles, facere non poterunt, quin, Christi perdolentis incensi caritate, vehementiore studio suas aliorumque culpas expient, Christi honorem resarciant, aeternamque provehant animarum salutem. Et sane illud Apostoli: « Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia » (1) aliquo pacto ad hanc quoque aetatem nostram describendam accommodare licet; nam, aucta admodum perversitate hominum, mirifice item, Spiritu Sancto afflante, numerus fidelium utriusque sexus augetur, qui alacriore animo, pro tot illatis iniuriis divino Cordi satisfacere student, immo etiam se ipsos Christo victimas offerre non dubitant. Etenim quae usque adhuc memoravimus si quis secum animo reputet amanter eademque veluti in medullis defixa habeat, fieri profecto non potest quin is non tam ab omni peccato tamquam summo malo abhorreat atque abstineat, quam se totum Dei voluntati permittat, et laesum divinae Maiestatis honorem, cum continenter orando, tum afflictationibus sponte susceptis aerumnisque, si quae inciderint, patienter toleratis, tum tota demum vita hoc expiationis studio exigenda, resarcire contendat.

exortae familiae religiosae et consociationes quae sibi expiandi partes assumunt. Inde etiam sollemnes protestationes.

Atque hinc exortae quoque sunt religiosae familiae virorum ac mulierum complures, quae ambitioso quodam famulatu, diu noctuque personam quodammodo Angeli Iesum in horto consolantis gerere sibi habent propositum; hinc piorum hominum consociationes ab Apostolica item Sede approbatae indulgentiisque auctae, quae eandem sibi expiandi partem assumunt, idoneis religionis ac virtutum exercitationibus adimplendam; hinc denique, ut alia praetereamus, divinum honorem violatum reparandi gratia religiones inductae sollemnesque protestationes quas vocant, non modo a singulis christifidelibus, sed etiam a paroeciis, a dioecesibus, a civitatibus passim usurpatae.

Quem reparationis morem volens sancire et amplificare, S. Pontifex, evecto festo SS. Cordis ad gradum primae classis cum octava, praecipit sollemnem protestationem ubique in eo festo recitandam.

Quae cum ita sint, Venerabiles Fratres, quemadmodum consecrationis ritus, a tenuioribus exorsus initiis, latiusque deinde pervagatus, optatum denique cepit e Nostra confirmatione splendorem, ita huius expiationis seu piae reparationis morem iampridem sancte inductum sancteque propagatum, Nostra item apostolica auctoritate sanciri firmius sollemniusque celebrari ab universo catholico nomine percupimus. Quocirca decernimus ac mandamus ut quotannis, in festo Sacratissimi Cordis Iesu — quod quidem hac occasione ad gradum duplicis primae classis cum octava evehi iussimus — in templis omnibus, qua late patet terrarum orbis, eadem amantissimo Salva-

(1) *Rom.*, V, 20.

tori Nostro, iisdem concepta verbis, secundum exemplar quod hisce Litteris subiicimus, precatio piacularis seu protestatio, ut aiunt, sollemniter recitetur, qua et culpae nostrae defleantur omnes et iura Christi summi Regis ac Domini amantissimi violata resarciantur.

Spes ex ista sollemnitate conceptae.

Non est profecto, Venerabiles Fratres, cur dubitemus, quin ex hac sancte instaurata religione, atque universae Ecclesiae imperata, multa ac praeclara bona non modo singulis hominibus, sed sacrae etiam et civili et domesticae societati obveniant, quandoquidem ipse Redemptor noster Margaritae Mariae spopondit « eos omnes qui hoc honore Cor suum affecissent, caelestium gratiarum copia cumulatum iri ». Peccatores quidem « videntes in quem transfixerunt » (1), et totius Ecclesiae gemitibus fletibusque commoti, de iniuriis Summo Regi illatis dolendo, « redibunt ad cor » (2), ne forte in culpis suis obfirmati, cum Eum, quem pupugerunt, viderint « venientem in nubibus caeli » (3) sero et frustra plangant se super Eum (4). Iusti vero iustificabuntur et sanctificabuntur adhuc (5), et servitio sui Regis, quem tam contemptum et oppugnatum, tot tantisque contumeliis affectum cernunt, novo se totos ardore devovebunt; sed imprimis studio salutis animarum provehendae flagrabunt, cum questum illum divinae Victimae perpendere consueverint: « Quae utilitas in sanguine meo? » (6) ac simul gaudium quod erit Sacratissimo eidem Cordi Iesu « super uno peccatore poenitentiam agente » (7).

Optatum Pontificis. Oratio ad B. Virginem quae per gratiam Christi est Reparatrix et mediatrix.

Atque illud praecipue optamus vehementer speramusque fore, ut ea divini iustitia Numinis, quae propter decem iustos misericors Sodomis pepercisset, multo magis hominum generi universo sit parcitura, a fidelium communitate, una cum Christo Mediatore et Capite, omnium loco ac nomine comprecantum, suppliciter invocata et placata feliciter. Hisce denique votis inceptisque Nostris praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima, quae, cum Iesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem hostiam obtulerit, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item exstitit pieque appellatur. Cuius Nos confisi apud

(1) Io., XIX, 37.
(2) Is., XLVI, 8.
(3) MATTH, XXVI., 64.
(4) Cf. *Apoc.*, I, 7.
(5) Cf. *Apoc.*, XXII, 11.
(6) *Ps. 19*, 10.
(7) LUC., XV, 4.

Christum deprecatione, qui unus cum sit « Mediator Dei et hominum » (1), suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles Fratres vestrisque curis concredito gregi universo, apostolicam benedictionem peramanter impertimus. *Benedictio Pontificis*

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Maii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo. *Dies (8 maii 1928)*

PIUS PP. XI

PRECATIO PIACULARIS AD SACRATISSIMUM COR IESU

Formula protestationis.

Iesu dulcissime, cuius effusa in homines caritas, tanta oblivione, negligentia, contemptione, ingratissime rependitur, en nos, ante altaria tua provoluti, tam nefariam hominum socordiam iniuriasque, quibus undique amantissimum Cor tuum afficitur, peculiari honore resarcire contendimus.

Attamen, memores tantae nos quoque indignitatis non expertes aliquando fuisse, indeque vehementissimo dolore commoti, tuam in primis misericordiam nobis imploramus, paratis, voluntaria expiatione compensare flagitia non modo quae ipsi patravimus, sed etiam illorum, qui, longe a salutis via aberrantes, vel te pastorem ducemque sectari detrectant, in sua infidelitate obstinati, vel, baptismatis promissa conculcantes, suavissimum tuae legis iugum excusserunt.

Quae deploranda crimina, cum universa expiare contendimus, tum nobis singula resarcienda proponimus: vitae cultusque immodestiam atque turpitudines, tot corruptelae pedicas innocentium animis instructas, dies festos violatos, exsecranda in Te tuosque Sanctos iactata maledicta atque in tuum Vicarium ordinemque sacerdotalem convicia irrogata, ipsum denique amoris divini Sacramentum vel neglectum vel horrendis sacrilegiis profanatum, publica postremo nationum delicta, quae Ecclesiae a Te institutae iuribus magisterioque reluctantur.

Quae utinam crimina sanguine ipsi nostro eluere possemus! Interea ad violatum divinum honorem resarciendum, quam Tu olim Patri in cruce satisfactionem obtulisti quamque cotidie in altaribus renovare pergis, hanc eandem nos tibi praestamus, cum Virginis Matris, omnium Sanctorum, piorum quoque fidelium expiationibus coniunctam, ex animo spondentes, cum prae-

(1) *I Tim.*, II, 5.

terita nostra aliorumque peccata ac tanti amoris incuriam firma fide, candidis vitae moribus, perfecta legis evangelicae, caritatis potissimum, observantia, quantum in nobis erit, gratia tua favente, nos esse compensaturos, tum iniurias tibi inferendas pro viribus prohibituros, et quam plurimos potuerimus ad tui sequelam convocaturos. Excipias quaesumus, benignissime Iesu B. Virgine Maria Reparatrice intercedente, voluntarium huius expiationis obsequium nosque in officio tuique servitio fidissimos ad mortem usque velis, magno illo perseverantiae munere, continere, ut ad illam tandem patriam perveniamus omnes, ubi Tu cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

ATTO DI RIPARAZIONE AL SACRATISSIMO CUORE DI GESÙ

Gesù dolcissimo, il cui immenso amore per gli uomini viene con tanta ingratitudine ripagato di oblìo, di trascuratezza, di disprezzo, ecco che noi prostrati dinanzi ai vostri altari intendiamo riparare con particolari attestazioni di onore una così indegna freddezza e le ingiurie con le quali da ogni parte viene ferito dagli uomini l'amantissimo vostro Cuore.

Ricordevoli però che noi pure altre volte ci macchiammo di tanta indegnità e provandone vivissimo dolore, imploriamo anzitutto per noi la vostra misericordia, pronti a riparare con volontaria espiazione, non solo i peccati commessi da noi, ma anche quelli di coloro che, errando lontano dalla via della salute, o ricusano di seguire Voi come pastore e guida ostinandosi nella loro infedeltà, o calpestando le promesse del Battesimo hanno scosso il soavissimo giogo della vostra legge.

E mentre intendiamo espiare tutto il cumulo di sì deplorevoli delitti, ci proponiamo di ripararli ciascuno in particolare: l'immodestia e le brutture della vita e dell'abbigliamento, le tante insidie tese dalla corruttela alle anime innocenti, la profanazione dei giorni festivi, le ingiurie esecrande scagliate contro Voi e i vostri Santi, gli insulti lanciati contro il vostro Vicario e l'ordine sacerdotale, le negligenze e gli orribili sacrilegi ond'è profanato lo stesso Sacramento dell'amore divino, e in fine le colpe pubbliche delle nazioni che osteggiano i diritti e il magistero della Chiesa da Voi fondata.

Ed oh, potessimo noi lavare col nostro sangue questi affronti! Intanto come riparazione dell'onore divino conculcato,

noi Vi presentiamo, — accompagnandola con le espiazioni della Vergine vostra Madre, di tutti i Santi e delle anime pie, — quella soddisfazione che Voi stesso un giorno offriste sulla croce al Padre e che ogni giorno rinnovate sugli altari: promettendo con tutto il cuore di voler riparare, per quanto sarà in noi e con l'aiuto della vostra grazia, i peccati commessi da noi e dagli altri e l'indifferenza verso sì grande amore, con la fermezza della fede, l'innocenza della vita, l'osservanza perfetta della legge evangelica specialmente della carità; d'impedire inoltre, con tutte le nostre forze, le ingiurie contro di Voi e di attrarre quanti più potremo alla vostra sequela. Accogliete, ve ne preghiamo, o benignissimo Gesù, per intercessione della B. V. Maria Riparatrice, questo volontario ossequio di riparazione, e vogliate conservarci fedelissimi nella vostra ubbidienza e nel vostro servizio fino alla morte col gran dono della perseveranza, mercè il quale possiamo tutti un giorno pervenire a quella patria, dove Voi col Padre e con lo Spirito Santo vivete e regnate Dio per tutti i secoli dei secoli. Così sia.

ACTE DE RÉPARATION AU SACRÉ CŒUR DE JÉSUS

Très doux Jésus, Vous avez répandu sur les hommes les bienfaits de votre charité, et leur ingratitude n'y répond que par l'oubli, le délaissement, le mépris. Nous voici donc prosternés devant votre autel, animés du désir de réparer, par un hommage spécial, leur coupable indifférence et les outrages dont, de toutes parts, ils accablent votre Cœur très aimant.

Cependant, nous souvenant que nous-mêmes, nous nous sommes dans le passé rendus coupables d'une si indigne conduite, et pénétrés d'une profonde douleur, nous implorons d'abord pour nous-mêmes votre miséricorde. Nous sommes prêts à réparer, par une expiation volontaire, les fautes que nous avons commises, tout prêts aussi à expier pour ceux qui égarés hors de la voie du salut, s'obstinent dans leur infidélité, refusant de Vous suivre, Vous, leur Pasteur et leur Chef, ou, secouant le joug si doux de votre loi, foulent aux pieds les promesses de leur baptême.

Nous voudrions expier pour tant de fautes lamentables, réparer pour chacune d'elles: désordres de la conduite, indécence des modes, scandales corrupteurs des âmes innocentes, profanation des dimanches et des fêtes, blasphèmes contre Vous et contre vos Saints, insultes à votre Vicaire et à vos prêtres,

abandon et violations odieusement sacrilèges du divin sacrement de votre amour, péchés publics enfin des nations qui se révoltent contre les droits et l'autorité de votre Église.

Que ne pouvons-nous effacer de notre propre sang tant d'offenses! Du moins, pour réparer votre honneur outragé, nous Vous présentons cette même satisfaction que Vous avez offerte à votre Père sur la Croix et dont Vous renouvelez l'offrande, chaque jour, sur l'autel; nous Vous la présentons, accompagnée de toutes les satisfactions de la Très Sainte Vierge votre Mère, des Saints, des chrétiens fidèles. Nous Vous promettons, de tout notre cœur, autant qu'il dépend de nous et avec le secours de votre grâce, de réparer nos fautes passées, celles de notre prochain, l'indifférence à l'égard d'un si grand amour, par la fermeté de notre foi, la pureté de notre vie, la docilité parfaite aux préceptes de l'Évangile, à celui surtout de la charité. Nous Vous promettons aussi de faire tous nos efforts pour Vous épargner de nouvelles offenses et pour entraîner à votre suite le plus d'âmes possible.

Agréez, nous Vous en supplions, ô très bon Jésus, par l'intercession de la Bienheureuse Vierge Marie Réparatrice, cet hommage spontané d'expiation; gardez-nous, jusqu'à la mort, inébranlablement fidèles à notre devoir et à votre service, accordez-nous ce don précieux de la persévérance qui nous conduise tous enfin à la patrie où, avec le Père et le Saint-Esprit, Vous régnez, Dieu, dans les siècles des siècles. Ainsi-soit-il.

ACTO DE DESAGRAVIOS
AL SAGRADO CORAZON DE JESUS

¡Oh dulcísimo Jesús, cuyo inmenso amor a los hombres no ha recibido en pago de los ingratos más que olvido, negligencia y menosprecio!, vednos postrados ante vuestro altar, para reparar, con especiales homenajes de honor, la frialdad indigna de los hombres y las injurias con que, en todas partes, hieren vuestro amantísimo Corazón.

Mas recordando que también nosotros alguna vez nos manchamos con tal indignidad de la cual nos dolemos ahora vivamente, deseamos, ante todo, obtener para nuestras almas vuestra divina misericordia, dispuestos a reparar, con voluntaria expiación, no sólo nuestros propios pecados, sino también los de aquellos que, alejados del camino de la salvación

y obstinados en su infidelidad, o no quieren seguiros como a Pastor y Guía, o, conculcando las promesas del bautismo, han sacudido el suavísimo yugo de vuestra ley.

Nosostros queremos expiar tan abominables pecados, especialmente la inmodestia y la deshonestidad de la vida y de los vestidos, las innumerables asechanzas tendidas contra las almas inocentes, la profanación de los días festivos, las execrables injurias proferidas contra Vos y contra vuestros Santos, los insultos dirigidos a vuestro Vicario y al Orden Sacerdotal, las negligencias y horribles sacrilegios con que es profanado el mismo Sacramento del Amor y, en fin, los públicos pecados de las naciones que oponen resistencia a los derechos y al magisterio de la Iglesia por Vos fundada.

¡Ojalá que nos fuese dado lavar tantos crímenes con nuestra propia sangre! Mas, entre tanto, como reparación del honor divino conculcado, uniéndola con la expiación de la Virgen vuestra Madre, de los Santos y de las almas buenas, Os ofrecemos la satisfacción que Vos mismo ofrecísteis un día sobre la cruz al Eterno Padre y que diariamente se renueva en nuestros altares, prometiendo de todo corazón que, en cuanto nos sea posible y mediante el auxilio de vuestra gracia, repararemos los pecados propios y ajenos y la indiferencia de las almas hacia vuestro amor, oponiendo la firmeza en la fé, la inocencia de la vida y la observancia perfecta de la ley evangélica, sobre todo de la caridad, mientras nos esforzamos además por impedir que seais injuriado y por atraer a cuantos podamos para que vayan en vuestro seguimiento.

¡Oh benignisimo Jesús! por intercesión de la Santísima Virgen María Reparadora, os suplicamos que recibáis este voluntario acto de reparación; concedednos que seamos fieles a vuestros mandatos y a vuestro servicio hasta la muerte y otorgadnos el don de la perseverancia, con el cual lleguemos felizmente a la gloria, donde, en unión del Padre y del Espíritu Santo, vivís y reináis, Dios por todos los siglos de los siglos. Amen.

ACTO DE DESAGRAVO
AO SAGRADO CORAÇÀO DE JESUS

Dulcíssimo Jesus, cuja infinita caridade para com os homens é dêles tao ingratamente correspondida com esquécimentos, friezas e desprezos, eis-nos aqui prostrados diante do

vosso altar, para vos desagravarmos com especiais homenagens da insensibilidade tão insensata e das nefandas injúrias com que é de tôda a parte alvejado o vosso amorosíssimo Coração.

Reconhecendo porêm, com a mais profunda dor, que também nós mais de uma vez cometemos as mesmas indignidades, para nós em primeiro logar imploramos a vossa misericórdia, prontos a expiar não só as próprias culpas, senão também as daquêles que, errando longe do caminho da salvação, ou se obstinam na sua infidelidade, não vos querendo como pastor e guia, ou, conculcando as promessas do baptismo, sacudiram o suavíssimo jugo da vossa santa lei.

De todos êstes tão deploráveis crimes, Senhor, queremos nós hoje desagravar-vos, mas particularmente da licença dos costumes e imodéstias do vestido, de tantos laços de corrução armados à inocência, da violação dos dias santificados, das execrandas blasfêmias contra vós e vossos Santos, dos insultos ao vosso Vigário e a todo o vosso Clero, do desprêzo e das horrendas e sacrílegas profanações do sacramento do divino amor, e enfim dos atentados e rebeldias oficiais das nações contra os direitos e o magistério da vossa Igreja.

Oh! se pudéssemos lavar com o próprio sangue tantas iniqüidades!

Entretanto para reparar a honra divina ultrajada vos oferecemos, juntamente com os merecimentos da Virgem Mãe, de todos os Santos e almas piedosas, aquela infinita satisfação, que vós oferecestes ao Eterno Pai sôbre a cruz, e que não cessais de renovar todos os dias sôbre nossos altares.

Ajudai-nos, Senhor, com o auxílio da vossa graça, para que possamos, como é nosso firme propósito, com a viveza da fé, com a pureza dos costumes, com a fiel observância da lei e caridade evangélicas, reparar todos os pecados cometidos por nós e por nossos próximos, impedir por todos os meios novas injúrias de vossa divina Majestade e atrair ao vosso serviço o maior número de almas possível.

Recebei, ó benigníssimo Jesus, pelas maos de Maria Santíssima Reparadora, a espontânea homenagem dêste nosso desagravo e concedei-nos a grande graca de perseverarmo sconstantes até à morte no fiel cumprimento dos nossos deveres e no vosso santo serviço, para que possamos chegar todos à pátria bemaventurada, onde vós com o Padre e o Espírito Santo viveis e reinais - Deus - dor todos os séculos dos séculos. Assim seja.

ACT OF REPARATION
TO THE SACRED HEART OF JESUS

O sweet Jesus, Whose overflowing charity for men is requited by so much forgetfulness, negligence and contempt, behold us prostrate before Thy altar eager to repair by a special act of homage the cruel indifference and injuries, to which Thy loving Heart is everywhere subject.

Mindful alas! that we ourselves have had a share in such great indignities, which we now deplore from the depths of our hearts, we humbly ask Thy pardon and declare our readiness to atone by voluntary expiation not only for our own personal offences, but also for the sins of those, who, straying far from the path of salvation, refuse in their obstinate infidelity to follow Thee, their Shepherd and Leader, or, renouncing the vows of their baptism, have cast off the sweet yoke of Thy law.

We are now resolved to expiate each and every deplorable outrage committed against Thee; we are determined to make amends for the manifold offences against Christian modesty in unbecoming dress and behaviour, for all the foul seductions laid to ensnare the feet of the innocent, for the frequent violation of Sundays and holidays, and the shocking blasphemies uttered against Thee and Thy Saints. We wish also to make amends for the insults to which Thy Vicar on earth and Thy priests are subjected, for the profanation, by conscious neglect or terrible acts of sacrilege, of the very Sacrament of Thy divine love; and lastly for the public crimes of nations who resist the rights and the teaching authority of the Church which Thou hast founded.

Would, O divine Jesus, we were able to wash away such abominations with our blood. We now offer, in reparation for these violations of Thy divine honour, the satisfaction Thou didst once make to Thy eternal Father on the cross and which Thou dost continue to renew daily on our altars; we offer it in union with the acts of atonement of Thy Virgin Mother and all the Saints and of the pious faithful on earth; and we sincerely promise to make recompense, as far as we can with the help of Thy grace, for all neglect of Thy great love and for the sins we and others have committed in the past. Henceforth we will live a life of unwavering faith, of purity of

conduct, of perfect observance of the precepts of the gospel and especially that of charity. We promise to the best of our power to prevent others from offending Thee and to bring as many as possible to follow Thee.

O loving Jesus, through the intercession of the Blessed Virgin Mary our model in reparation, deign, to receive the voluntary offering we make of this act of expiation; and by the crowning gift of perseverance keep us faithful unto death in our duty and the allegiance we owe to Thee, so that we may all one day come to that happy home, where Thou with the Father and the Holy Ghost livest and reignest God, world without end. Amen.

SUEHNEGEBET
ZUM HEILIGSTEN HERZEN JESUS

Süssester Jesus, dessen überschwängliche Liebe zu uns Menschen mit soviel Gleichgültigkeit, Nachlässigkeit, Verachtung und Undank vergolten wird, siehe, wir werfen uns hier vor deinem Altare nieder, um die sträfliche Kälte der Menschen und die Unbilden, die sie deinem liebevollsten Herzen allenthalben zufügen, durch einen besonderen Ehrenerweis wieder gut zu machen.

Eingedenk jedoch, dass auch wir einst zur Zahl dieser Unwürdigen gehörten, und durchdrungen von heissem Reueschmerz, erflehen wir vor allem deine Barmherzigkeit für uns selber. Wir sind bereit, nicht nur unsere eigenen Sünden durch freiwillige Busse zu sühnen, sondern auch die Sünden jener, die weit vom Wege des Heiles abirren, die, in Unglauben verstockt, dir als Hirt und Führer nicht folgen wollen, oder ihre Taufgelübde treulos missachten und das süsse Joch deines Gesetzes zu tragen sich weigern.

Wir nehmen uns fest vor, alle diese beklagenswerten Vergehen zu sühnen, insbesondere aber wollen wir gutmachen: alle Unehrbarkeit und Unsittlichkeit im Leben und Treiben, wodurch soviele unschuldige Seelen ins Verderben gezogen werden, die Entheiligung der Sonn- und Feiertage, die abscheulichen Fluchworte gegen dich und deine Heiligen, die Beschimpfungen deines Stellvertreters und des Priesterstandes, ferner die Entweihung des Sakramentes deiner göttlichen Liebe durch Nachlässigkeit oder schändliche Sakrilegien, endlich die öffentlichen Vergehen der Völker, die sich den Rechten und Lehren der von dir gestifteten Kirche widersetzen.

O könnten wir doch diese Sünden mit unserem Blute tilgen! Um indess für die Verletzung deiner göttlichen Ehre einigermassen Ersatz zu leisten, opfern wir dir jene Genugtuung auf, die du selber einst am Kreuze dem Vater dargebracht hast und noch täglich auf den Altären zu erneuern fortfährst, in Vereinigung mit der Genugtuung deiner jungfräulichen Mutter, aller lieben Heiligen und frommen Christgläubigen. Ernstlich geloben wir, die Sünden, die wir und andere begangen haben, sowie die Vernachlässigung deiner grossen Liebe durch Festigkeit im Glauben, Reinheit im Lebenswandel und vollkommene Beobachtung des evangelischen Gesetzes, besonders des Gebotes der Liebe, wieder gut zu machen, soviel wir mit dem Beistand deiner Gnade vermögen. Auch wollen wir uns nach Kräften bemühen, in Zukunft alle Beleidigungen von dir fern zu halten und möglichst viele Menschen zu deiner Nachfolge zu bewegen.

Wir bitten dich, o gütigster Jesus, du wollest durch die Fürsprache und Sühne der allerseligsten Jungfrau Maria dieses freie Angebot unseres Ehrenersatzes wohlgefällig aufnehmen und uns durch die grosse Gnade der Beharrlichkeit in der treuen Hingabe an deinen Dienst bewahren, bis wir endlich alle zu jenem Vaterlande gelangen, wo du mit dem Vater und dem Heiligen Geiste lebst und regierst, Gott von Ewigkeit zu Ewigkeit. Amen.

ANNOTATIONES

SS. Dominus profitetur se ea mente scribere de cultu SS. Cordis, ut quae Christus Dominus conquestus est facta et quae simul optare declaravit, magis innotescerent et minus neglegerentur. Huic amatissimi Pontificis voluntati obsecundandum est. Quare, in his annotationibus:

1. *Schema litterarum encyclicarum restituere conabimur;*

2. *Documenta pietati fidelium proposita exponemus;*

3. *Praescripta memorabimus cum annexis indulgentiis;*

4. *Quos fructus ex litt. enc. sperare liceat nuntiabimus, additis duobus vel tribus notandis memorabilibus.*

I. **Schema et ordo litterarum** (usque ad: « *At certe inter cetera* »).

I. **Introductio.** Opportunitas et momentum cultus SS. Cordis Iesu, demonstrata:

promissa perpetua assistentia Christi;

abolenda peste Ianseniana;

natura istius formae pietatis, quae animum movet ad cognoscendum, amandum et imitandum Christum;

zelo Pontificum;

et incrementis devotionis ad SS. Cor Iesu.

II. **De consecratione ad Cor Iesu** (usque ad verba: « *Verum officiis* »).

Forma ista pietatis carissima est Cordi Iesu.

Apte opponitur machinationibus rebellium quae regno Christi adversantur;

A privato initio S. Margaritae eiusque pietatis magistri, Ven. Claude de la Colombière, crevit in consecrationem familiarum et regnorum, usque ad sollemnem consecrationem totius generis humani, qua simul ius universalis imperii Christo vindicatum est.

Quam vindicationem regni, ut ius Christi et ut felix omen, S. Pontifex complevit instituto festo Christi Regis et imperata annua consecrationis renovatione.

III. **De officio reparationis** (usque ad « *Quae cum ita sint* »).

Propter easdem rationes ac consecratio, reparatio debetur.

Peculiari titulo iustitiae ob peccata expianda, et solacii afferendi Christo patienti, praeterea exhibenda est.

1. *De expiatione.* Haec nobis *imponitur* propter peccata quorum fomes est in nobis a peccato originali, superbe hodie a sapientibus huius saeculi negato;

Sufficientiam habet a Christo, a virtute cruentis eius sacrificii: huic reparationi nos coniungere debemus;

Offerendo cum sacerdote ministro sacrificium eucharisticum in quo cruentum sacrificium incruento modo renovatur, pro nostris et pro totius generis humani peccatis; et immolando amorem nostri et proprias cupiditates.

Huiusmodi expiatio unionem nostram cum Christo inchoat, perficit et consummat.

Semper in cultu SS. Cordis expiatio potissimas partes habuit, ut probant verba Christi, instituta communio reparatrix et Hora sancta.

2. *De solacio afferendo Christo patienti.* Etenim:

Meditando praeterita, pia mens acerbissimos Christi dolores recolit;

Eos novit exantlatos propter peccata omnis temporis, proin etiam propter peccata in praesenti commissa.

Intellegit etiam praesentes reparationes fuisse a Christo patiente praevisas Eique tunc fuisse solacio.

Considerat continuatas Christi passiones in corpore mystico Christi, i. e. Ecclesia.

Necessitatem reparationis urgentem cernit ob publicum bellum indictum Ecclesiae; ob multa vitia etiam privatorum; praecipue incredulitatem et sacrilegas communiones.

3. *Tradita doctrina confirmatur* crescentibus studiis expiandi tum privatis singulorum, tum collectivis familiarum religiosarum et consociationum, tum publicarum protestationum.

IV. **Conclusio:** praescripta et vota Pontificis.

Similia disponere volens quae iam de consecrationis ritu fieri iussit, S. Pontifex praecipit annuam renovationem formulae reparationis, in festo SS. Cor-

dis Iesu, quod quidem non instituit, sicut instituit Festum Christi Regis, sed novo honore auget dum eidem octavam celebrationem addit.

Ex his praescriptis magnam spem concipit; optata autem sua roborat supplici prece ad B. M. Virginem.

Ordo rerum.

Ex summaria nostra analysi haec brevis ratio totius oeconomiae enc. litterarum colligi posse nobis videtur.

A generali demonstratione opportunitatis et momenti devotionis erga SS. Cor Iesu, oratio S. Pontificis deflectit ad considerandam istius religionis formam quam principalem appellare non dubitat, i. e. ad consecrationem (1). In hac autem deprehendit geminata obsequia, dicationis Christo Regi, et reparationis pro neglecto vel despecto Eius principatu. Cum autem, instituto Festo Christi Regis et tunc sollemniter renovata consecratione, obsequium dicationis perfecisset, nunc obsequium reparationis ad fastigium ducere proposuit, indicta sollemniore, propter octavam, celebratione festi SS. Cordis et praescripta annua recitatione formulae reparationis.

II. Documenta pietati fidelium proposita.

1. Fideles in primis docentur maioris facere devotionem ad SS. Cor Iesu, cuius S. Pontifex opportunitatem demonstrat et summum valorem profitetur. Eam Leo XIII extulerat ut signum salutis et victoriae; SS. D. Pius Pp. XI in ea celebrat summam religionis et normam perfectioris vitae.

---

(1) De hac fuse egimus initio nostri operis: *Pratique et Doctrine de la Dévotion au S. Coeur.*

Ac iure quidem et merito. Nonne in Deo et Redemptore omnis religio consistit? In Deo et Redemptore cognoscendo et consequenter amando amore qui cum ista cognitione congruat? Nonne autem in Christo reperimus Deum et Redemptorem? Et nonne cultus SS. Cordis est cultus totius Christi, sicut, nostram sortem miseratus, se nobis revelavit amantem?

Perfectio autem, cum non sit extra praeceptum caritatis quaerenda (2, 2. q. 184 art. 3), non est nisi penitior cognitio « solius Dei veri et quem misit Iesum Christum », et fervor amoris. Quare in religione quae intimam coniunctionem cum Christo consectatur, continetur etiam norma seu secretum vitae perfectioris.

2. Fideles fugiendum docentur spiritum iansenianum, qui, antiquum servitutis timorem restituere visus, Deum ut implacabilem iudicem pertimescebat, potius quam in Ipso diligeret patrem, suavi patris nomine compellandum.

3. Fideles magis conscii fiunt altae significationis consecrationis, qua retundunt blasphemam repulsam eorum qui nolunt ut Christus regnet, et plenam ultroneamque subiectionem profitentur, toto animo cupientes « Adveniat regnum tuum ».

4. Ipsum reparationis officium recte intellegere discent: quantum ex parte rei sit necessarium; quomodo simus per nos ei praestando impares; qua ratione Christus illud perfecte expleverit, ita tamen ut quod nomine nostro fecerit voluerit etiam per nos fieri; ac proinde quo spiritu coniungi debeamus incruentae renovationi sacrificii Propitiationis quae in Missa peragitur.

Cognoscent etiam qua vi officium istud reparandi cultu SS. Cordis Iesu urgeatur, addita suavissima ista causa impulsiva, solacii offerendi SS. Cordi Iesu.

Nec praetermittitur hic explicatio studii quod, pri-

ma specie, videtur vix capi posse, studii, inquam, solandi Christum beatissimum.

Id addere nobis liceat. Si non insistas in notione solacii, sed mere fruitionis, Christus Homo etiam nunc in humana natura sua, grata percipere potest et hic et nunc vere delectari de fideli famulatu suorum. (1)

5. Quod hodie, ne perperam intellegeretur, nimis fortasse omittebatur in libris et contionibus, S. Pontifex explicite tradit, praeter sacerdotium ministeriale, quod proprium est eorum qui ad id ordinantur, exsistere regale sacerdotium commune omnium christianorum.

6. Fideles tacite invitantur ad aemulandas familias religiosas et consociationes quae studia reparationis fovent.

7. Obiter sed perbelle ipsis exponitur dignitas Mariae ut Reparatricis et Mediatricis.

III. **Praescripta cum indulgentiis.**

I. S. Pontifex addit ad festum SS. Cordis Iesu celebrationem octavae. Inde certe augetur Festi dignitas ; non ita tamen, cum de re sileat SS. Dominus, ut evadat festum primarium. Quocirca etiam ordine cedet, ut antea, festis et octavis S. Ioannis Baptistae et Apostolorum Petri et Pauli, quatenus simul occurrant vel cum isto Festo seu eius octava concurrant.

Neque octava pronuntiatur privilegiata : erit ergo communis, nisi postmodum aliud declaretur vel decernatur.

II. Iubet ut tunc *in omnibus templis, quam late patet terrarum orbis*, precatio piacularis, secundum exemplar litteris enc., subiectum, sollemniter recitetur.

Quam late patet : dixeris etiam ad Orientales Ec-

---

(1) Cfr nostrum opus *Pratique et Doctrine de la dévotion au S. Coeur de Jésus;* 6 éd. t. II, p. 114 et S. THOMAE P. I, q. 62 art. 9 ad 3.

clesias praeceptum istud pertinere. Deficiente tamen expressa earum mentione, id non constat.

Ipse Pontifex dein, in audientia Card. Paenitentiario maiori, die 1 iunii 1928 impertita, christifidelibus qui recitationi precationis piacularis cum Litaniis SS. Cordis coram SS. Sacramento sollemniter exposito in qualibet ecclesia aut oratorio, etiam (pro legitime utentibus) semipublico, astiterint, concessit indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, vel plenariam, si praeterea confessionem peregerint et S. Communionem rite susceperint. Privatae autem recitationi in quolibet loco et qualibet die, concessit indulgentiam trecentorum dierum; plenariam semel in mense, iis qui per integrum mensem praedictum Actum elicuerint, et insuper ecclesiam aut publicum oratorium visitaverint et confessionem et s. communionem receperint.

De istis indulgentiis haec observanda veniunt:

1. S. Pontifex expressis verbis simul *supprimit* similes indulgentias quae pro actu sollemnis dedicationis humani generis SS. Cordi Iesu ad *libitum* eliciendo concessae fuerant. I. e., postquam litteris *Quas primas*, 11 dec. 1925 (*Per.* t. 14, 129 ss.) praescripsit ut formula Consecrationis generis humani ad SS. Cor quotannis in Festo Christi Regis sollemniter recitaretur, S. Rit. C. interrogata est utrum necne etiam in Festo SS. Cordis Iesu, sicut antea, consecratio ista peragenda foret. Respondit autem, die 27 april. 1926, « Ad libitum ». Inde, *Per.* XV, 163-165, existimavimus indulgentias Consecrationi generis humani coniunctas tam in festo SS. Cordis Iesu quam in festo Christi Regis lucrandas prostare. Et recte quidem. Etenim interpretatio ista indirecte confirmatur nunc expressa declaratione qua modo istae indulgentiae negantur Consecrationi quae in festo SS. Cordis Iesu licite quidem sed ad libitum perageretur.

2. Actus recitandus est coram Sanctissimo *sollem-*

niter exposito : ergo extra Tabernaculum, in ostensorio.

3. In condicionibus ad lucrandam indulgentiam plenariam quae astantibus recitationi sollemni, coram SS. *solemniter* exposito, conceditur in Festo SS. Cordis Iesu, non ponitur oratio ad mentem S. Pontificis. Quod consulto esse factum suspicamur, quia recitando istam formulam reparatricem, iam oratur ad mentem S. Pontificis.

4. Indulgentia plenaria annexa functionibus plerumque lucranda est in ecclesia publica. Hic sollemnis caerimonia celebrari potest etiam in oratorio semi-publico. Additur : « Pro legitime utentibus ». Vix autem reperias qui oratorio semi-publico non legitime utatur, praeter eos fortasse qui fraudulenter vel vi illuc penetraverint. Sed clausula videtur potius respicere legitimam ipsius oratorii erectionem, quae postulat approbationem Ordinarii.

5. *De indulgentiis concessis recitationi privatae* formulae piacularis, haec notanda veniunt.

Indulgentiae partiali haec sola condicio exigitur ut formula recitetur. Si quaeras utrum indulgentia ista obtineri possit totiens quotiens an semel tantum in die, canon 928 § 2 respondet : « partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, saepius per diem, eodem opere repetito, potest lucrifieri ».

Indulgentia autem *plenaria* quae lucranda offertur iis qui cotidie per mensem formulam recitaverint subordinatur praeterea his aliis condicionibus ut visitatio instituatur ecclesiae vel oratorii *publici* (hic igitur non sufficit visitatio oratorii semi-publici), et recipiantur sacramenta confessionis et communionis. Visitatio ista non cotidie sed semel in mense peragenda est ; confessio et communio ubique fieri possunt.

Neque pro partiali neque pro plenaria indulgentia postulatur oratio ad mentem S. Pontificis, propter mox indicatam rationem.

IV. Fructus sperandi ex litteris encyclicis earumque praescriptis.

In primis ex pulcherrimis istis litteris sperandum se offert *incrementum intensivum et extensivum* cultus SS. Cordis Iesu.

Intensivum, inquam, ex ipsa divisione obiecti materialis cultus in duas partes, quibus singulis festum speciale addicitur: festum SS. Cordis Iesu, ut festum amoris expiantis; festum Christi Regis, ut festum amoris honorantis et glorificantis.

Extensivum, addimus, quia per totum annum commendatae devotiones Horae sanctae et communionis reparatricis ignem alent qui, in ipso Festo SS. Cordis, in vivam flammam erumpet; dum sollemnes protestationes consecrationis et omnia festa sanctorum viam munient ad splendidam celebrationem festi Christi Regis, qui, ut Rex regum ac proin Sanctorum omnium glorificatur.

Accedit *maior illuminatio* ipsius pietatis ex distinctiore conceptu utriusque principalis officii quo erga SS. Cor Iesu fungi debemus.

Fructus litterarum encyclicarum etiam iste colligendus est ut fideles, magis conscii sui sacerdotii, maiore devotione SS. Missae participent et vitam magis supernaturalem agere velint.

Notabilia addenda.

1. Mira fiducia S. Pontificis animos etiam nostros erigere debet. In tot rebus adversis, immo calamitosis, S. Pontifex declarat se etiam ob hanc rationem Festum Christi Regis instituisse, ut iam nunc praeciperemus gaudia illius diei auspicatissimi « quo die omnis orbis libens volensque Christi Regis suavissimae dominationi parebit ».

2. Fere expressis verbis S. Pontifex nobis pandit suum consilium honorandi per litteras encyclicas *Miserentissimus Redemptor*, Christum patientem et Reparantem, sicut per litteras *Quas primas,* regiam Christi dignitatem honestavit; et sic complendi inceptum opus perfectae exaltationis religionis SS. Cordis, ut sollemnitas reparationis et expiationis congrueret cum sollemnitate consecrationis.

Id etiam observari potest. Diu S. Ecclesia SS. Eucharistiae institutionem mere celebravit in Feria V in Cena Domini. Sed quia tunc, ut ait S. THOMAS (in lect. 4 pro Feria VI infra octavam SS. Corporis Christi), excepta sollemni missa, « totum residuum eiusdem diei officium ad Christi passionem pertinet... ut integro celebritatis officio institutionem tanti sacramenti recoleret plebs fidelium, Romanus Pontifex URBANUS quartus, huius sacramenti devotione affectus, pie statuit praefatae institutionis memoriam prima quinta Feria post Octavam Pentecostes a cunctis fidelibus celebrari ».

Nonne simili modo, glorificatio Christi Regis aliqua ratione impediebatur cultu expiationis qui etiam, eadem die festa SS. Cordis, erat Christo exhibendus; ac propterea S. Pontifex PIUS PP. XI consecrationem Regi aptissime celebrandam statuit alia die, et Festum SS. Cordis Iesu totum actui piaculari reservavit?

38. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Chirographus (1) 2 maii 1928

DE GYMNICA ATHLETICA PUELLARUM DEMONSTRATIONE IN URBE

(A. A. S. 4 maii 1928, XX, 135)

Signor Cardinale (2),

Ratio mittendi has litteras Em. Card. Vicario.

A Lei, Vicario Nostro in questa Roma che è insieme e il centro della Cristianità e la Nostra Sede episcopale, dobbiamo rivolgere una parola a proposito del « Primo Concorso Ginnico Atletico Nazionale Femminile „ Giovani Italiane „ » che qui stesso avrà luogo nei prossimi giorni 4, 5 e 6, ancora sulle soglie del mese particolarmente sacro a Maria. Lo facciamo con molta pena; ma dopo aver molto pensato e pregato sentiamo di soddisfare, facendolo, ad un sacro dovere del ministero apostolico demandatoci da quel supremo Pastore e Signore delle anime che Ci ha a giudicare: dovere di Vescovo di Roma qual'è e sarà sempre il successore di S. Pietro, dovere di Vescovo dei Vescovi e dei fedeli di tutto il mondo. Nell'una e nell'altra qualità, la Nostra parola purtroppo non può essere che di deplorazione.

Cur qua Episcopus Romanus non possit non dolere istam exhibitionem contrariam verecundiae muliebri.

Il Vescovo di Roma non può infatti non deplorare che qui nella città santa del Cattolicismo, dopo venti secoli di cristianesimo, la sensibilità e l'attenzione ai delicati riguardi dovuti alla giovane donna ed alla fanciulla siasi mostrata più debole che non nella Roma pagana, la quale, pur discesa a tanto sca-

---

(1) Ad Em. Card. POMPILI, Vicarium Urbis

(2) *I. e. latine.*

Tibi, Vicario Nostro in hac Urbe Roma, quae simul centrum est christianitatis et Sedes Nostra Episcopalis, destinare verbum debemus per occasionem Primi Concursus Gymnici Athletici, Nationalis, Feminei « Giovani Italiane » (Puellae Italicae), qui hoc ipso loco habebitur in proximis diebus 4, 5, et 6, i. e. in limine mensis peculiariter dicati Mariae. Loqui nobis valde molestum est, sed post multam meditationem et orationem, conscii nobis sumus, Nos, dum loquimur, explere sacrum officium ministerii apostolici quod nobis commisit supremus iste animarum Pastor et Dominus qui nos iudicaturus est; officium, inquam, Episcopi Romani, qualis est et semper erit successor S. Petri, officium Episcopi Episcoporum et fidelium totius mundi. Utroque titulo, verba, proh! dolor, non possunt esse nisi lamenta.

Et re quidem vera Episcopus Romanus non potest non dolere quod hic, in sancta civitate catholicismi, post viginti saecula christianismi, sensus et respectus delicatarum cautionum quas iunior femina et puella sibi postulat, ap-

dimento di costumi, adottando dalla vinta Grecia i pubblici ludi e concorsi ginnici ed atletici, per motivo di ordine fisico e morale di puro buon senso, ne escludeva la giovane donna, esclusane del resto anche in molte città della stessa Grecia tanto più corrotta. Non accade davvero esporre od anche solo sommariamente richiamare quei motivi: furono già molte volte esposti: padri, madri ed insegnanti, non prevenute e fuorviate da teorie esagerate e false o da motivi affatto estranei alla buona e sana pedagogia, li intuiscono e sentono come per naturale istinto; ne apprezzano e gustano la bellezza e la preziosità soprannaturali quanti assiste ed illumina quel *sensus Christi,* che è come l'anima dell'anima cristiana. Per questo diciamo anche Noi col Profeta (Is. 62, 1): *Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam.*

Cur qua Episcopus Episcoporum et fidelium totius mundi reclamare debeat, ne videatur recessisse a sententia qua probavit reclamationes antistitum.

Il Vescovo dei Vescovi e dei fedeli di tutto il mondo non può dimenticare mai, meno che mai in circostanze come questa, di essere il primo fra i custodi da Dio dati alla nuova Gerusalemme e dei quali sta scritto (Is. 62, 6) che giorno e notte in perpetuo non taceranno: *Tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Invero i fedeli di tutto il mondo non potrebbero che sentirsi, a dir poco, confusi e sconcertati, se Ci trovassero del tutto silenziosi, mentre avviene sotto gli occhi Nostri quello contro di cui, dovunque si è, anche in giorni non lontani, avverato, hanno levato la voce i Sacri Pastori, da Noi approvati ed incoraggiati. E questi stessi Sacri Pastori e Venerabili Fratelli Nostri potrebbero nel Nostro silenzio trovare

---

paruerint debiliores quam in Roma pagana, quae, etsi ad tam depravatos mores descenderat, dum publicos ludos et concursus gymnicos et athleticos a devicta Graecia mutuata erat, suadente ordinis physici et moralis ratione, simplici sensui communi manifesta, his arcebat iuniorem feminam, quae ceterum etiam in multis civitatibus ipsius Helladis multo magis corruptae, inde excludebatur. Non est, re vera, cur rationes istas exponamus vel etiam summarie memoremus: saepius iam expositae sunt: patres, matres, et magistrae, nisi animum gerant praeoccupatum vel deceptum theoriis amplificatis et falsis, vel motivis penitus a bona et sana paedagogia alienis, easdem quasi naturali instinctu intuentur et percipiunt; qui autem *sensu Christi*, i. e. quasi anima animae christianae, iuvantur et illuminantur, venustatem et pretium supernaturale earundem rationum apprehendunt et gustant. Ideo repetimus dicta prophetae (Is. 6. 2, 1) *Propter Sion non tacebo et propter Ierusalem non quiescam.*

Episcopus Episcoporum et fidelium totius mundi numquam, et minus quam umquam in his adiunctis, immemor esse potest se primum esse ex custodibus qui novae Ierusalem dati sunt et de quibus scriptum est (Is. 62, 6): « Tota die et tota nocte, in perpetuum non tacebunt ». Re vera fideles totius mundi non possent quin se experirentur, ut parum dicamus, confusos et perturbatos, si nos prorsus silentes reperirent, quando sub oculis nostris id accidit contra quod, ubicumque fuerit, et non ita pridem, vocem miserunt sacri Pastores a

ben penoso motivo a dubitare che sia mutato il Nostro sentire e giudicare a loro riguardo. È bensì vero che non si vogliono qui ripetere le audacie o piuttosto le sconvenienze altrove lamentate e Ce ne danno speranza le precauzioni prese e le istruzioni fino all'ultima ora impartite dagli organizzatori responsabili; ma la natura e la sostanza delle cose permangono pur sempre le stesse, con le accennate aggravanti del luogo e dei precedenti storici; permane sempre il vivo contrasto con le speciali delicate esigenze della educazione femminile, immensamente più delicate e rispettabili quando questa educazione vuole e deve essere educazione cristiana. Nessuno può pensare che questa escluda o meno apprezzi tutto quello che può dare al corpo, nobilissimo strumento dell'anima, agilità e solida grazia, sanità e forza vera e buona; purchè sia nei debiti modi e tempi e luoghi; purchè si eviti tutto quello che male si accorda col riserbo e con la compostezza che sono tanto ornamento e presidio della virtù; purchè esuli ogni incentivo a vanità e violenza. Se mano di donna si deve alzare, Ci auguriamo e preghiamo che sia sempre e solo in atto di preghiera e di benefica azione.

Cautiones non mutant rei substantiam.

Quid postulet, permittat recta puellarum institutio.

Anche più largamente e prima d'ora Ci saremmo intrattenuti con Lei, signor Cardinale, in argomento così alto ed importante, se prima d'ora avessimo potuto avere e conoscere il definitivo di quanto veniva preparandosi. A questi pochi e rapidi riflessi Ci costringe limitarci la angustia del tempo.

Temporis angustia breviter dicere cogitur.

Nobis approbati et stimulati. Ipsi autem Sacri Pastores et Venerabiles Fratres Nostri possent in Nostro silentio rationem valde luctuosam reperire dubitandi ne aliter de ipsis sentire et iudicare incepissemus. Verum quidem est, voluntatem in praesenti non esse iterandi audacias vel potius indecora alibi collacrimata, idque a Nobis sperari posse ex cautionibus adhibitis et documentis ad ultimum usque momentum datis ab ordinatoribus et sponsoribus; eaedem tamen manent natura et substantia rerum cum memoratis adiunctis aggravantibus loci et anteriorum factorum historicorum; manet semper vivida repugnantia contra specialiter tenera postulata educationis femineae, quae infinite teneriora et magis observanda sunt, cum educatio ista vult et debet esse institutio christiana. Nemo putare potest per eam excludi vel minoris fieri quidquid corpori, nobilissimo animae instrumento, agilitatem et firmam elegantiam, sanitatem et verum bonum vigorem conferre possit, dummodo evitentur haec omnia quae male conveniunt cum modo et modestia quae tanto sunt ornamento et praesidio virtutis; dummodo omne fomentum vanitatis et violentiae absit. Si muliebris manus attollenda sit, nobis optamus et oramus ut semper et solummodo in fundenda prece et benefica actione attollatur.

Fusius et maturius, Tecum, domne Cardinalis, de argumento tam alto et gravi conversati essemus, si copia fuisset Nobis prius comparandi et cognoscendi quaenam ex iis quae praeparabantur certo definita forent. Temporis angustia Nos cogit ut in pauca haec festinanter cogitata sermonem contrahamus.

[38]

Benedictio Apostolica.

Ben di cuore Le inviamo con essi, auspice d'ogni bene, l'Apostolica Benedizione.

PIUS PAPA XI

Dies (2 maii 1928).

Nell'Ottava del Patrocinio di S. Giuseppe, festa di S. Atanasio, 1928.

ANNOTATIO

Epistolae isti occasionem dederunt ludi circenses puellarum totius Italiae in stadio Urbis, cautione tamen sumpta de modesto vestitu, indicti in 5, 6 et 7 diem mensis mais.

---

39. — S. C. Pro Ecclesia Orientali.

Declaratio 26 maii 1928

VIS PRO ORIENTALIBUS DECRETORUM S. OFF. DE LIBRIS ET DIARIIS

(A. A. S. 1 iun. 1928, XX, 197)

Quaesitum.

Cum quaesitum fuerit a nonnullis, utrum Orientales teneantur, sicut ceteri, decretis damnationis *librorum et diariorum* a Suprema Sacra Congregatione S. Officii editis, et specialis mentio facta sit de prohibitione ac poenis irrogatis in illam quam dicunt « Action Française », Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali declarat praefata decreta omnes cuiuscumque ritus fideles attingere seu eodem modo obligare, quippe quae potius quam disciplinam, directe spectent doctrinam Ecclesiae.

Declaratio.

Eius causa.

Vult enim S. Mater Ecclesia huiusmodi decretis fidem ac mores servare atque tueri et ad hoc Codex iuris, canone 1396, aperte statuit ac sancit libros a Sede Apostolica damnatos *ubique locorum et in quodcumque vertantur idioma* prohibitos censeri.

Dies (26 maii 1928).

Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Pro Ecclesia Orientali, die 26 Maii 1928.

ALOISIUS Card. SINCERO, *Secretarius.*

L. ✠ S. H. I. CICOGNANI, *ad interim Ads.*

Simul cum istis mandamus Tibi Apostolicam Benedictionem, ut omen omnis boni.

PIUS Pp. XI

In die octava Patrocinii S. Ioseph, festo S. Athanasii 1928.

ANNOTATIONES

I. Animadvertas declarationem non esse datam nisi de decretis damnationis librorum et diariorum quae a Supr. C. S. Officii eduntur, quamvis ceterae etiam Congregationes, ob peculiarem causam, huiusmodi decreta ferant. Ita, recens, S. C. Concilii prohibuit ephemeridem *La Sentinelle* (Cfr infra, n. **41,** p. 138).

II. Decreto isto confirmatur sententia quae negat can. 9 de vacatione legum ad ista decreta traduci posse.

N. B. Fac observes, S. C. pro Ecclesia Orientali iam, mutato ordine praecedentiae, alio loco poni inter SS. Congregationes, Dum enim, in Codice, can. 257, post omnes alias numeratur, nunc, ab ineunte mense martio huius anni, iam omnibus Congregationibus praecedit, praeter Supremam Congr. S. Officii et S. C. Consistorialem. Cuius praecedentiae haec facilis ratio dari potest, quod ei, sicut duabus aliis Congregationibus, mox citatis, praeest ipse S. Pontifex.

---

40. — S. Congr. Concilii.

Resolutio 12-20 nov. 1927

DE IURE FUNERUM IN COEMETERIO MUNICIPALI

(A. A. S. 4 maii 1928, XX, 142)

Apuana. *Funerum. Die 12 Novembris 1927*

Condicio coemeterii municipalis.

SPECIES FACTI. — Communale - ut aiunt - coemeterium civitatis Apuanae situm materialiter est in territorio paroeciae cathedralis B. M. V. sideribus receptae: nulla tamen auctoritate ecclesiastica est conditum, immo cum etiam acatholicorum corpora ibi tumulentur, nec rituali benedictione donatum est, sed tumuli et fossae singillatim benedici solent. Fere ab eius institutione, post hominum memoriam, nonnulli etiam christifi-

Usus paroeciae suburbanae.

deles *suburbanae* paroeciae B. M. V. ab Angelo salutatae - quae quidem paroecia finitima est territorio paroeciae urbanae S. Petri, *et proprium habet coemeterium*, sed iam angustum, squalens et incommodum - facile obtinuerunt ut in praefato communali coemeterio Apuano sepelirentur: sive quod ibi exstet sepulcrum maiorum seu familiae, sive quod ante mortem suam patefecerint voluntatem ut ibidem eorum corpora deponerentur, sive demum heredes ipsorum ita perfici curarent. In hisce casibus, obtenta per heredes venia ab auctoritate communali, absque ulla difficultate, non secus ac parochi ceterarum quatuor civitatensium paroeciarum, parochus suburbanus SS.mae Annuntiatae, peracto funere in sua ecclesia, cadavera suorum associabat ad coemeterium communale, vel saltem, - in casu sepulturae electivae, aut de parentum arbitrio decretae, - usque ad limites paroeciae cathedralis B. M. V. assumptae. Id tamen non patitur novus praepositus-parochus huius ecclesiae cathedralis, qui ratus hac ratione laedi can. 1218-1230, 1232 Cod. iuris can., signanter vero can. 1230, 7⁰ de iure ecclesiae cathedralis, annuente suo R.mo Ordinario, postulavit a Sacra Concilii Congregatione declarari utri ius exsequias peragendi et associandi cadavera in casu competeret. Praehabitis itaque duorum Consultorum votis, E.mis Patribus dubia quae sequuntur proposita sunt:

Reclamatio parochi eccl. cathedralis.

Dubia proposita.

« I. - An parocho SS.mae Annunciatae ius exclusivum competat sepulturae ecclesiasticae sui paroeciani qui sepulchrum habeat in municipali coemeterio in casu? ».

« II. - An idem exclusivum ius eidem parocho competat si suus paroecianus tumulationem ibidem elegerit in casu? »

Argumenta parochi reclamantis.

Synopsis disceptationis. — Praepositus-parochus ecclesiae SS. Assumptae (cathedralis) in hoc potissimum intentionem suam fundat, quod coemeterium de quo agitur, a parocho SS. Annuntiatae, quae paroecia diversum coemeterium habet, non possit haberi ut suum propriumque, sed potius ut alienum: adeo ut, licet suus paroecianus ibidem sepulturam elegerit, vel etiam ibidem proprium sepulcrum aut familiare habeat, semper tamen parochus SS. Annuntiatae prohiberetur in alieno coemeterio functiones suas explere, in quo nempe extraneus censetur, secus ac parochi civitatenses, qui singuli in eodem coemeterio ut in suo proprio exercent iura et officia sua. Tum, itaque, si cadaver illuc mittendum est, ubi sive elegerit defunctus suam sepulturam, sive sepulcrum suorum habeat, subintrat in casu ius can. 1230, 7⁰, seu parochus ecclesiae cathedralis

habendus est, ad effectum saltem sepulturae, utpote parochus proprius defuncti. Nec solum ad effectum sepulturae, cum immo, ad normam can. 1218 § 1 et 1232 § 1, *ubi cadaver commode asportari possit*, parochus sepulturae valeat omnino illud auferre ad suam ecclesiam pro exsequiis, et inde ad coemeterium associare (1231 § 2). Secus sentire, ita interpretatur praepositus parochus, idem esset ac delere ex Codice can. 1223, 1229.

Eorum refutatio.

Verum - ex adverso argumentatur - in hac demonstratione plura permixta ac confusa sunt, quae immo sunt probe et penitus discernenda.

Relatio iuridica paroeciarum ad coemeterium municipale.

Et in primis, certum est nullum speciale ius parocho SS. Assumptae esse in coemeterium communale Apuanum, eo quod hoc materialiter situm sit in territorio suae paroeciae. Siquidem, ut pluries censuit haec Sacra Congregatio, signanter in Derthonen. 24 Maii 1821, in Ariminen., 14 Maii 1825, « communia coemeteria, causa publicae valetudinis, subrogata fuerunt singulis ecclesiarum sepulturis. - Ecclesia proinde quae ius habebat tumulandi in propriis sepulturis, nunc ius istud exercet in publico coemeterio: ideoque non sublatum ius fuit, sed variatus locus: quod profecto non impedit emolumentorum perceptionem et ius peragendi exsequias ». Hinc « ius ecclesiae paroeciae in qua coemeterium situm est » in Codice, quoad extraneos, tantum asseritur intra limites can. 1230 § 7 fin. Qui limites arctissimi sunt, utpote qui contineant normam omnino *suppletivam*, tunc adhibendam cum nulla ex praecedentibus iuris sanctionibus in casum quadrat, et potissimum cum parochus defuncti proprius nec adest, nec potest suum ius exercere, et ideo ecclesiae cathedrali, vel paroeciae loci, id tantum conceditur quod in casu parochus proprius nequit: v. g. si cadaver naufragi undis maris in littore extraneo exponatur, vel si parochus proprius peragere potuit solummodo, aut de facto peregit solas exsequias (cf. S. C. Concilii in Novarien., 27 Maii 1893, 21 Iun. 1895; in Asten., 26 Ian. 1907, quoad defunctos quorum cadavera *ferreo cursu* translata fuerant ad aliam civitatem). Ceterum etiam in can. 1230 § 7 adiicitur: « nisi aliud ferat loci consuetudo », quod revera obtinet in casu nostro, ubi contraria observantia obliteratum apparet ius ecclesiae cathedralis.

Vis can. 1230 § 7.

Ius paroeciae in funus.

Re quidem vera, ex can. 1216 § 1: « iure ordinario ecclesia in quam cadaver pro funere deferri debet est ecclesia propria paroeciae defuncti »: dicitur autem « iure ordinario » quia iuribus parochi derogari potest vel iure particulari, vel privilegio, vel consuetudine, vel, ut est in ipso canone, privata eademque

legitima defuncti electione: semper tamen haec certa omnino sint oportet: nam in quolibet dubio « ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevalere debet ». In casu autem certum est nullum intercedere privilegium, nullamque consuetudinem: quae immo adest explicita in favorem parochi proprii, ut ex facti specie depromitur. Tantum haec duo opponuntur: sepulcrum familiare seu gentilitium, electa sepultura. Verum, ut de hac altera statim dicamus, electio defuncti potest cadere vel in solam ecclesiam funeris, vel in solum coemeterium sepulturae vel in utrumque simul. Nam ecclesia funeris, et coemeterium sepulturae, saepe saepius de facto separantur, et in Codice iuris canonici separabilia exhibentur (can. 1223-1227; immo in sensu can. 1205 § 2, separanda), ea tamen lege, ut, ex can. 1231, qui decesserit non electa sepultura, nec habeat sepulcrum maiorum, sepeliri debeat in coemeterio ecclesiae funeris. Posita, in casu, mera electione *sepulturae*, ad mentem can. 1228, nihil aliud inde sequitur quam ius et obligatio sepeliendi cadaver in loco electo « dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet », qua clausula, ut supra ostensum est, nullo modo asseritur ius aliquod vetandi seu interveniendi ex parte parochi vel ecclesiae in cuius territorio coemeterium situm est: multo minus eadem adimitur proprio parocho ius funerandi in casu.

Vis electionis sepulturae.

Quid efficiat sepulcrum maiorum.

Quod autem attinet ius sepulcri *proprii* in coemeterio a defuncti familia comparati, probe distinguendum est, cum Codice, sepulcrum *particulare*, de quo in can. 1209 dicitur obtineri posse *in* coemeterio « ex licentia scripta Ordinarii loci » a sepulcro *maiorum* seu familiari seu gentilitio, de quo in can. 1208 § 3 dicitur permitti posse ab Ordinario loci *extra* coemeterium: illud quippe nullum praeterea gignit ius, quam ut cadaver in eo sepeliatur si illuc commode asportari possit, vel si illuc transferatur susceptis ab heredibus translationis expensis iuxta can. 1229 § 1; istud quoque, seu gentilitium *per se* non aliud postulat, licet facilius praesumatur hoc in casu electa etiam *funeris* ecclesia ad mentem cann. 1223-1227. Sed in casu nostro agitur tantum, ad summum, de sepulcro particulari acquisito *in* coemeterio: diximus *ad summum*, nam in facti specie explicite excluditur intercessisse in hac acquisitione vel constitutione sepulcri « scriptam licentiam Ordinarii loci », quam exigit can. 1209 iuxta pluries resoluta in hac Sacra Congregatione, praesertim in Clavaren., *Funerum*, 17 Iunii 1905, de *canonica* erectione huiusmodi sepulcri. Cfr Pirhing, in lib. III, tit. 28, § 3, n. 24; Barbosa, *de off. et pot.*

Distinctio a sepulcro particulari in coemeterio.

par., p. III, c. 26, n. 9, et Gennari, apud *Monit. Eccl.*, XVII, 349, qui concludit: « Quando non vi ha permesso del Vescovo non vi ha nemmeno canonica erezione di sepolcro; molto meno può dirsi canonicamente eretto senza cotal permesso in un pubblico camposanto. Imperocchè quantunque cogli odierni cimiteri non si rechi pregiudizio al diritto delle chiese tumulanti, pure un sepolcro gentilizio eretto in esse, non apparterrebbe a nessuna chiesa, quando non ci fosse una determinazione dell'autorità ecclesiastica: molto meno poi, se, come nel caso, il cimitero fosse eretto dall'autorità laica, senza dipendenza da quella ecclesiastica, e meno ancora quando nel pubblico cimitero non vi fosse luogo diverso per gli acattolici », et citat ad rem ex recentioribus Berardi, *de par.*, 770, Alberti, *de sepult. eccl.*, n. 21; ex quorum doctrina satis evincitur cautissime omnino, cum agitur de hodiernis publicis coemeteriis laicalibus, procedendum esse in deducendis can. 1228 et 1229, praesertim ad effectum can. 1231.

Vis can. 1231 § 2.

Nec regerere valet distinctio coemeterii, quoad parochum proprium, *sui* aut non *sui:* quia revera, ad excludendum ius immo officium ex can. 1231 § 2 incumbens ei « qui in ecclesia exsequias peregit » non adducitur nisi « gravis necessitatis causa », nec alia fit distinctio nisi de eo « an commode (pedestri itinere [can. 1218 § 1]) asportari possit », necne (can. 1232 § 2), servatis nempe norma et modo in can. 1218 praescriptis. In casu autem paroecia suburbana Ss.mae Annuntiatae finitima dicitur paroeciae urbanae, adeo ut ad communale coemeterium omnino commodum sit iter iuxta praefatam normam: quoties igitur, non electa alibi ecclesia, funeris, cadaver paroeciani sive iure sepulcri sive ob electam sepulturam in coemeterio communali condendum sit, libere poterit parochus proprius, post expletum funus in sua ecclesia, illuc cadaver deducere, cum stola et elata cruce etiam per paroeciam interpositam (can. 1232 § 1).

Dies comitiorum (12 nov. 1927).

RESOLUTIO. — Propositis in plenariis comitiis Sacrae Congregationis Concilii, in Palatio Apostolico Vaticano habitis die 12 Novembris 1927, dubiis supra relatis, E.mi Patres responderi mandarunt: *Affirmative ad utrumque.*

Approbatio SS. 20 nov. 1927.

Quam resolutionem SS.mus Dominus Noster Pius divina Provid. Pp. XI, referente infrascripto Secretario in Audientia diei 20 insequentis, approbare et confirmare dignatus est.

† IULIUS, Ep. Lampsacen., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Praesens Resolutio momento suo non caret, cum ex causae disceptatione hodiernum ius sepulturae non parum illustretur, praecipue pro locis (qui permulti sunt) ubi coemeterium civili potestate erectum et possessum sit; et ex ipsa Resolutione, genuina cuiusdam canonis interpretatio authentice confirmetur. Ceterum perlucida expositio Ill. Secretarii diffusos commentarios superfluos reddere videtur. Itaque:

II. *De illustrato hodierno iure sepulturae.*

1. Constat hodie, ex verbis can. 1223-1227 et mente Codicis, ecclesiam funeris et locum sepulturae separari posse, saepe re vera separari, immo, ut acute Ill. D. Secretarius observat, aliquo modo separari debere, quatenus, si paucos canone numeratos excipias, sepultura fidelium in ecclesia, canone 1205 § 2 fieri prohibetur.

2. Quare electio sepulturae nihil aliud per se efficit, nisi ut corpus ibi sepeliri debeat, « dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet » (c. 1228 § 1). Obligatio ista simul confert ius sepeliendi corpus istius defuncti, quod canonice urgeri potest.

3. Ex can. 1216 § 1, ius *ordinarium* id habet, ut funus pertineat ad ecclesiam propriae paroeciae defuncti, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam elegerit. Ius istud in dubio praevalere debet. Ei tamen ius particulare, privilegium aut consuetudo derogare potest.

4. Attento can, 1208 § 3, sepulcrum maiorum canonice non habetur sine scripta Ordinarii licentia; atque haec etiam necessaria est, vi c. 1209 § 1 ut, sensu canonico, habeas particulare sepulcrum. Id inter utrumque interest, ut sepulcrum maiorum sit extra erecta coemeteria, particulare autem sepulcrum in coe-

meterio communi vel in proprio personae moralis concedatur. Ubi igitur omnia pendent ex auctoritate civili, nulla particularis ratio sepulturae canonice habetur.

5. Nullatenus appellandum iam est ficticium axioma: « Ubi tumulus, ibi funus », sicut late demonstravimus in *Per.* XVI, p. 57* ss. Summum id admitti potest, ex vero sepulcro maiorum vel privato, attento tamen regionum more, locum facilius praeberi praesumendi etiam electionem funeris in ecclesia ad quam sepultura ista pertineat.

6. Apprime distinguendum est coemeterium quod a pluribus paroeciis communiter possideatur, a coemeterio quod extra dominium est paroeciarum, ut saepe nunc est coemeterium municipale, In utroque quidem casu, singulae paroeciae ius suum tumulandi in coemeterio communi exercent; sed in solo priore casu istud exercent in coemeterio *suo* (sive indivisim possideatur, sive sua cuique paroeciae portio assignetur), ac proin cum facultate permittendi vel excludendi alienigenarum corpora; dum in altero casu, ad eas minime refert quinam, praeter paroecianos, ibi sepeliantur.

II. *Authentica confirmatio interpretationis cuiusdam canonis.* Reclamatio parochi ecclesiae cathedralis innitebatur tota § 7 canonis 1230. Canon iste tribuit (salvo diverso usu vel iure particulari) ius funerandi (si opus sit) et tumulandi, ecclesiae cathedrali, si cadaver mittitur in locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris legitime fuerat electa. Parochus canonem istum appellabat, quasi normam daret ordinariam; sed in fine canonis posita, § ista providet mere casibus raris, extraordinariis, in quibus solutio ex alio fonte repeti nequeat. Hoc demonstravimus *Per.* XVI, 67* ss; hoc observat Ill. Secretarius in causae disceptatione, et hoc authentice confirmat *S. C. Concilii,* cum reclamationem parochi ecclesiae cathedralis prorsus abnuit, et agnoscit parocho ecclesiae

suburbanae SS. Annuntiatae ius exclusivum sepeliendi paroecianos suos qui in coemeterio municipali vel tumulationem elegerint, vel sepulturam possideant.

---

41. — S. Cong. Concilii.

Notificatio s. d.

PROHIBITIO EPHEMERIDIS ET DECLARATIO EXCOMMUNICATIONIS

(A. A. S. 4 maii 1923, XX, 146)

Prohibitio ephemeridis eiusque causa.

I. Cum non nulli Franco-Canadenses ex regionibus Angliae Novae ac potissimum ex dioecesi Providentiensi adversus auctoritatem Ordinarii sui turbas cierint, Sacra Congregatio Concilii nuper prohibendam censuit et prohibuit periodicam ephemeridem « La Sentinelle » quae in oppido *Woonsocket R. I.* editur in lucem, quaeque hanc populi excitationem cum scandalo fovet.

Declaratio excommunicationis, eiusque causa.

II. Eadem praeterea Sacra Congregatio declarat, virum Elphège J. Daignault, moderatorem praefatae ephemeridis, aliosque subscriptores citationis Tribunali laicali porrectae ut suum Ordinarium, Episcopum nempe Providentiensem R. P. D. Guilelmum Augustinum Hickey, in ius raperent, incurrisse omnes et singulos excommunicationem *speciali modo* reservatam Sanctae Sedi Apostolicae, in vim can. 2341 Codicis iuris canonici.

Annotationes

I. Nostrum non est adiuncta commemorare quae luctuosum discidium adduxerunt quo plures optimi catholici a suo legitimo Pastore animo abalienati erant.

Id tamen statim subiciendum exisitimamus, eos incunctanter, non excepto D. Daignault, decreto S. Cong. Concilii paruisse et recessisse a contumacia.

II. Cum litem civilem movissent non directe contra Episcopi personam, sed indirecte, aggrediendo personam moralem ad quam temporalis administratio pertinet, falso existimarunt se propterea non esse obnoxios censurae quam canon 2341 infligit iis qui ausi

sint proprium Ordinarium ad iudicem laicum trahere. Subtilem istam evasionem, S. Congregatio reiecit.

III. Hoc unum in votis habemus, ut sine ullo detrimento religionis vel pietatis, pax et concordia in perturbata regione restituatur.

---

42. — Sacra Congregatio de Sacramentis.

Rescriptum ex audientia SS.mi, 5 mart. 1928

PRIVILEGIUM MISSAE NOCTURNAE (1)

Beatissimo Padre, (2)

Orator. Il Superiore Generale della Congregazione dei Sacerdoti del SS.mo Sacramento fondata dal B. Eymard, come Direttore Generale dell'Associazione dei Sacerdoti Adoratori, prostrato ai piedi della S. V., umilmente implora la facoltà che sia concesso ai sacerdoti adoratori di poter celebrare la S. Messa mezz'ora dopo la mezzanotte tutte le volte che avendo essi predicato una sacra missione o un triduo presso popolazioni, si organizzi una sacra veglia a Gesù Sacramentato, per facilitare specialmente agli uomini la frequenza ai Santi Sacramenti.

Petitio.

Ex Audientia SS.mi diei 5 Martii 1928.

Dies (5 mart. 1928). SS.mus D.nus Noster Pius Papa XI, audita relatione infrascripti E.mi Card. Praefecti S. C. de Sacramentis, attentis expositis, suprascriptis precibus benigne annuens, gratiam indulget iuxta petita, dummodo initium Missae celebrandae ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem, sacrae supplicationes perdurent spatio circiter trium horarum, in his comprehenso celebrationis Missae tempore, de consensu expresso Ordinariorum locorum in singulis casibus. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Gratia cum clausulis.

Praesentibus valituris ad septennium.

M. Card. LEGA, *Ep.us Tusculan. Praef.*

L. ✠ S. D. JORIO, *Secret.*

---

(1) Ex ipso indulto transumptum.

(2) Latine vertitur: Beatissime Pater, Superior Generalis Congregationis Presbyterorum a SS.mo Sacramento, tamquam Director Generalis Associationis Sacerdotum Adoratorum, ad pedes S. V. provolutus, humiliter implorat facultatem qua concedatur sacerdotibus adoratoribus licentia celebrandi Missam dimidia hora post mediam noctem, cum praedicaverint sacram missionem vel triduum ad populum, si instituatur sacra vigilia ad Iesum Sacramentalem, ut facilior reddatur viris praesertim frequens accessus ad S. Sacramenta.

43. — S. C. de Propaganda Fide.

Responsa 28 mart. 1927

DE PRIVILEGIIS SODALIUM PII UNIONIS CLERI PRO MISSIONIBUS.

Reverendissime Domine (1),

Litterarum propositum.

Respondere satago tuis litteris die 12 vertentis mensis martii datis, quibus non nulla dubia proponis circa privilegia seu facultates sacerdotibus Piae Unionis Missionalis Cleri ascriptis concessas.

Primum dubium *de condicione approbationis ad confessiones.*

Primum dubium sic proponitur: « An sacerdos ascriptus, extra etiam locum in quo ad sacramentales confessiones audiendas approbatus est facultate cuius usui praerequiritur iurisdictio uti possit? »

Responsum.

Resp. Nulla iurisdictio praerequiritur; sollummodo pro « benedictionibus » requiritur ut sacerdos approbatus sit ad sacramentales confessiones audiendas; seu sit confessarius. Cum vero nulla fiat distinctio circa diversa *loca* in quibus sacerdos sodalis Piae Unionis adesse possit, haec circumstantia de diversitate locorum non est attendenda. Sufficit servare limitationem quae explicite enuntiatur: « extra Urbem ».

Solutio simul data 4 dubii.

Per hanc responsionem provisum videtur etiam ad quartum dubium de interpretatione verbi » locus », quod verbum materialiter in descriptione facultatum de quibus supra numquam invenitur.

Dubium secundum et dubium tertium ita proponuntur:

Sec. et tert. dubium *de usu in locis ubi religiosi sedem habent.*

« 2. An sacerdos ascriptus, etiam in loco ubi sedem habent religiosi Ordinum, quibus respective benedictio ac impositio scapularium de quibus in facultate reservantur, eadem benedicere ac imponere possit?

« 3. An sacerdos ascriptus, etiam in loco ubi sedem habent Religiosi Fratrum Minorum, facultate benedicendi unico signo Crucis crucifixos cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a Via Crucis nuncupati, uti possit? »

Resp.

Resp. Limitatio relativa ad religiosos qui ad Ordines pertinent quorum propria sunt scapularia, vel Ordini Minorum sunt ascripti, non enuntiatur in textu; ideoque non est attendenda.

Dubium fortasse in hoc fundatur, nempe in privilegio Fratrum Minorum proprio circa erectionem Viae Crucis; sed no-

---

(1) Ad Ill. D. L. De Smedt, Praesidem Consilii nationalis Belgii. — Litterae divulgatae sunt primum in *Collectanea Mechiniensia*, 1927, p. 364.

tandum est quod, in casu, non agitur de erectione Viae Crucis, sed tantum de annectendis Crucifixi imaginibus indulgentias Viae Crucis.

Haec pro meo munere Tibi significanda erant; dum precor Deum O. M. ut Te diutissime sospitet incolumemque servet. *Votum scribentis.*

Reverentiae Tuae addictissimus servus.

Romae, 28 mart. 1927. *Dies (28 mart. 1927).*

G. M. Card. VAN ROSSUM, *Praef.*

FRANCICUS MARCHETTI-SELVAGGIANI, *Archiep. Seleuciensis Secr.*

ANNOTATIONES.

I. Privilegia quibus fruuntur sacerdotes cooptati in piam Unionem cleri pro missionibus, rettulimus in *Per.* XV (1926), p. 127. Sunt autem n. I et II, variae indulgentiae. III, Facultates (illis ascriptis reservatae qui approbati sint ad sacramentales confessiones audiendas) applicandi indulgentias rebus (ad id aptis) quas benedicunt; benedicendi coronas, scapularia, imagines crucifixi pro via crucis, et cum indulgentia quae *toties quoties* vocatur. Facultati autem applicandi indulgentias apostolicas additur clausula: « *extra Urbem* ». IV, Indultum personale altaris privilegiati. V, Facultas benedicendi coronas VII. Dolorum B. M. V. dummodo ascriptus sit approbatus pro confessionibus. VI. et VII. Facultas benedicendi et imponendi scapularia sub unica formula et absque onere inscriptionis in album confraternitatis. VIII. Anticipatio a meridie Matutini cum Laudibus.

Ex ista summaria relatione facilius intellegetur quo spectent sequentia.

II. Clausula « extra Urbem », confirmatur vulgata sententia, benedictionem Apostolicam *intra Urbem*, reservari S. Pontifici vel eius mandatario, qui est Rev.mus Magister S. Palatii. Tantum id ambigi potest: cum moenia Urbis dilatata sint, et potestas civilis stationes praepositorum portoriis ultra antiquas portas

transtulerit, suntne isti novi fines attendendi, an quis se extra Urbem existimare potest, quando extra antiquas portas versatur?

III. Orator quaerebat utrum ubique locorum exerceri possent annon facultates pro quibus requiritur ut quis ad confessiones audiendas approbatus sit.

Et praemissa observatione, iurisdictionem non ad usum requiri, sed mere ut condicionem, et tunc etiam non postulari nisi pro benedictionibus (cfr facultates III. V. VI et VII) respondetur facultates ubique exerceri posse si quis in aliquo loco sit approbatus, salva limitatione « extra Urbem » pro indulgentiis Apostolicis. Haec interpretatio etiam ad similes casus solvendos lumen affundere potest.

IV. Alterum et tertium oratoris dubium per eandem occasionem nata sunt. Per se, quando quaedam potestas seu facultas benedicendi primo ad aliquod Institutum religiosum ut propria pertinebat, communicatio istius facultatis ad alios, obnoxia solet esse huiusmodi clausulae: « extra tamen loca ubi Ordo vel religio sedem habeat ».

Cum clausula ista concessae facultati hic non subiungatur, orator merito quaerebat utrum subintellegenda esset an pro suppressa haberi posset. Argumentanti enim ex principio: favores ampliandos esse, gratias late intellegendas esse, responderi poterat, huc intervenire ius Ordinis acquisitum, cui Princeps non censetur tacite velle derogare. Quare huiusmodi indultum strictae, vi c. 50, interpretationi subesse.

Nihilo minus responsum est ad non expressam limitationem non debere attendi.

Quod, in praesenti, confirmatur explicita mentione alius limitationis « extra Urbem ». Inde enim colligi potest mentem rescribentis fuisse ut intentas a se exceptiones conceptis verbis redderet.

V. Cum responsa ista e *S. C. de Propaganda*

Fide emanarint, argumento etiam esse possunt alicui qui contendat facultates benedicendi rosaria, scapularia exerceri posse etiam in locis ubi habeantur religiosi ad quos per se spectabant benedictiones, nisi loca ista explicite sint excepta. Quia tamen non habemus nisi responsum particulare, minime per *Acta Apostolicae Sedis* authentice promulgatum, est cur declarationem authenticam et generalem in votis habeamus.

A. VERMEERSCH, S. I.

---

44. — S. Cong. de Propaganda Fide.

(PONTIFICIUM OPUS A PROPAGATIONE FIDEI)

Monita (sine die)

DE PAUPERIBUS ET DE SODALIUM INSCRIPTIONE. (1)

I. *Pauperum privilegium.*

Privilegium pauperum antiquum ampliatur.

Iam ab antiquo concessum fuit ut fideles pauperes Pontificii Operis sodales fieri possent et favoribus uti atque privilegiis Operi concessis, dummodo statutas preces cotidie recitarent et *singulis mensibus* quantum pecuniae potuissent, licet exiguum, pro Missionibus conferrent. Summus vero Pontifex, a Secretario Generali rogatus, idem pauperum privilegium ratum habuit, unum innovans, sufficere nempe ut pauperes *infra annum* pro paupertate sua aliquid pro Missionibus solverent.

Inscriptio sodalium non est necessaria.

II. *De sodalium in albo inscriptione.*

Cum dubium exortum sit an Pontificium Opus a Propagatione Fidei teneatur praescripto § 2 Codicis iuris canonici de inscriptione sodalium in albo associatorum, ut favoribus fruantur, Summus Pontifex, quatenus necesse sit, huic derogavit, licet tamen hanc inscriptionem opportunam ideoque suadendam declaraverit.

---

(1) Cfr *Acta Pontificii Operis a Propagatione Fidei*, 30 sept. 1927, p 266.

ANNOTATIONES

I. Formula qua S. Pontifex usus est in temperanda condicione a pauperibus requisita, multo felicior perspicitur quam praecedens. Antea enim postulabatur ut conferrent *quantum pecuniae potuissent:* secundum hanc formulam quaeri poterat utrum necne pauperes qui pecunias quasdam dissipaverant, immo ad alia opera caritatis destinaverant, necessariae condicioni conferendi quantum potuissent, satisfecissent. Nunc autem prorsus sufficit ut eleemosynam conferant quae, perspecta eorum exiguitate, rationabilis esse videatur.

II. Altero monito feliciter solvitur dubium de cooptatione seu ascriptione religiosorum. Ut enim constat e declaratione quam exscripsimus *Per.* hic supra, p. 73, singulis religiosis sufficit ut cotidie recitent semel Pater et Ave cum invocatione *Sancte Francisce Xaveri ora pro nobis,* dummodo, si Institutum nullas missiones habeat, domus ad quam pertinent quotannis aliquam eleemosynam conferat. Verum dubitari poterat utrum necne essent re ipsa ascripti an aliqua inscriptio seu cooptatio praeterea esset necessaria. Ac nihil praeterea esse necesse constat iam ex modo relata declaratione.

---

45. — S. Cong. Rituum

Decretum 14 mart. 1928

S. HIERONYMUS AEMILIANUS PATRONUS UNIVERSALIS ORPHANORUM ET DERELICTAE IUVENTAE RENUNTIATUR.

(A. A. S. 4 mai 1928, XX, 147)

Aucto orphanorum numero, Praepositus generalis Cler. reg. a Somascha, petit ut

Ordinis clericorum regularium a Somascha. Quarto a condita Somaschae Congregatione recurrente saeculo, orphanorum numero ob recentes publicas exortas calamitates fere ubique gentium maximopere aucto, ut caeleste praesidium illis pueris

puellisque parentibus orbatis et rebus omnibus indigentibus praesto sit, Praepositus generalis Ordinis Clericorum Regularium a Somascha, collecta undique vota quamplurimorum Antistitum humillime Sanctissimo Domino nostro Pio Papae XI obtulit simulque supplicavit, ut Sanctus Hieronymus Aemiliani, qui primus pro colligendis orphanis instituta construxit, et protector et pater orphanorum iam in ipsa liturgica prece vocatur, suprema Sua auctoritate orphanorum Patronus universalis et Adiutor constituatur. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, oblata vota peramanter excipiens, Sanctum Hieronymum Aemiliani orphanorum et derelictae iuventae Patronum universalem eligere ac declarare benigne dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

S Hier. Aem. patronus et adiutor orphanorum constituatur.

Votis S. Pontifex obsecundat.

Die 14 Martii 1928.

Dies (14 mart. 1928).

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*
L. ✠ S. Angelus Mariani, *Secretarius.*

---

46. — S. Cong. Rituum

Decretum 14 dec. 1927

S. TERESIA A IESU INFANTE PATRONA AEQUE PRINCIPALIS MISSIONUM

(A. A. S. 4 maii 1928, XX, 147)

Dioecesium et vicariatuum apostolicorum in missionibus

Quam laeto animi sensu fideles universi canonizationem Sanctae Teresiae a Iesu Infante exceperint, divulgata per orbem devotio manifeste demonstrat, cum vel apud ipsas infidelium dissitas regiones Carmelitis Virgo promissum rosarum imbrem e caelo dimittere non praetermiserit. Qua de causa, innumeri Sacrorum Antistites maiores percipi posse fructus in dominica vinea persenserunt, si Sancta Teresia a Iesu Infante, quae maximo flagrabat ardore et zelo dilatandae fidei, cuiusque miraculosos in paganis plagis effectus omnes norunt, caelestis Patrona omnium Missionariorum, in quibusvis Missionibus laborantium declaretur; et ideo Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XI collectas undique preces humillime obtulerunt ut communibus votis suprema Apostolica sanctio accederet. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Domino Cardinali

Divulgata devotio;

Vota multorum Antistitum,

Pontificem movent ut S. Teresiam ab Infante Iesu Missionariorum

et Missionum omnium patronam aeque principalem cum S. Fr. Xaverio renuntiet.

Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, postulationibus Antistitum ingenti numero oblatis benignissime obsecundans, declarare dignata est Sanctam Teresiam ab Infante Iesu, peculiarem Missionariorum omnium, sive virorum sive mulierum, necnon Missionum in toto orbe exsistentium Patronam aeque principalem cum S. Francisco Xaverio, cum omnibus iuribus et privilegiis liturgicis quae huic titulo conveniunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Decembris 1927.

Clausula.

Dies (24 dec. 1927).

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*
L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

ANNOTATIO

Eodem die SS. D. approbavit de S. Teresia proprias lectiones et ad universam Ecclesiam extendit missam propriam, iam pro Ordine Carmelitarum excalceatorum approbatam et concessam.

---

47. — S. C. de Semin. et Studiorum Univers.

Declaratio 11 april. 1928

DE LAUREA IURIS CAN. NON PRAEMISSO CURRICULO PHIL. SCHOL.

(A. A. S. 4 maii 1923, XX, 157.)

DECLARATIO

Quaesitum eiusque ratio

Quaesitum est a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus: « Utrum, — habita ratione praescriptionis in Encyclica *Pascendi* contentae et declarationis ab eadem Sacra Congregatione redditae die XXIX Aprilis, anno MDCCCCXXVII, — laici, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverint, admitti possint ad studium iuris canonici, ut valide lauream consequantur? »

Responsum SS i 29 mart. 1928.

Re delata S.smo D. N. Pio Pp. XI a R. P. D. eiusdem Sacrae Congregationis Secretario in audientia diei XXIX elapsi

mensis Martii, S.smus, adiunctis omnibus perpensis, respondere dignatus est:

Affirmative.

Romae, e Secretaria Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die 11 Aprilis MDCCCCXXVIII. *Decreti dies (11 april. 1928).*

CAIETANUS Card. BISLETI, *Praefectus.*

L. ✠ S. † IACOBUS SINIBALDI, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

ANNOTATIO

Responso 27-29 apr. 1927, *S. C. de Sem. et Studiorum Univers.* declaraverat adhuc vigere praescriptum litt. enc. *Pascendi,* quo ad *valide consequendam* Lauream Theologiae ac Iuris canonici, prius emetiendum erat curriculum in scholastica Philosophia (Cfr *Per.* XVI (1927) p. 53).

Inde quaesitum est, utrum declaratio ista propria foret clericorum an etiam laicis communis. Ac sapienter responsum est laicos non teneri condicione quae plerisque impossibilis fuisset.

---

48. — S. Poenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Decr. ex aud SS. 1 iun. 1928

INDULGENTIAE ACTUS REPAR. SS. CORDI IESU

(A. A. S. 1 iun. 1928, XX 2(7).

Sanctissimus Dominus noster Pius div. Prov. Papa XI, in Audientia infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori die 1a Iunii 1928 impertita, benigne concedere dignatus est ut, die festo Ssmi Cordis Iesu, quo publice recitari debet Actus Reparationis sub titulo « Precatio piacularis ad Sacratissimum Cor Iesu », de quo in Litteris Encyclicis *Miserentissimus Redemptor* eiusdem Sanctitatis Suae, datis die 8 Maii 1928, christifideles qui eidem recitationi cum Litaniis Sacratissimi Cordis coram Ss.mo Sacra- *I Audientia SS.i iun. 1928.* *Indulgentia.*

mento sollemniter exposito, in qualibet ecclesia aut oratorio, etiam (pro legitime utentibus) semipublico, adstiterint, *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum* vel *plenariam*, si praeterea confessionem peregerint et S. Communionem rite susceperint, lucrari valeant; suppressis similibus Indulgentiis quae pro Actu sollemnis Dedicationis humani generis Ssmo Cordi Iesu ad libitum eliciendo, concessae fuerant. Iis vero qui, ubilibet et quandocumque, Actum Reparationis, vel privatim, recitaverint, *Indulgentiam trecentorum dierum; plenariam* autem semel in mense, si quotidie per integrum mensem praedictum Actum elicuerint, ac insuper aliquam ecclesiam aut publicum oratorium visitaverint, confessionem peregerint et sacris Epulis refecti fuerint, idem Sanctissimus clementer elargitus est. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Clausulae.

Dies (1 iun. 1928).

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria, die, mense et anno ut supra.

LAURENTIUS, Card. LAURI, *Poenit. Maior.*

L. ✠ S.

Ioannes Teodori, S. P. Secretarius.

Pro annotationibus cfr supra explicationes in annotationibus enc. litt. datas.

ACTA SUMMATIM RELATA

49. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Concordia de nominatione canonicorum rata habetur.

A. *Rata habetur concordia inter Episcopum Augustae Praetoriae et capitulum collegiatae de iure nominandi.* Capitulum collegiatae SS. Petri et Ursi iure pollebat omnes canonicos nominandi ad capitularia beneficia. Quod ius ut non consentaneum Codici negavit Episcopus. Subinde pacis desiderio ducti convenerunt de modo quo discidium aptius componeretur. Huc autem redit pactio, ut pro iure nominandi, capitulum obtineat ius praesentandi Ordinario tres sacerdotes idoneos. Ante quam tamen ex officio praesententur, Prior nomina privatim et personaliter Ordinario communicabit, si quid in iis animadvertere habeat. Facta tunc praesentatione, Ordinarius unum ex tribus eligere debet eique intra duos menses canonicam institutionem concedere. Secus, primus electus censebitur. Pactionem istam S. Pontifex ratam habet Brevi *Exigit*, 12 ian. 1928, simul concedens ut Prioratus (cuius collatio reservata est S. Sedi) in posterum alicui ex canonicis conferatur (*A. A. S.*, XX, 188).

Laudes illustris Missionalis Ioannis a Monte Corvino.

B. Epistola 20 maii 1928, SS. Dominus approbat commemorationem viri apostolici Ioannis a Monte Corvino, quam sexcentesimo anno ab eius obitu Fratres Minores celebrare instituerunt, et bona merita Illustris viri recolit. Epistola ad Ministrum Generalem Ordinis missa est (*A. A. S.*, XX, 190).

50. — S. Congr. Consistorialis.

Translatio ecclesiae cathedralis Hamiltonensis.

1. *Translatio ecclesiae cathedralis.* Decreto 29 april. 1927, decernitur in civitate Hamiltonensi translatio ecclesiae cathedralis a templo B. M. V. Immaculatae, ad ecclesiam S. Patricii, retento titulo S. Patricii, quae situ et aspectu ab omnibus princeps habetur. Translationem postulaverat Episcopus, consentientibus Consultoribus dioecesanis. (*A. A. S.*, XX, 140).

Concathedralis ad honorem.

2. *Erectio cathedralis ad honorem.* Decreto 11 nov. 1927, ecclesia S. Bartholomaei, quae antea cathedralis dioecesis Boianensis exstiterat, titulo ac dignitate concathedralis *ad honorem* condecoratur (*A. A. S.*, XX, 193).

Dismembratio et unio.

3. Decreto 16 mart. 1928, praedium *Sondermeier* cum suis incolis a parochia Uttenhofen et dioecesi Augustina separatur, et perpetuo unitur parochiae Foernbach et dioecesi Frisingensi (*A. A. S.*, XX, 193).

Declaratio unionis.

4. Decreto 10 maii 1928, vicus Torrazza declaratur cum suis incolis posthae pertinere ad paroeciam Caslano, administrationis Apostolicae Luganensis (*A. A. S.*, XX, 194).

51. — S. Congr. pro Ecclesia Orientali.

Finis imponitur visitationi Patriarchatus Armenorum.

Decreto 16 april. 1928, occasionem nacta coetus Epp. Armenorum indicti in Urbe pro 6 maii, S. C., approbante S. Pontifice, finem imposuit visitationi Apostolicae Patriarchatus, et R. P. D. PAULUM PETRUM XIII TERZIAN, Patriarcham Ciliciae Armenorum in plenum exercitium sui officii et iurisdictionis restituit (*A. A. S.*, XX, 141).

52. — S. Congregatio de Religiosis.

Approbationes definitivae Constitutionum.

Decreto 4 ap. 1928:

Sor. div. Providentiae. Filles de N. D. du S. Coeur.

Instituti *Sororum a Divina Providentia* de Ribeauvillé;

Instituti Sororum vulgo « *Filles de N. D. du Sacré Coeur* » quarum domus princeps est in dioecesi Tornacensi (approb. simul Instituti).

Decreto 13 maii 1928:

Dominicaines de la Présentation de la Ste Vierge.

Instituti Sororum a Caritate, vulgo: *Dominicaines de la Présentation de la S.te Vierge*, quarum domus princeps est in dioecesi Turonensi.

Approbationes ad septennium experimenti gratia:

Decreto 4 april. 1928.

Ancelle della Carità.

Instituti Sororum vulgo « *Ancelle della Carità* » quarum domus princeps est in dioecesi Brixiensi.

Siervas de Jesús Sacra.tado.

Instituti sororum vulgo « *Siervas de Jesús Sacramentado* » (una cum decreto laudis). Domus princeps est in dioecesi Bonaerensi.

Decreto 13 maii 1928:

Francescane Angeline.

Instituti Sororum vulgo: « *Francescane Angeline* ». Domus princeps in dioecesi Taurinensi (una cum decreto laudis).

Suore di Santa Maria.

Instituti Sororum vulgo « di Santa Maria ». Domus princeps est in dioecesi Clavarensi (una cum decreto laudis).

53. — S. Congregatio Rituum.

A. Decretis 14 mart. 1928, S. C. Rituum, probante Pontifice promulgat:

Officium, elogium in martyr. missa di Teresiae a Jesu Jnfante et B. Joannis Mariae Vianney.

1. Pro die 3 octobris, S. *Teresiae a Iesu Infante* officium, lectionem brevem, elogium Martyrologio inserendum, et Missam;

2. Pro die 9 augusti (ex die 4), *S. Ioannis Mariae Vianney* lectiones officii, lectionem brevem Missam, elogium in Martyrologio inserendum 4 et 9 augusti (*A. A. S.*, XX, 148 et 154).

B. *Beatificationes et Canonizationes.*

S. D. Martinus a S. Nicolao; et Melchior a S. Augustino.

Die 14 mart. 1928, signata est Commissio introd. causae martyrii SS. D. *Martini S. Nicolao* et *Melchiorisa S. Augustino*, O. En. Recoll. S. Augustini (*A. A. S.*, XX, 197).

S. D. Maria a Passione D. N. I. C.

Die 14 mart. 1928, signata est Commissio introd. Causae S. D. Sor. *Mariae a Passione D. N. I. C.* ex Instituto Crucifixarum SS. Eucharistiae sacramentum adorantium (*A. A. S.*, XX, 200).

Ven. Ioanna Bechier des Ages.

3. Die 19 mart. 1928, SS. D. declaravit constare de virtutibus in gradu heroico Ven. Serv. Dei *Ioannae Elisabeth Béchier des âges*, confundatricis Cong. Filiarum Crucis, vulgo Sororum S. Andreae (*A. A. S.*, XX, 204).

54. — Provisio Ecclesiarum.

Decretis S. Congr. Consistorialis nominati sunt:

Viseu in Lusitania.

R. D. Iosephus Moreira Pinto, ep. Visensis

Burgos in Hispania.

R. P. D. Emmanuel de Castro y Alonso, arch. Burgensis ex ep. Segobiensi.

Decreto S. Cong. de Prop. Fide nominatus est

Bombay in Indiis.

R. P. Ioachim Lima, S. I., arch. Bombayensis.

55. — Nominationes.

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

Mogadiscio (Somalia ital. in Africa or.).

15 dec. 1927, R. D. Gabriel Perlo, ex Instituto Taurinensi a Consolata, primus Vic. Apost. de Mogadiscio.

Araucania in chilena republ.

28 mart. 1928, R. P. Benedictus Beck (in relig. Guido a Bamberga), ex F. M. Cap., primus Vic. Ap. de Araucania.

Kwango in Congo belgico.

— R. P. Silvanus Van Hee, S. I., primus Vic. Ap. de Koango, in Congo belgico.

Suanhwafu in Sinis.

— R. D. Petrus Tcheng, presb. saec. Vic. Ap. de Suanhwafu in Sinis.

56. — Vicariatus Urbis.

Nova ordinatio regiminis Consociationis S. Familiae Nazarethanae.

Brevi 14 iun. 1893, Leo XIII constituit ut Pia Consociatio sub invocatione S. Familiae Nazarethanae centrum suum haberet apud Em. Cardinalem Vicarium in Spiritualibus Generalem, qui, adiutus a Rev.mo S. Rit. Congr. Secretario et duobus aliis ad arbitrium suum Praelatis, et ab alio ex ecclesiasticis Secretarii munere fungente, Consociationem ubique terrarum dirigeret. In aud 17. mart. 1928, SS. D. statuit ut vice duorum Praelatorum astarent E.mo Cardinali Secretarius Vicariatus Nostri et Camerarius pro tempore Collegii Parochorum Urbis, Promotor veroGeneralis Instituti Filiorum S. Familiae Iesu, Mariae et Ioseph, cuius domus princeps est in civitate Barcinonenai Secretarii munus gereret (*A. A. S.*, XX, p. 160, in appendice).

57. — Notandum.

Nomina quaestuantium sine licentia.

S. C. pro Eccl. Orientali publici iuris fecit nomina eorum qui, quasi Orientales, quaestuationes instituunt et stipendia colligunt. Sunt autem:

Petros Thomas, qui se dicit sacerdotem dioecesis syro-chaldeae Babylonensis;

Pater (sic) Daniel, qui se dicit syro-chaldeum;

Pater (sic) Schibon, qui dicit sibi permissum esse ut eleemosynas pro Mexico colligeret;

Ioannes Saliba, qui se dicit ex Beyrouth;

A. Ichou, laicus Chaldeus qui se profitetur catechistam.

Cfr *A. A. S.*, XX, p. 161.

58. — Necrologium.

Cajamarca (Perù).

13 mart. 1928, Ill. D. Franciscus a Paulo Grozo ep. Cajamarcensis.

Melo (Uruguay). Segni.

18 april. 1928, Ill. D. Ioachim Arrospide, ep. Melenensis.

20 april. 1928, Ill. D. Angelus M. Philippus Sinibaldi, ep. Signinensis.

Messico.

22 april. 1928, Ill. D. Iosephus Mora y del Rio, arch. Mexicanus.

Hildesheim.

5 maii 1928, Ill. D. Iosephus Ernst, ep. Hildeshienensis.

Aguas Calientes (Messico).

11 maii 1928, Ill. D. Ignatius Valdespino y Diaz, ep. Aguas Calientes.

BIBLIOGRAPHIA

I Libri.

Osvald von Nell-Breuning, S. I. *Grundzüge der Börsenmoral.* vol. (12 × 19) XVI - 224 p. (Studien zur katholischen Sozial und Wirtschaftsethik, herausgegeben von D. Dr. *Franz Keller,* IV Band). Freiburg im Breisgau, Herder, 1928.

Schrifttum. Vorbemerkungen. Einleitendes, Allgemeines zur Preistheorie. Preistheoretisches in der Scholastik. Preisbildung an der Börse. Spekulation. Terminhandel. Börsenverfassung und Börseneinrichtungen.

Anhang: Der Fragebo gender Börsen. Enquête Kommission mit Anlage.

Dr. Marius Pistocchi, *De re beneficiali iuxta canones.* (Cod. iur. can. L. 3, P. 5, t. 25) vol. (13 × 20) 502 p. Taurini, Marii E. Marietti, 1928.

De constitutione seu erectione beneficiorum. — De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum. — De beneficiorum collatione. — De iure patronatus. — De iuribus et obligationibus beneficiariorum. — De dimissione et permutatione beneficiorum.

Placidus Hülster, O. Cist. *Codicis iuris Canonici Interpretatio authentica* (seu collectio responsorum Pont. Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, quam confecit et indicibus adornavit). Continet responsa in primo decennio data (1917-1927). vol. (13 × 19) 48 p. Paderborn, F. Schöningh, 1928. Preis R. M. 1, 60.

Dr. C. Callewaert, *Caeremoniale in Missa privata et solemni aliisque frequentioribus functionibus liturgicis servandum.* vol. (16 × 22,50) 285 p. ed. altera.Brugis, Beyaert, s. d. Venit 20,50 Fr.

I. Principia et regulae generales: de diverso corporis habitu; de reverentiis ; de osculis; de signo crucis; de incensatione; de officio ministrorum; de regulis in choro servandis. — II. Ordo et Ritus in celebratione Missae. — Appendices. — Ordo et Ritus in celebratione Missae solemnis; appendices. — IV. De Officiis vespertinis: de vesperis, de officio defunctorum, de expositione et benedictione SS. Sacramenti. — V. De praecipuis functionibus anni ecclesiastici: benedictione candelarum, cinerum, palmarum; de Triduo sacro.

XXX. *Die Erziehung der Jungen und Mädchen zur sittlichen Reinheit.*, vol. (13 × 18,5) 52 p. ed. 3 Düsseldorf, Katholische Elternbücherei herausgegeben von Bernhard Bergmann. s. d.

Notwendigkeit einer echt christlichen Gesamterziehung. — Die schwierige Aufgabe der Aufklärung. — Die Praxis. Die Gewissensbildung. — Die Aufklärung im engeren Sinne. — Die Behandlung einiger schwieriger Fälle. — Anhang. Beispiele für die Belehrungen.

Émile Dembour. *Pour une Politique de Natalité.* (Discours à la séance solennelle de rentrée de la Conférence du Jeune Barreau de Liège, le 10 déc. 1927) vol. (12 × 19) 88 p. Société d'études morales, sociales et juridiques. Louvain, 1928. Prix, 6 Fr.

XXX. *Soziales Gesetzbuch.* Aufriss einer katholischen Gesellschaftslehre. (Internationale soziale Studienvereinigung, gegründet za Mecheln 1920 unter dem Vorsitz des Kard. Mercier). Uebersetzt von JAKOB FRANZ, mit einer Einführung von OSWALD V. NELL-BREUNINGS, S. I. vol. (12×18) XII-747. Saarbrücker Verlag A. G. 1928.

Zur Einführung. Programmrede von Kard. Mercier für den « Code social » auf der Tagung der Intern. sozialem Studienvereinigung, 1924.

Einleitung. — Familienleben. — Bürgerliches Leben. — Wirthaftsleben. — Zwischenstaatliches Leben. — Uebernatürliches Leben.

Jos Arendt, S. I. *Le mouvement ouvrier.* vol. (11×20) 127 p. Bruxelles. *La Jeunesse ouvrière chrétienne,* s. d. Prix, 3,50 fr.

Préface. Aperçu général préliminaire. La Transformation industrielle. L'application des Doctrines libérales. L'action syndicale. Les Mutualités et les Coopératives. L'action politique des ouvriers. La législation protectrice du Travail. L'éducation ouvrière. Le mouvement social catholique. Le Mouvement socialiste. Conclusions.

Jos. Cardyn, *Le travail des jeunes salariés et la Charte Jociste du Trovail* (Rapport au 4 Congr. gén. de la J. O. C.) vol. (11×20) 31 p. Bruxelles, *La Jeunesse ouvrière chrétienne* 90 rue des Palais. Prix : 2 fr.

Introduction. La Situation actuelle. La Doctrine catholique. L'application de la Doctrine catholique ; la Charte Jociste du Travail ; les Obstacles à écarter ; la Croisade Jociste ; Les collaborations nécessaires à l'oeuvre de la J. O. C.

Emilio Hoenning O' Carroll. *San Giuseppe.* vol. (10, 5×17) 191 p. Venezia, Libreria Emiliana, s. d. Prezzo 4,50 L.

Natali. Povertà. Santità. Fede. Speranza. Carità. Obbedienza. Fortezza. Uniformità al volere di Dio. Matrimonio. Betlemme. Nascita di G. C. Apparizione degli angeli. Adorazione dei pastori. Il SS. Nome di Gesù. Presentazione al tempio. Adorazione dei Magi. Fuga in Egitto. Smarrimento di Gesù. Vita nascosta. Vita interiore. Vita attiva. Maria SS. conforto di S. Giuseppe. Progresso di S. Giuseppe. Morte di S. Giuseppe. Gloria di S. Giuseppe. Patrocinio di S. Giuseppe. S. Giuseppe protettore dei Seminari. Culto dovuto a S. Giuseppe. Preghiera a S. Giuseppe.

Meditazioni. I. *L'Avvento* vol. (10,5×17) 216 p. Venezia, Libreria Emiliana, s. d. Prezzo, 5 L.

Meditazioni. III. *La Passione* vol. (10,5×17). 546 p.

Paul Halflants. *Auteurs français et belges du XIX^e^. siécle.* Abrégé de l' ouvrage du mème auteur « La Littérature française au XIX siécle. 3. éd. (6 mille) vol. (12×20) 480 p. Genval, De Lannoy ; Paris, Giraudon, 1928. Prix : 24 fr.

Introduction. Caractères généraux de la littérature au XIX siècle. *Prem. Pér.* Les précurseurs du Romantisme : Châteaubriand. Mme de Stael. --- *Deux. Pér.* L' époque romantique J. de Maistre. Lamennais. --- Augustin Thierry. Michelet. Montalembert. Lacordaire. --- Lamartine. Alfred de Vigny. Victor Hugo. Alfred de Musset. André van Hasselt. --- Alexandre Dumas, père. Honoré de Balzac. George Sand. - *Trois. Période.* L. Veuillot. Ernest Hello. Albert de Mun. Victor Jacobs. Charles Woeste. Guillaume Verspeyen. --- Mgr. Freppel. Monsabré. -- Leconte de Lisle. Sully Prudhomme. François Coppée. José. - Maria Heredia. Paul Verlàine. Charles Baudelaire. Max Waller. Georges Rodenbach. Ëmile Verhaeren. Iwan Gilkin. Albert Giraud. Fernand Severin. Dom Bruno Destrée. Victor Kinon. --- Gustave Flaubert. Ëmile Zola. Alphonse Daudet. Joris-Karl Huysmans, Anatole France. Pierre Loti. Paul Bourget. Maurice Barrès. René Bazin. Henry Bordeaux. Camille Lemonnier. ry Carton de Wiart. Henri Davignon. Georges Virrès. Maurice des Ombiaux. Louis Delattre.

II. *Ex Periodicis*

Apollinaris, 1928. De Schepper, F. M. Cap. De Sociologiae vera significatione. D' Ambrosio, F. M. Cap. De dominio dotis religiosarum. Maroto, C. M. F. « Ubi tumulus ibi funus ». - De Ex-

trema Unctione in casu mortis apparentis. — SOSIUS D'ANGELO. De prima tonsura collata sine dimissoriis Ordinarii loci originis et domicilii - De titulo ad s. ordinationem.

Collationes Gandavenses, 1928. F. CLAEYS BOÛÛAERT. De formis quibus sponsalia redduntur sollemnia. De inde exorta obligatione matrimonii.

Collectanea Mechliniensia, 1928. I. NAULAERTS. De salute infidelium. — A. GOUGNARD. De obligatione revelandi impedimenta matrimonialia. — P. GILLET. De obedientia clericorum Ordinario debita. — A. CROEGAERT. De ornatu florum in ecclesiis. — K. CRUYSBERGHS. De ultimo obligationis subiectivo fundamento.

Ephemerides Liturgicae, 1928. P. BATTISTINI, C. M. De concurrentia festorum. — V. TIROZZI. De SS. Eucharistiae custodia, quaestiones variae.

Estudios Ecclesiasticos, 1928. HERNANDEZ E. Necesidades presentes de la Ascética y Mistica en los paises de habla espanola. -- DOMINGUEZ D. Boletin antitéosofico.

Estudis Franciscans, 1928. P. MIQUEL D'ESPLUGUES. El problema de l'ateisme. — P. ANICETO DE MONDONEDO. La pobrezza franciscana. — F. D'I. Butletin De Liturgia Sagrada.

Gregorianum, 1928. M. DE LA TAILLE. Coena et Passio in Theologia Apologetica contra pseudo-reformatores. - Post scriptum ad *R. P. Amiable,* O. P. — I. BOVER. Universalis B. Mariae V. mediatio in scriptis Iohannis Gerson. — E. ELTER. De naturali hominis beatitudine ad mentem Scholae antiquioris.

Ius Pontificium, 1928. A. CAPPELLO, S. I. De natura Concordatorum. — A. BOUDINHON. An ad normam can. 105, n. 1, nullus semper sit actus Superioris, non petito consilio. — L. LECCISI. Herum circa casus occultos, de quibus in c. 1045. -- A. TOSO. Ad Codicem Commentaria a c. 502-512.

Benediktinische Monatschrift, 1928. P. FIDELIS BÖSER. Der gregorianische Choral als Erzieher. -- Abt ALBERT SCHMITT. Der heilige Columba, Klostergründer und Glaubensbote in Schottland. -- P. ALOIS MAGER. Mein Besuch in Konnersreuth. -- P. EMMANUEL HEUFELDER. Weltanschauung und höhere Schule. -- P. WILLIBRORD VERKADE. Zur Bekehrungsgeschichte des Dichters Johannes Jörgensen.

Il Monitore ecclesiastico, 1928. FR. ADEODATO DI S. GIUSEPPE, O. Carm. Disc., circa la interruzione del noviziato. *** circa una interpretazione di testamento in favore d'un capitolo. P. M. L. FANFANI, O. P. Circa la facoltà di professare prima del fempo del servizio militare (attento il decreto-legge 17 marzo 1924). (*Continuabitur*)

PARS ALTERA

MONUMENTA

59. — D. N. Pius P. XI

Litt. enc. « Rerum Orientalium », 8 sept. 1928

DE PROMOVENDIS STUDIIS RERUM ORIENTALIUM

(A. A. S., 10 sept. 1928, XX, 27.)

AD RR. PP. DD. PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE STUDIIS RERUM ORIENTALIUM PROVEHENDIS.

PIUS PP. XI

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quo zelo et cur Pontifices allaborarint diffundendae inter fideles cognitioni rerum Orientalium.

Rerum Orientalium studiis et subtiliori cognitioni inter Christifideles, potissimum vero inter sacerdotes, provehendis quantam decessores Nostri, superioribus saeculis, operam dederint, neminem latet qui Catholicae Ecclesiae annales vel propere evolverit. Siquidem ii noverant et complura antehac mala et miserrimum illud discidium quod tam multas easque florentissimas olim Ecclesias ab radice unitatis abstraxerat, cum ex mutua imprimis populorum ignoratione et despicientia, tum ex praeiudicatis opinionibus, quas diuturna animorum alienatio consecuta esset, necessario exstitisse; nec posse, nisi ea impedimenta amoverentur, tot malis medicinam adhiberi. Iamvero, ut nonnulla historiae, ex iis ipsis aetatibus quibus antiquae vincula unitatis relaxari coepta sunt, documenta summatim attin-

Memorantur exempla sollicitudinis Apo-

stolicae erga Orientales,

tum illustriora et rariora,

gamus, quae Romanorum Pontificum in hac parte curas sollicitudinesque testantur, omnibus compertum est qua benevolentia immo etiam veneratione, utrumque Slavorum Apostolum, Cyrillum et Methodium, Hadrianus II sit complexus, quibusque singularis honoris significationibus honestarit; quove idem studio, missis quoque legatis, octavo oecumenico Concilio, quarto Constantinopoli coacto adiumento fuerit, cum haud multo ante tanta dominici gregis pars lacrimabili discidio a Romano Pontifice, Pastore supremo divinitus constituto, avulsa esset. Qui quidem sacri conventus, Ecclesiae rebus inter Orientales procurandis, temporum decursu alii post alios celebrati sunt; ut cum Barii ad S. Nicolai Myrensis sepulcrum, S. Anselmus, Doctor ille Augustanus idemque Cantuariensis Archiepiscopus, doctrina vitaeque sanctitate eximia mentes omnium animosque commovit; ut Lugduni, quo duo illa Ecclesiae lumina, Angelicus Thomas et Bonaventura Seraphicus, a Gregorio X convocati una fuere, quamquam alter in ipso itinere, alter inter graves Concilii labores morte praerepti; ut Ferrariae Florentiaeque, ubi, primas facile ferentibus illis Orientis christiani ornamentis, Romanaeque Ecclesiae mox Cardinalibus, Bessarione Nicaeno et Isidoro Kioviensi, catholici dogmatici veritas, ratione et via confirmata et Christi caritate veluti perfusa, iisdem orientalibus christianis cum Pastore Supremo reconciliandis iter pandere visa est.

tum quasi continua.

Pauca haec, Venerabiles Fratres, quae adhuc commemoravimus, paternam profecto huius Apostolicae Sedis erga nationes orientales providentiam studiumque manifestant; illustriora ea quidem, sed suapte natura rariora. Alia tamen permulta, neque unquam intermissa, a Romana Ecclesia — continenti quadam atque, ut ita dicamus, cotidiana beneficiorum effusione — in totius Orientis plagas profecta sunt commoda, missis praesertim religiosis viris qui vitam ipsam insumerent ut orientalium nationum utilitati consulerent. Huius enim Apostolicae Sedis auctoritate veluti suffulti, magnanimi illi viri ex Francisci Assisiensis potissimum atque ex Dominici religiosis familiis, prodiere, qui, domibus excitatis novisque sui Ordinis provinciis institutis, cum theologica tum ceteris doctrinis, quae ad civilem religiosumque cultum pertinent, non sine ingentibus laboribus, non modo Palaestinam et Armeniam sed regiones quoque alias excoluerunt, ubi Orientales, Tartarorum Turcarumve dominationi obnoxii, per vim a Romana unitate seiuncti, optimis quibusque ac religiosis praesertim disciplinis destituerentur.

His accesserunt conamina Athenaei Parisiensis

Quae quidem insignia promerita atque Apostolicae Sedis mentem optime perpendisse et perspexisse visi sunt iam inde a saeculo XIII Parisiensis Athenaei Doctores, qui, ut memoriae proditum est, Sedis eiusdem votis optatisque obsecundates, collegium quoddam orientale Athenaeo suo coniunctum condidere : quod quidem quibus progressionis studiorum orientalium floreret, quos ederet fructus, decessor Noster Ioannes XXII Hugonem Parisiensem Episcopum, aliquanto post, sollicite percontabatur (1).

et plurium doctorum virorum.

Huc alia accedunt haud minus praeclara, earundem aetatum testata monumentis litterarum. Humbertus de Romanis, vir sapientissimus, Ordinis Praedicatorum Magister generalis, in libro quem conscripsit « de iis quae tractanda videbantur in Concilio generali Lugduni celebrando » haec singillatim conciliandis animis Orientalium veluti necessaria commendabat : (2) scientiam seu peritiam linguae graecae, « quia per genera linguarum diversitas gentium in unitate fidei congregatur » : tum graecorum copiam librorum ac nostrorum item librorum in Orientalium sermones conversorum opportunam supellectilem ; idemque fratres obtestabatur suos, Mediolani in capitulo generali congregatos, ut orientalium idiomatum notitiam studiumque magni facerent sancteque excolerent, ut sacris ad illas gentes expeditionibus promptos se paratosque, si Dei voluntas ferret, praestarent. Haud aliter e Franciscalium familia Rogerius Bacon, doctissimus ille et Clementi IV, decessori Nostro, carissimus vir, non solum de linguis Chaldaeorum, Arabum, Graecorum erudite conscripsit (3) sed aliis etiam earundem notitiam explanavit. Hos autem aemulatus Raymundus ille Lullus, singularis item eruditionis ac pietatis vir, multa multoque vehementius, — quod erat viri ingenium, — a decessoribus Nostris Caelestino V ac Bonifatio VIII rogando impetravit, pro ratione temporum nonnulla audacius excogitata, de negotiis studiisque Orientalium tractandis, de uno aliquo ex ipsis Purpuratis Patribus studiis iisdem praeficiendo, de sacris denique expeditionibus iisque assiduis instituendis, cum apud Tartaros, Saracenos aliosque infideles, tum apud « schismaticos » ad unitatem Ecclesiae revocandos.

Inde decretum Viennense de scholis linguarum Orientalium.

At vero sollemnius illud et praecipue memorandum, quod eodem hortatore ac duce, ut referunt, in Concilio Viennensi generali latum et a Clemente V, decessore Nostro, promulga-

(1) Denifle-Chatelain, *Chartul. Univ. Paris.*, t. II, n. 857.
(2) Mansi, t. XXIV, col. 123.
(3) *Opus maius*, pars tertia.

tum est decretum, quo veluti adumbratum Institutum Nostrum Orientale deprehendimus: « Hoc sacro approbante Concilio, scholas in subscriptarum linguarum generibus, ubicumque Romanam curiam residere contigerit, necnon in *Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi* et *Salamantino* studiis, providimus erigendas, statuentes ut in quolibet locorum ipsorum teneantur viri catholici sufficientem habentes *hebraicae, graecae, arabicae* et *chaldaicae* linguarum notitiam, duo videlicet uniuscuiusque linguae periti, qui scholas regant inibi, et libros de linguis ipsis in latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas sollicite doceant, earumque peritiam studiosa in illos instructione transfundant; ut instructi et edocti sufficienter in linguis huiusmodi fructum speratum possint Deo auctore producere, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles.... » (1).

Collegia Romae erecta.

Quoniam vero, apud orientales illas nationes, rebus omnibus tunc temporis perturbatis ac plerisque scientiarum adiumentis dissipatis, vix aut ne vix quidem studiosorum hominum mentes, ceteroquin perspicacissimae, altioribus doctrinis institui poterant atque exornari, idcirco nostis, Venerabiles Fratres, eam quoque fuisse decessorum Nostrorum curam, ut, cum alia in praecipuis, quae per id temporis essent, sedibus seu Universitatibus studiorum propria Orientalium magisteria paterent, tum vero potissimum in hac almae Urbis luce opportuniora quaedam veluti seminaria excitarentur, unde illarum gentium alumni, omni doctrinae ornatu diligentissime instructi, ad bonum certamen certandum in aciem paratissimi descenderent. Quamobrem monasteria primum ac Collegia pro Graecis Ruthenisque Romae constituta, et domus Maronitis Armenisque attributae: quo autem animarum emolumento doctrinaeque progressu, sive liturgica sive ceterarum disciplinarum documenta luculentissime testantur quae Sacra Congregatio a Fide Propaganda variis Orientalium linguis evulganda curavit, sive codices pretiosissimi orientales quos Vaticana Bibliotheca diligenter collectos religiosissime servavit.

Studia recentium Pontificum.

Nec res hic ullo pacto constitit: cum enim proximi decessores Nostri, ut supra docuimus, probe intelligerent ad caritatem mutuamque aestimationem fovendam plurimum conferre uberiorem rerum orientalium inter Occidentales cognitionem, ad tantum bonum comparandum omni contentione incubuerunt. Testis est Gregorius XVI, qui, ad Summi Pontificatus fastigium evectus eo ipso anno quo pontificia legatione apud Alexandrum,

(1) Denifle-Chatelain, *Chartul. Univ. Patris*, t. II, n. 695.

Russorum imperatorem, perfuncturus erat, res russicas diligentissime explorraverat; testis Pius IX, qui, et ante et post coactum Concilium Vaticanum, orientalium rituum avitarumque doctrinarum studia evulganda impensius commendaverat; testis Leo XIII, qui, cum Coptos et Slavos, tum Orientales universos tan o amore ac pastorali sollicitudine prosecutus est, ut, praeter novam Augustinianorum familiam a Beata Virgine in caelum Assumpta nuncupatam, alios quoque Religiosorum coetus ad orientalium rerum notitiam hauriendam augendamve incitaverit, Orientalibus ipsis nova Collegia cum in eorum regionibus tum in hac ipsa Urbe erexerit, Berytensem Societatis Iesu studiorum Universitatem, hodiedum florentissimam Nobisque carissimam, amplissimis laudibus decoraverit; testis Pius X qui, Pontificio Instituto Biblico in Urbe excitato, novum erga res et linguas orientales ardorem, nec sine laetissima fructuum segete, in multorum animis incendit.

et Ben. XV qui Institutum Orientale condidit.

Quam quidem in gentes orientales paternam providentiam, sacra veluti haereditate a Pio X acceptam, proximus decessor Noster Benedictus XV studiosissime aemulatus, ut pro viribus, rebus Orientalium praesidium atque incrementum afferret, non solum Sacram Congregationem a ritibus rebusque omnibus Orientalium constituendam curavit, verum etiam « proprium altiorum studiorum domicilium de rebus orientalibus in hac Urbe, christiani nominis capite », condere statuit, « idque et omni apparatu quem huius aetatis eruditio postulat ornatum, ut doctoribus in unoquoque genere peritissimis Orientisque perstudiosis insigne » (1), immo facultate etiam « doctorales laureas, in ecclesiasticis dumtaxat disciplinis quae ad Orientales Christianas gentes attinent », conferendi donatum, (2) quod non solis Orientalibus pateret vel iis ipsis qui a catholica unitate seiuncti essent, sed latinis maxime sacerdotibus qui aut sacrae eruditioni operam dare aut apud Orientales sacrum ministerium obire voluissent. Summa igitur laus doctissimis illis viris est tribuenda, qui quatuor ferme annos sedulo in eo elaborarunt ut novensiles instituti alumnos orientalibus disciplinis imbuerent.

et praesentis Pontificis, qui Institutum prius in aedes

Illud tamen eiusdem peropportuni Instituti incrementis non leve incommodum obstabat, quod etsi Vaticanis aedibus erat propius, longius tamen ab ea Urbis parte distabat, quae ma-

(1) Benedictus PP. XV, Motu proprio *Orientis catholici*, XV Octobris MDCCCCXVII [*Acta Ap. Sedis*, IX (1917), n. 11, pp 531-533].

(2) Benedictus PP. XV, Litterae Apostolicae *Quod Nobis*, XXV Septembris MDCCCCXX [*Acta Ap. Sedis*, XII (1920), n. 1 , pp. 440-441].

Instituti Biblici, in proprias transferendum decrevit, et eius administrationem Societati Iesu commisit.

xime incolitur. Quamobrem, quod Benedictus XV faciendum cogitarat, Nos quidem inde ab inito Pontificatu ad effectum deducere volentes, Institutum Orientale in Biblici Instituti aedes, quippe studiis atque propositis maxime cognati, transferendum decrevimus, distinctum tamen, eaque mente, ut, simul ac res ferret, sede sua peculiari donaremus. Porro praecaventes ne unquam virorum copia in posterum deesset qui orientalibus disciplinis tradendis pares essent, idque facilius rati Nos esse assecuturos si unam Religiosorum familiam tantae rei gerendae praeficeremus, Nostris Ipsi litteris, (1) die XV Septembris anno MCMXXII datis, Praeposito Generali Societatis Iesu praecepimus ut, pro amore suo debitaque Sanctae Sedi Christique Vicario obedientia, difficultatibus quibuslibet superatis, omnem Instituti administrationem susciperet hisce legibus: ut, eiusdem Instituti magisterio supremo Nobis ipsis Nostrisque successoribus avocato, Praepositi Generalis Societatis Iesu esset, viros ad Instituti munera, difficillima sane, idoneos comparare, sive Praesidis sive doctorum; utque perpetuo, cum per se ipse tum per Praesidem, Nobismet Nostrisque successoribus approbandos proponeret quos ad varias Instituti disciplinas tradendas deligere censuisset, eaque demum omnia referret quae ad eiusdem Instituti vitam tutandam atque incrementa fovenda conducere viderentur.

Laetus de fructibus iam collectis,

Iamvero, sexto mox anno elapso, cum haec decernere, nec sine quodam divino instinctu, placuit, licet Nobis gratias Deo maximas agere quod Nostris laboribus messis iam laetissima arriserit. Alumnorum enim auditorumque, quamquam — ut fert natura ipsa Instituti — numerus ingens nec fuerit nec sit futurus, non adeo tamen exiguus exstitit, ut non summopere delectemur, quod iam valida hominum manus in dies succrescens ex umbratili hac palaestra mox in apertum campum sit proditura, doctrinae pietatisque praesidiis instructa quibus Orientalium commodis non parum profutura videatur.

laudat Ordinarios qui sacerdotes aliquot suos pro orientalibus disciplinis in Urbem miserunt, hortatur ut alii exemplum istud sequantur.

Atque hoc loco, Ordinarios, sive Episcopos sive familiarum religiosarum Moderatores vehementer dilaudantes, qui optatis Nostris ultro obsecuti, ex amplissima gentium regionumque diversitate, ex Oriente atque Occidente, sacerdotes aliquot suos orientalibus disciplinis imbuendos in Urbem miserunt; atque hortantes praeterea reliquorum coetuum Antistites, qui per orbem latius propagantur, ut, tantum exemplum secuti, alumnos, quos ad huiusmodi studia noverint aptiores atque

(1) *Decessor Noster* [*Acta Ap. Sedis*. XIV (1922) n. 15. pp. 545-546].

propensiores, ad hoc Nostrum Institutum Orientale mittere erudiendos ne negligant, liceat, Venerabiles Fratres, in mentem vobis revocare quae fusius Litteris Encyclicis « Mortalium animos » nuper disseruimus. Quis enim iam possit ignorare quam frequentes misceantur sermones de certa quadam unitate, a mente Christi, Ecclesiae Conditoris, prorsus aliena, christianos inter omnes procuranda? vel cui non sunt auditae disceptationes quae in plurimis Europae praesertim et Americae partibus passim exagitantur, eaeque gravissimi momenti cum de Orientalium coetibus vel cum Romana Ecclesiae consentientibus vel ab eadem etiamnum dissidentibus inquiritur? At vero, si nostrorum Seminariorum alumni, quod certe laetandum, qua sunt de Novatorum erroribus toto studiorum curriculo doctrina imbuti, facile quidem illorum argumentationes captiosas et discernunt et dissolvunt; verum iidem, plerumque, non ea doctrina sunt instructi qua certam, in quaestionibus de Orientalium rebus moribusque, ac de legitimis eorumdem ritibus, in catholica unitate tam sancte retinendis, sententiam ferre possint, cum gravissima id genus argumenta peculiare quoddam idemque accuratissimum studium expostulent.

Ne Seminariorum alumni, qui alios errores falsae unitatis dissipare possunt,

impares sint ad certam sententiam ferendam in quaestionibus de Orientalium rebus et moribus.

Quare, cum nihil omnino negligendum sit quod ad optatissimam tam conspicuae dominici gregis partis unitatem cum vera Christi Ecclesia restaurandam conferre videatur, vel ad maiorem caritatem erga illos fovendam, qui, ritibus diversi, Romanae Ecclesiae Christique Vicario mentibus animisque intime adhaerent, vehementer vos, Venerabiles Fratres, obsecramus ut singuli unum aliquem saltem e sacerdotibus vestris deligendum curetis, qui, orientalibus disciplinis probe eruditus, easdem Seminarii alumnis opportune tradere sit paratus. Equidem non ignoramus Universitatum Catholicarum esse peculiarem quandam de rebus orientalibus facultatem, quam vocant, instituere; cui quidem officio, Nobis ipsis auctoribus atque adiutoribus, Parisiis, Lovanii, Insulis, satisfieri iam coeptum esse ex animo gratulamur: quemadmodum in nonnullis aliis theologicorum studiorum sedibus, gaudemus, ipsorum etiam rerum publicarum moderatorum sumptibus, nec sine sacrorum Antistitum consensu hortatuque, recens instituta fuisse orientalium huiusmodi magisteria disciplinarum. Verum, haud ita difficile sit in singulis theologicis Seminariis unum aliquem haberi doctorem, qui una cum disciplina vel historica vel liturgica vel iuris canonici, nonnulla de rebus orientalibus saltem elementa tradere valeat. Atque ita alumnorum mentibus animisque ad Orientalium doctrinas ritusque conversis, non tenue

Quare vehementer Pontifex Ordinarios hortatur, ut, praeter facultatem de rebus Orientalibus quae in non una iam catholica Universitate instituta est-sit in singulis Seminariis Doctor qui non nulla, saltem elementa de rebus Orientalibus tradere queat.

emolumentum capiatur necesse est, neque id solum in Orientalium commodum, at ipsorum alumnorum, quos par est et uberiorem exinde catholicae theologiae latinaeque disciplinae cognitionem haurire et vehementiorem erga veram Christi Sponsam amorem animis concipere, cuius miram pulchritudinem, et in ipsa rituum varietate unitatem, splendidiore quodam modo effulgentem conspexerint.

Praeterea S Pont. vitam florentissimam Instituto Orientali parare statuit, gratus de donis acceptis, hortator novarum largitionum.

Cum autem omnia eiusmodi commoda, quae in rem christianam ab ea, quam descripsimus, iuniorum institutione proficiscerentur, animo reputavissemus, Nostri muneris esse duximus nullis unquam parcere laboribus ut Orientalis Instituti a Nobis confirmati vitam, non modo tutissimam, sed etiam, quoad fieri posset novis in dies incrementis florentissimam praestaremus. Quare cum primum Nobis licuit, propriam illi sedem ad S. Mariae Maioris in Exquiliis attributam voluimus, eam inprimis pecuniae vim in Antoniana domo redimenda novoque muneri aptanda collocantes, quae ex liberalitate munifici Antistitis, vita haud ita pridem functi, et pii cuiusdam viri e Foederatis Americae Civitatibus Nobis obvenerat: quibus propterea amplissimam caelestium praemiorum remunerationem cupimus ac precamur. Neque illud silentio praetereundum, quod ex Hispania Nobis suppeditatum est unde ampliorem atque honestiorem in nova ipsius Instituti sede bibliothecam adornaremus. Qua liberalitate in exemplum dilaudata, cum ex usu experientiaque tot annorum, quos in Bibliothecis Ambrosiana et Vaticana regendis traduximus, optime percipiamus quanti momenti sit novam hanc bibliothecam instrumentis exornare quibus cum doctores tum alumni commode orientalium rerum notitias quasi ex quibusdam, abditis iis quidem ignotisque interdum, verum ditissimis venis haurire et in publicam utilitatem possint derivare, Nos, nullis perterriti difficultatibus; quas nec paucas nec leves futuras praesentimus, toti erimus in iis omnibus, quae Orientis regiones, mores, linguas, ritus attingant, comparandis; gratissimi si qui, pro sua erga Christi Vicarium pietate, tantae rei conficiendae, sive stipe conferenda, sive libris, codicibus, tabulis, aliisque id genus Orientis christiani monumentis vestigiisque suppeditandis, opem auxiliumque Nobis pro viribus contulerint.

Quo pacto sic promoveatur causa unitatis.

Atque exinde confidimus futurum, ut nationes orientales, cum tot maiorum suorum pietatis, doctrinae, artium luculentissima monumenta suis ipsae oculis conspexerint, re ipsa edoceantur quanto in honore vera, perennis, legitima « orthodoxia» a Romana Ecclesia habeatur, quantaque religione con-

servetur, defendatur, propagetur. Quibus omnibus tamquam validissimis argumentis, ut sperare aequum est, perculsi, maxime si mutuo studiorum commercio caritatis christianae momentum accesserit, quidni Orientalium plerique, avitas repetendo glorias praeiudicatasque opiniones deponendo, ad optatissimam gestiant redire unitatem, quae non manca quadam, sed — ut genuinos Christi cultores decet in uno ovili sub uno Pastore consociandos — integra atque aperta fidei professione fulciatur?

Qua ratione Institutum Orientale industriam suam adhibeat explicatur.

Quae laetissima dies ut tandem orbi christiano affulgeat, desideriis effusisque a Deo precibus postulamus. Interea iuverit fortasse. Venerabiles Fratres, vel breviter indicare qua ratione in praesenti Institutum Nostrum Orientale industriam laboremque suum, Nobiscum conspirando, tanto exsequendo operi adhibeat. Duo enim sunt genera studiorum quibus doctorum navitas absolvitur; alterum quod inter domesticos cancellos veluti continetur, alterum quod in publicum prodit, editis Orientis christiani documentis, aut inexploratis adhuc aut temporum iniuria oblitteratis.

Institutio iuniorum.

Iamvero, in ipsa iuniorum institutione praeter dogmaticam dissidentium theologiam, Patrum orientalium explanationem, rerumque item omnium quae sive ad orientalia studia ratione et via aggredienda sive ad historiam, liturgiam, archaeologiam ceterasque sacras disciplinas, variasque earum nationum linguas, pertinent, illud prae ceteris libentissime commemoramus, byzantinis institutionibus islamicas etiam — quod in romanis Athenaeis ad haec usque tempora fuerat forte inauditum — Nos tandem adiicere potuisse. Quae enim fuit divinae Providentiae bonitas singularis, huiusce disciplinae sane perutilis tradendae virum praefecimus, qui natione Turca ortus, post diuturna studia, divino Numine adspirante, catholicam religionem professus ac sacerdotali dignitate auctus, aptissimus visus est qui alumnos, quotquot apud suos populares sacro ministerio erunt perfuncturi, rationem doceat, qua sive cum rudioribus hominibus sive cum viris exquisitiore doctrina expolitis, unius individuique Dei legisque evangelicae causa feliciter sit agenda.

Peculiariter memorantur institutiones byzantinae, islamicae.

In publicum evulgata « Orientalia christiana ».

Nec minoris momenti sunt ad catholicum nomen propagandum legitimamque unitatem inter christifideles procurandam quae Instituti Orientalis opera atque industria in publicum evulgantur. Quae enim volumina, « Orientalia Christiana » inscripta — pleraque quidem ab ipsis Instituti doctoribus, nonnulla ab aliis quoque rerum orientalium peritissimis viris, eiusdem consilio Instituti elucubrata — iam paucis hisce annis sunt edita, ea vel explanant quae huius illiusve gentis veteres

hodiernasve condiciones, nostratibus plerumque ignotas, attingunt: vel religiosam Orientis historiam, ex abditis hucusque documentis expressam, nova luce collustrant. Eadem praeterea cum orientalium monachorum et ipsorum Patriarcharum cum hac Apostolica Sede necessitudines enarrent Romanorumque Pontificum sollicitudinem in eorum iuribus bonisque tutandis; tum theologicas dissidentium sententias de Sacramentis deque ipsa Ecclesia cum catholica veritate conferunt et componunt; tum etiam orientales codices illustrant et declarant. Denique, ne enumerando longius progrediamur, nihil est quod ad sacras disciplinas spectet, aut aliquam cum Orientalium cultu cognationem prae se ferat — qualia, exempli causa, sunt graeca vestigia in Italia inferiore asservata — quod diligentissimis eorum virorum studiis alienum videatur.

Spes inde concepta de reducendis ovibus Christi in unum ovile.

Quae cum ita sint, cuius animus tantam laborum molem, in Orientalium commodum potissimum susceptorum, contemplatus, firmissima spe non erigatur, fore ut benignissimus hominum Redemptor, Christus Iesus, tot hominum lugendum casum miseratus, longe a recto tramite dudum aberrantium, Nostrisque inceptis obsecundans, oves tandem suas in unum ovile ab uno Pastore moderandas reducat? Praesertim cum apud illos populos tanta divinae Revelationis pars religiosissime asservata sit; et sincerum Christi Domini obsequium et in eius Matrem intemeratam amor pietasque singularis, et ipsorum Sacramentorum usus vigeat. Quare, cum ad opus humanae Reparationis perficiendum Deus, pro sua benignitate, hominibus, sacerdotibus praesertim, administris uti statuerit, quid restat, Venerabiles Fratres, nisi ut vos iterato, quam possumus vehementissime, compellemus atque obsecremus ut una Nobiscum, non modo mentibus animisque consentiatis, sed etiam operam vestram et laborem conferatis quo citius dies illucescat optatissimus, quo Graecorom, Slavorum, Rumenorum aliarumque orientalium nationum non paucos solum, sed plerosque filios hucusque disiunctos ad pristinam cum Romana Ecclesia consuetudinem restitutos salutabimus? Meditantibus autem Nobis quae tantae laetitiae maturandae, Deo iuvante, inceperimus simusque perfecturi, videmur cum illo Nos patrefamilias posse comparari quem Christus Dominus ad coenam invitatos rogantem inducit *ut venirent: quia iam parata sunt omnia* (Luc. XIV, 17). Quae verba in nostram rem derivantes, vehementer vos, Venerabiles Fratres, cum universos tum singulos cohortamur, ut, orientalium rerum studia omni ope provehentes, Nobiscum animi vires ad tantum perficiendum opus inten-

Hortatio ad communem zelum.

datis. Atque ita, omnibus demum optatissimae unitatis impedimentis amotis, Beata Virgine Deipara Immaculata sanctissimisque illis Orientis atque Occidentis Patribus Doctoribusque auspicibus, fratres filiosque tamdiu a nobis dissidentes reduces aliquando in domum paternam complectemur, ea caritate arctissime coniunctos, quae veritate plenaque christianae legis professione tamquam solidissimo fundamento innitatur.

Implorato auxilio B. M. V. et sanctorum Orientalium, Pontifex benedictionem impertitur.

Quibus ut Nostris inceptis felicissimus arrideat exitus eventusque, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres et gregi vestris curis concredito apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies 27 sept. 1928.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Septembris, in festo Nativitatis B. M. V., anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

Annotationes

I. Multis magnae suae erga Orientales dilectionis signis Sanctus Pater novum addidit argumentum, idque praeclarum, publicando Litteras Encyclicas « *Rerum Orientalium* », quibus Christi-fideles totius mundi ad Orientalium rerum studium exhortatur.

Quod Pontificium documentum, quam opportune nostris temporibus acciderit, non effugiet quicumque consideret quanta de condicione Orientis christiani ignorantia non raro inveniatur etiam apud viros ceteroquin in scientiis ecclesiasticis optime versatos.

II. Quantum vero talis ignorantia rei catholicae et unitati Christi-fidelium restabiliendae damnum et nocumentum afferat, expositione non indiget. In comperto enim est mutuam populorum ignorationem et opiniones praeiudicatas maxime in causa fuisse tristis illius et miserae divisionis, qua Ecclesiae Christi vestis immaculata tot saeculis dilaniatur. Neque in futuro fratrum separatorum ad veram Ecclesiam reditus sperari licet, nisi antea ex utraque parte, non solum apud paucos selectos sed apud multitudinem cleri et fidelium errores multi obsoleti, opiniones

falsae aboleantur et aestimatio caritasque mutua successerint in locum diffidentiae et aversionis.

Nemo autem non videt ad tam felicem rem obtinendam necessarium esse inprimis sufficientem horum populorum, eorumque mentis, historiae, morum, rituum, in quibus tam multa ex primis saeculis fideter servaverint, cognitionem. Tali sane cognitione eo magis opus est quo magis nostris temporibus falsae cuiusdam unionis, quae non est secundum mentem Christi, ideae — praesertim quidem apud acatholicos — passim sparguntur, quibus imprudens quis et in negotio tam difficili non satis instructus facile forte abriperetur. Genuina autem fidelium unitas et sincera caritas fundamento veritatis necesse est superstruatur.

III. Talis autem rerum orientalium peritia et cognitio praecipue in sacerdotibus requiruntur qui fidelium sunt pastores et duces. Ideoque, secundum votum S. Patris, in singulis Seminariis saltem unus antecessor adsit qui elementa quaedam rerum orientalium tradere valeat. Pro penitiore vero disciplinarum orientalium studio Pontificium Institutum Studiorum Orientatium a decessore suo in Urbe erectum SS. D. N. Pius XI non solum confirmavit, sed novis semper curis auxit atque ampliavit, atque ut eo unum saltem ex sacerdotibus sibi subditis mandent, omnes catholici orbis Antistites et Religionum Moderatores invitat.

Quodsi hoc modo cognitio et amor sincerus Orientis christiani inter clerum et populum diffusa erunt, si tam sancta unionis causa non solum in votis paucorum erit sed magno cum desiderio et cum zelo ardente per preces multorum milium fidelium a caelo quotidie eflagitabitur, tunc sperandum est fore ut Deus optatissimum illum diem adducat, quo ingentes Orientis populi ad Ecclesiae unitatem redeant, ita ut sub uno visibili pastore unum ovile esse manifestum fiat.

E. Herman, S. I.
Professor iuris can. in Instituto Orientali

60. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Breve « Francisci Salesii », 29 ian. 1928

DENUO APPROBANS CONST. ORDINIS SORORUM A VISITATIONE B. M. V.

(A. A. S. 1 Aug. 1 13, XX, 2.0).

P.US PP. XI.

Praestantia et historica fata Sororum a Visitatione.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Francisci Salesii** inter opera, quae ad spirituales animarum in Ecclesia progressus augendos, Dei spiritu ductus, ipse sanctus Doctor incepit explevitque, Sororum a Visitatione fulget Institutum, constitutionibus regulisque « sapientia, discretione, suavitate » mirabilibus ditatum. Anno quidem MDCX, die festo Sanctissimae Trinitatis, sua habuit initia domus Visitationis Anneciensis, quae prima ac veluti mater est totius Instituti ; in eademque Sancta Ioanna Francisca Frémiot de Chantal, paucissimis tunc sibi sociis adiunctis, a Salesio Episcopo mandatum novae fundationis simulque nondum perfectas constitutiones recepit. Ab illa quidem Anneciensi parva Sororum a Visitatione domo, quam piissimus fundator cum humili sed profunda radice comparare solebat, a qua nulli rami nullaeque fibrae evelli possunt sine eorundem mortis periculo, ceterae sororum a Visitatione familiae — et prima quidem Lugdunensis ab eadem Fundatrice mox efformata — emanarunt quae variis in locis, alia post aliam, progressu temporis constitutae sunt. Sicut *granum sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus et cum seminatum fuerit crevit et fit arbor magna,* ita suum habuit initium et crevit Religiosarum a Visitatione Institutum, quod Salesius voluerat ad interiorem vitam spiritualem augendam quarundam animarum, quae Sanctissimum Iesum Dominum Nostrum vestigiis secutae, possent, speciali Dei gratia, se abdere a mundanis, atque ita, imitatrices effectae humilitatis Redemptoris Nostri, vitam in Deo absconditam plane vivere, quasi in divino Corde latere, cogitatum, sensus, passiones, cupiditates animique inclinationes quoquo pacto coërcentes, veluti denique cruci fixae soli Iesu crucifixo inservire. Quum pia fundatrix ex hac vita mortali migravit, paucis post annis a Sancti Francisci obitu, quo tempore tredecim tantum monasteria a Visitatione exstabant, iam intra Galliae, Helvetiae atque Italiae fines septem et octoginta domus Instituti florebant; et haud multo post in Belgio, in Germania,

Intentio fundatoris.

Mira Instituti propagatio.

in Hispania atque etiam in Palaestina Sororum a Visitatione monasteria constituta sunt. Gallica vero rerum perturbatione grassante, quae exeunte XVIII saeculo omnia rei sacrae religionisque vestigia evellere conata est, moniales quoque Ordinis Visitationis Beatae Mariae Virginis ad sancta et dilecta claustra relinquenda et deserenda coactae sunt, sed postea, turbine ac tempestate rei publicae illius sedatis, denuo in patria domos sibi constituerunt in quibus fideliter pieque observari possent tum primi Anneciensis monasterii *Consuetudines*, quibus, uti caritatis unionisque ligamine, ad invicem inter se domus alligantur, tum *Constitutiones* Regulaeque, quas Sanctus Doctor ad institutum ab ipso conditum gubernandum accommodaverat, et iam rec. mem. Decessor Noster Urbanus Pp. VIII sanctione Apostolica munierat. Eaedem quidem Constitutiones ita in omnibus moderationem ac suavitatem spirant· ut moniales omnia sibi imperata facile explere queant, pietatem, sanctitatem ceterasque virtutes adipisci possint, quae sunt propriae animarum earum, quae, a mundo segregatae, peculiari modo se Deo voverunt, et Christo sponso dicarunt. Et revera ob easdem regulas Ordo a Visitatione haud parvo numero piarum sanctarumque sodalium in Ecclesia fulsit, quas inter Sancta Francisca de Chantal et Sancta Margarita Maria; ac propterea nil mirum si has mirabiles Constitutiones, tamquam pretiosa hereditate a Sancto Fundatore relictas, integras inviolatasque ad haec nostra tempora adservarint sorores, quibus iugiter fuit maxima cura ne quid novi in easdem irreperet, quo piae Ordinis Consuetudines et domorum observantia labefactari possent. Sed post Codicis iuris canonici promulgationem, ad spirituale Sororum a Visitatione bonum magis prospiciendum, peropportunum visum est Constitutiones praefatas ad Codicis praescripta conformare, eisdem etiam additis aliquibus immutationibus, quae recentiorum temporum necessitatibus accommodatae viderentur. Sacrae vero Congregationis pro Religiosorum Sodalium negotiis S. R. E. Cardinalis Praefectus Nobis sic emendatas Constitutiones proposuit denuo adprobandas; Nosque, animo repetentes Religiosarum familiam a Visitatione optimum locum merito obtinere inter Ordines Institutaque, quibus Ecclesia in terris redimitur, loculentum Nostrae benevolentiae pignus eiusdem Ordinis sororibus exhibere censuimus, quod ipsas voti compotes reddat. Itaque motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum Ordinis Monialium Visitationis Beatae Mariae

Consuetudinum et Constitutionum laus.

Post Codicis promulgationem recognitas Constitutiones, S. Pontifex motu proprio et ex certa scientia plenissime in perpetuum approbat.

Virginis Immaculatae Constitutiones, quarum exemplar tum in Sacrae praefatae Congregationis tum in Brevium tabulario servabitur, plenissime adprobamus, eisdemque Apostolicae sanctionis robur adiicimus.

Haec, quae in tam frugiferae familiae religiosae bonum atque emolumentum maxime cessura rati decrevimus, statuimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exsistere ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. *Clausulae.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Ianuarii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri sexto. *Dies (29 ian. 1928).*

P. Card. GASPARRI, *a Secretis Status.*

---

61. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola 8 mart. 1928

DE LAUDIBUS CONDITORUM SOC. LUGDUN. DE MISSIONIBUS AFRICANIS.

(A. A S. 10 sept. 1923, XX, 289).

PIUS PP. XI

Dilecte fili (1), salutem et apostolicam benedictionem. — Memoriam proxime apud vos celebratum iri clarissimorum virorum Melchioris Marion de Brésillac et Augustini Planque, quod alterius, vestri quidem legiferi patris, exuviae Lugdunum ex Africa translatae sint, alterius autem, qui operam tam impensam in societate ista augenda navavit, centesimus sit dudum *Laete acceptonuntio de proposita celebratione clarissimorum fundatorum.*

(1) Ad R. P. Ioannem M. Chabert, societatis lugdunensis missionibus Africae provehendis Generalem moderatorem : de laudibus Missionalium virorum Melchioris Marion de Brésillac et Augustini Planque, sodalitatis conditorum.

expletus natalis dies, libenti plane animo Nos didicimus. Siquidem utrumque de religiosa civilique re optime admodum meruisse liquet. Postquam enim ardens ille Evangelii praeco, Marion de Brésillac, multa quidem atque egregia gesserat, donec praesertim, episcopatus honore deinde auctus, vicariatum rexit Coimbaturensem, consilio plane obsequens Apostolicae Sedis, hoc pacto Societatem vestram constituit ut in aliquam unam ex inexploratis tum Africae regionibus christianum nomen inferret. Atque mirum est quantam gratiarum ubertatem suo ipsius immaturo obitu is missionalium familiae recens conditae a remuneratore Deo conciliarit. Etenim cum, vicariatum Sierrae Leonis moderandum vix suscipiens, pestilentia una cum sociis occubuisset, Augustinus Planque, animose vestigia eius premens, nimium quantum contulit ad societatis vestrae incrementum. Hoc auctore, non modo, fecunditate quadam caelesti, missionales alumni et alumnae deinceps in immensum crevere, sed etiam alii Africae vicariatus eorum studio commissi sunt, quos inter vicariatus de Dahomey, regio ob incolarum immanitatem periculosissima, quam quidem ad christianam legem traducere, Pater legifer imprimis optaverat. Merito igitur Augustinus Planque apud vos alter Societatis conditor habetur, ideoque dignissimus quem una cum Melchiore Marion de Brésillac sollemniter vos Lugduni, in ipsa scilicet Societatis sede, commemoretis. Quapropter sumite animos ex hac recordatione quotquot estis instituti istius sodales; illud saepissime considerantes nihil esse sanctius in terris neve praestabilius quam Christi regnum, animarum salutem procurando, longe lateque amplificare. Nos vero id ominantes ut, auspice Virgine Matre, vastissimus sollertiae vestrae campus laetis fructibus cotidie magis abundet et opportuna auxilia a Deo precati, in bonum auspicium itemque in paternae benevolentiae Nostrae signum, tibi, dilecte fili, iisque omnibus qui ad Societatem pertinent, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Pontifex Societatis Lugdunensis promerita effert;

Sublimitatem suscepti operis declarat.

Fructus, auspice B. M. V. exoptat et apprecatur; et Apost. Benedictionem largitur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Martii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

Dies (8 martii 1928).

PIUS PP. XI

62. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Epistola 23 iun. 1928

AD MIN. GEN. FR. MIN. CAPULATORUM 4^{0} EXEUNTE SAEC. A CONDITO ORDINE

I

PIUS PP. XI

Origo, laeta istius Ordinis incrementa.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Merito quidem laetatur Ordo iste capulatorum Fratrum, cui tu praees sollerter, quarto exeunte saeculo ex quo is feliciter conditus est. Etenim cum praeclara haec religiosorum Familia, ineunte saeculo XVI ab iis franciscalibus viris constituta sit qui propius voluere legiferi Patris vestigia sequi; tanto spiritus ardore capulati Fratres severiorem quandam caritatisque plenam vitam agere coeperunt ut optime sane de re christiana civilique meruerint. Ac norunt omnes apostolatu maxime studioque praecellentium virorum factum esse ut ex magna Fratrum Minorum familia, quasi ex arbore, novum nasceretur virgultum, quod in aliam arborem pedetentim succrescens, longe lateque suos ramos protenderet. Itaque auspicato evenit ut brevi capulatorum Fratrum numerus mirum in modum, Deo favente, augeretur: in Italia, in Gallia, in Germania atque in aliis Europae regionibus; his quidem praesertim consiliis ut, non modo mutuo se ipsos ad virtutis apicem excitarent, sed etiam, caritate duce, et iis qui in mortis discrimine versarentur spiritualem opem ferrent, et omnibus, concionando, catholicam veritatem populari modo traderent.

Encomia caritatis operum:

misericordiae in miseros;

Historia docet quantopere in nosocomiis, in carceribus, in calamitatibus demum omne genus ad proposita huiusmodi exsequenda istorum Fratrum desudarit industria. Inter alias, pestilentias illas hic memoramus quae bis Mediolani, anno scilicet MDLXXVI, Caroli Borromaei tempore, et anno MDCXXX, Massiliae autem anno MDCCXX vehementissime saeviere; in quibus capulati Fratres laetali morbo affectis opitulati sunt ex eisque non pauci, caritatis victimae, occubuerunt. Praeterea, militibus nautisque iidem prodesse consuevere; ut in navali illo proelio quod apud Echinadas insulas factum est ac deinde in pugnis apud Albam Regalem et Vindobonam; quarum in

in milites et nautas

praedicationis et haereticorum conversionis, adorationis SS.; sodaliciorum SS. Passionis;

altera S. Laurentii a Brundusio, in altera vero Marci ab Aviano mirifice sane virtus eluxit. Sed multo magis praedicationi divini verbi et haereticorum conversioni ad Tridentinae Synodi optata, dederunt operam; adorationem simul Sacramenti augusti per XL horas et sodalicia Ss. Passionis per varia loca constituendo. Passim autem populares missiones instituerunt; quo in campo S. Ioseph a Leonissa et B. Didacus a Gadibus praecipue enituere: atque omnes ex Ordine isto oratores, secundum Regulam S. Francisci *vitia et virtutes, poenam et gloriam, ad utilitatem et aedificationem populi* eloquio potenti nuntiaverunt. Ad exteras autem missiones quod attinet, iam inde a saeculo XVI dissitas Africae plagas ad Evangelii lumen afferendum captivosque redimendos petierunt capulati Fratres; quorum nonnulli a Xysto Pp. V merito laudum praeconio honestati sunt. Item in plures alias Asiae, Europae et Americae regiones, catholicis provehendis missionibus, se contulerunt; in eisque tam invicto quidem animo pericula difficultatesque omne genus superari soliti sunt, ut promptos se paratosque praeberent ad ipsius vitae iacturam subeundam, uti S. Fidelis a Sigmaringa, Beati Agathangelus a Vendosimo et Cassianus a Nannetibus aliique multi, sanguinem pro Christi nomine fuderunt. Neque illum heic si'entio praeterire volumus virum fortissimum, Guilelmum Massaia Cardinalem, qui recens in media Africa tot tantaque religionis et caritatis opera patravit ut eius memoria apud omnes in benedictione sit. Ex his quae summatim scripsimus manifesto patet quam praeclara sint istius Ordinis promerita; ideoque mirum non est, si decessores Nostri, occasione data, benevolentiam suam ei testati sint eundemque meritis laudibus honestaverint. Nos vero, non secus atque illi, paterno plane amore vos prosequimur debitas Deo grates de beneficiis acceptis vobiscum agentes. Vehementer autem vobis de eventu tam fausto gratulati, id potissimum ominamur ut, ex saeculari hac commemoratione alacritatem novam sumentes, incorruptam vel in posterum vestri Ordinis notam retineatis, imitationem scilicet Francisci Patris severiorem. Ad hanc rem, opportuna vobis auxilia a Dei benignitate imploramus; atque interea, in hörum munerum auspicium itemque in peculiaris voluntatis Nostrae signum, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, singulisque tuis sodalibus amantissime in Domino impertimus.

exterarum missionum.

Congratulatur Pontifex; exoptat constantem fervorem in imitanda severiore disciplina S. Francisci.

Benedictio.

Dies (23 ian. 1928)

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Iunii anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

63. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Epistola ad Episcopos Lithuaniae 14 iunii 1928.

VARIA SUADENS AD EXCITANDUM CHRISTIANAE VITAE USUM IN POPULO

(A. A. S. 1 aug. 1928, XX, 254.)

PIUS PP. XI

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — **Peculiari** quadam alacritate ac studio, postquam provincia ecclesiastica haud ita pridem a Nobis per constitutionem *Lithuanorum gente* istic condita fuerat, Romam, catholicae fidei sedem, coniunctim petere maturavistis; merito quidem censentes — in lithuana ista religiosarum ac civilium rerum renovatione — non posse vos felicius utiliusque apostolatum vestrum auspicare quam efffciendo ut grex cuiusque vester in dies arctius Pastori Summo adhaereret, ab eoque salutis normas, in posterum sequendas, per vos acciperet. Quoniam igitur gratum Nobis contigit, occasione tam praeclara, vestro frui aspectu et alloquio, maximeque cum de patria vestra sermo esset, quam Nosmet ipsi invisimus et cognovimus, idcirco facere non possumus quin, pietati vestrae respondentes, aliquid vobis scribamus; eo magis quod, lithuanarum condicione rerum vobis exposita, placet nonnulla suadere, quibus in populo isto Nobis carissimo christianae vitae usus etiam atque etiam excitetur. Principio, laetamur equidem magnae vobis curae esse ut recte iuvenes educentur: quam quidem ad rem assequendam, cum necesse sit ut tria illa societatis humanae fundamenta, familia scilicet religio, civitas, mutua opera conspirent, tum patet praecipuum id esse ecclesiasticae autoritatis munus, penes quam rationes ipsae nituntur rectae honestaeque vitae, fides nempe ac pietas. Quare libenter propositum vestrum laudamus ea promovendi instituta, scholas imprimis atque collegia, ubi et christianis principiis iuvenum mentes imbuuntur, et ipsorum animi bonis moribus conformantur. Ita, per ephebaea huiusmodi itemque per consociationes Mariales aliasque pias sodalitates, per oratoria demum domosque studiosae iuventuti excipiundae, seiunctis videlicet maribus a feminis, illud fiet feliciter ut tam multa arceantur pericula et damna, quae praesertim ex pravis qui-

Litterarum occasio et intentio.

Laudat propositum Episcoporum curandi iuventutis institutionem.

busdam educandi rationibus, in societatis humanae perniciem, oriri prorsus necesse est.

In quo opere iuvandi sunt tum a parentibus tum ab ipsa Civitate.

Quo in genere valde interest ut adulescentulorum parentes ne obliviscantur cum sibi esse ius officiumque liberos bene educandi, tum facere se non posse quin Episcoporum et cleri utriusque sollertiae obsecundent, quo per sobolem ita excultam facilius Ecclesiae Civitatisque bonum promoveant. Quoniam vero « pendet a religione, qua Deus colitur, reipublicae status ; multaque inter hunc et illam cognitio et familiaritas intercedit », sequitur non modo a familia sed etiam a Civitate ipsa iuvandam esse Ecclesiam in recta iuvenum institutione, utpote quae et fidei custos sit et bonorum morum magistra. Ea igitur duce, illi exspectandi sunt cives lectissimi qui, conscientia quidem legibus obtemperantes, in suorum perfunctione munerum ad patriae decus prosperitatemque plurimum conferent. Nos ceterum, ut aliis rebus iisdemque gravibus, ita iuvenili eiusmodi institutioni per pacta illa conventa opportune perspeximus quae feliciter Apostolicam Sedem inter et Lithuaniam recens inita sunt : ac fore confidimus conventa ipsa sancte inviolateque servata eam fructuum copiam in hoc etiam rerum genere allaturam, quam in optatis habemus, quaeque ab Ecclesia sperari licet cum vim suam inter populos exercere libera potest. Quo quidem loco temperare non possumus, quin memoriam recolamus Praesulis illius clarissimi Georgii Matulewicii, qui, mandatis Nostris plane obsequendo naviterque laborando, ad istam religiosarum rerum renovationem viam munivit ; e cuius exemplo manifeste apparet quantum geminata Dei patriaeque caritas ad optabilia omnia sane assequenda possit ac valeat. Praeterea, quod maxime Nobis cordi est, impensam vos operam dabitis, venerabiles fratres, ut et iuvenes qui in spem sacerdotii adolescunt rite instituantur et ecclesiasticam disciplinam qui iam Sacerdotio aucti sunt firmiter constanterque retineant. Novum profecto clerum instructum omnino esse oportet a pietate, a doctrina, a virtute, cum non solum sibi sed etiam aliis, boni pastoris ac magistri partibus obeundis, sempiternam salutem parere debeat : etenim si, in tanta errorum vitiorumque colluvie, quibus periclitantur animae, virtute is ac doctrina careret, fideles ipsos sibi concreditos in extremum interitum secum traheret. Habetis igitur, venerabiles fratres, quomodo dioecesium vestrarum bono consulatis : recte adulescentem clerum fingendo. Itaque in eo desudet uniuscuiusque vestrum industria ut Seminaria, ad normam sacrorum canonum, condatis, quibus optimi moderatores ac magistri prae-

Fructus ex hsm. institutione sperandi. Spes posita in fideli exsecutione pacti conventi cum S. Sede.

Memoriam recolit Praesulis G. Matulewicii.

Maxime Pontifici cordi est recta cleri institutio : nec virtute nec doctrina clerus carere potest.

ficiantur; et qui inde proficiscetur maior cotidie instructiorque sacerdotum numerus, erit is corona vestra et solacium praemiumque vestrorum laborum optatissimum. Esto clerum apud vos iampridem sacris initiatum, ob animarum studium ceteraque ingenii ornamenta, merito commendari Nostraque laude dignum esse: attamen cum sollicitudines illae, quas Nos habuimus hisce annis in religiosis Lithuaniae rebus fovendis, eo spectarent ut istic christiana pietas magis magisque floreret, clare liquet quantopere *novas ascensiones in corde suo disponere*, procedendo *de virtute in virtutem*, non modo populus sed etiam, praecipueque, clerus teneantur. Quamobrem sacerdotes omnes vestigia prementes Pastorum Principis, Iesu Domini, factique *forma gregis ex animo*, contendant oportet ut fideles non modo *vitam habeant*, sed abundantius habeant. Quapropter vos hortamur ut diligenter admodum ecclesiasticam disciplinam in clero confirmare studeatis: primum quidem eorum animos erigendo qui pietate, pastoralium perfunctione munerum sacrorumque canonum observantia excellant, dein vero defectus et abusus, sicubi sint, emendando, prohibendo quominus clerici vel iis rebus dent operam quae ipsos dedeceant, vel profana loca frequentent, vel sacerdotalem vestem gestare omittant; hanc enim ii tantum erubescunt qui saecularium hominum more vivere volunt. Denique de Actione catholica, quam vocant, vos, venerabiles fratres, alloqui cupimus; de qua nostis peculiarem quandam mentionem in pacta illa conventa inductam esse, quae supra memoravimus. Valde equidem eam probamus, dummodo ubivis iis regatur legibus quas cum in primis Nostris Encyclicis Litteris, tum pluries postea, occasione data, descripsimus. Quandoquidem enim per ipsam a lectis de populo viris actuosa opera sacris Pastoribus navatur, non potest res catholica non provehi, cum virtus in singulis et in convictu domestico sanctitudo foveatur; itemque Societati civili prosperitas veri nominis afferetur, quae caritatis operibus et avitae fidei tuitione continetur. Permagni sane ad communem salutem interest, quemadmodum patet, ut actio huiusmodi — quae quidem ab omnibus ex eadem natione catholicis, cum omnibus prosit, promoveri debet — ne, politicis rebus implicata, intra angustos alicuius factionis fines coerceatur. Etenim seponantur oportet factionum commoda cum de religionis rebus agatur, per quas maximae et verae civitati ipsi utilitates afferuntur. Cumque *actio catholica* nihil sit aliud nisi *actio religiosa*, non eadem studiis partium, sed plena catholicorum concordia niti ac consistere debet eo conspirantium ut communis christianae vitae

Commendat confirmationem eccles. disciplinae in clero, animum bonorum erigendo, emendando defectus.

De actione catholica agens, eam valde probat si traditis stet legibus.

Ne politicis rebus implicetur, cum non partium studiis sed plena catholicorum concordia niti debeat.

Religio non est cum aliqua parte civili permiscenda.

sensus atque usus privatim publice retineantur. Meminerint ergo catholici — quatenus Actionem catholicam moderantur vel participant — quae hac in re decessor Noster Leo XIII f. r. (in Epist. Enc. *Cum multa*), opportune sapienterque edixit: « fugienda illorum opinio praepostera, qui religionem cum aliqua parte civili permiscent, usque adeo, ut eos, qui sint ex altera parte, prope descivisse a catholico nomine decernant. Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis campum perperam compellere, fraternam concordiam velle dirimere, funestaeque incommodorum multitudini aditum ianuamque patefacere ». Quatenus - imquimus - actionem catholicam moderantur vel participant; ipsi enim, ut cives sunt, prohiberi nequeunt quominus, nulla Actionis catholicae, qua talis, opera interposita, civili suffragii iure utantur. Quin immo a gravi officio iidem deficerent nisi politicis rebus civitatis, provinciae, Status, pro viribus consulerent; eo vel magis quod, ut verba eiusdem Pontificis Leonis XIII referamus (Enc. Litt. *Immortale Dei*) « catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant ». At praesertim cleri est actionem catholicam a politicis rebus seiungere; cum enim religiosas res populi universi is curare debeat, prorsus eum dedecet factioni alicui studere; siquidem cavendum est ne ministerii eius dignitas inter partium conflictus deteratur neve qui ad contrarias factiones pertinent, errore fortasse decepti, a religione abalienentur. Quae si quidem omnia serventur, nullum catholicae actioni detrimentum obveniet.

Iidem tamen qui actionem catholicam moderantur vel participant, debent ut cives politicis rebus pro viribus consulere.

Praesertim cleri est actionem catholicam a politicis rebus seiungere; ipsum dedecet factioni alicui studere.

Vota Pontificis et benedictio.

Interea vehementer confisi fore ut omnes, hisce consiliis monitisque Nostris obtemperando, istud renovationis opus auspicato initum, alacri animo urgere pergatis, opportuna auxilia a Deo vobis precamur; quorum praenuntia munerum itemque paternae benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio, quam vobis, venerabiles fratres, universoque clero et populo vigilantiae uniuscuius vestrum concredito, amantissime in Domino impertimus.

Dies (24 iun. 1928).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Iunii, in Nativitate S. Ioannis Baptistae, anno MDCCCCCXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. Praeclaris istis litteris denuo, qua catholici et cives, rectam iuventutis institutionem maximi facere docemur.

II. Genuina *actionis catholicae* notio iterum explicatur, cum dicitur esse eadem atque *actio religiosa,* qua selecti de populo viri operam suam Sacris Pastoribus offerunt. Qua talis debet a partium studiis et factionibus politicis manere aliena.

III. Opportunissime autem peculiarem curam cleri gerens, S. Pontifex maxime sollicitus est ut quaecumque, in laboribus, in frequentatione locorum, in habitu externo dedeceant sedulo fugiat: et ipse, qui religiosas universi populi res curare debet, actionem catholicam, magis quam alii a politicis rebus seiungat, nullique factioni studeat: quae occasio Pontifici est haec gravissima addendi: « siquidem cavendum est ne, inter partium conflictationes, ministerii eius dignitas deteratur, neve qui ad contrarias factiones pertinent, errore fortasse decepti, a religione abalienentur ».

IV. Nec minus opportune S. Pontifex subiungit studia politica a viris catholicis deseri nullatenus posse.

V. Dum isto exemplo cernimus S. Pontificem ad varia loca sua praecepta prudenter attemperare, simul etiam monemur, ut docilitas nostra magis spiritus et mentis, quae idem manent, quam litterae quae ad adiuncta aptatur sit curiosa.

64. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Beatissimi Patris Nuncium (1) 1 aug. 1928

De Sinensi populo

(A. A. S. 1 aug. 1923, XX, 245)

AD VENERABILES FRATRES LOCORUM ORDINARIOS ET AD DILECTOS FILIOS SACERDOTES ET FIDELES SINARUM ET PER EOS AD NOBILISSIMUM ILLARUM REGIONUM POPULUM.

Demonstrato affectu ad populum quem primus pari iure cum ceteris agnovit, S. Pontifex congratulatur ei restitutam pacem, quam exoptat stabilem.

Ideo sperat fore ut plene agnoscantur legitima vota et iura populi numero, antiquo cultu et splendore nobilis, et quem manent laeta praesagia.

Il Santo Padre, (2) che ha seguito e segue con vivo interesse il corso degli avvenimenti in China, e che è stato il primo a trattare la China non solamente sul piede di perfetta uguaglianza, ma con atteggiamento di vera e specialissima simpatia, consacrando di Sua mano, a Roma, in San Pietro, i primi Vescovi Chinesi, si compiace vivamente e ringrazia l'Altissimo per la fine della guerra civile, e fa voti che sia instaurata costì una pace duratura e feconda, interna ed esterna, basata sui principii della carità e della giustizia. Per il raggiungimento di questa pace si augura Sua Santità che siano pienamente riconosciute le legittime aspirazioni ed i diritti di un popolo che è il più numeroso della terra, popolo di antica cultura, che conobbe periodi di grandezza e di splendore, ed al quale, ove si mantenga nelle vie della giustizia e dell'ordine, un grande avvenire non può mancare.

Vult ut missiones catholi-

Vuole il Santo Padre che le Missioni cattoliche portino il loro contributo alla pace, al benessere, al progresso della China,

(1) Ad R. P. D. Celsum Costantini, Archiepiscopum Theodosiopolitan. Delegatum Apostolicum in Sinis, telegraphice transmissum, cum Sinarum Ordinariis communicandum.

(2) *I. e. latine:* SS. Pater, qui Sinensia fata attentissima sollicitudine prosecutus est et prosequitur, et qui primus egit cum Sinensi ditione non tantum tamquam perfecte ceteris aequali, sed etiam ut veram et specialissimam suam benevolentiam alliciente, dum Romae, in S. Petri, primos episcopos Sinenses propria manu consecravit, ingens gaudium concipit et Altissimo gratias agit de fine belli civilis, et exoptat ut pax longa et fecunda, interna et externa, nixa principiis caritatis et iustitiae, ibi constituatur.

Ut haec pax obtineatur, Sanctitas Sua ominatur ut plene agnoscantur legitima vota et iura populi, omnes alios numero superantis, populi antiqui cultus, qui tempora magna et splendida novit, et cui, si in viis iustitiae et ordinis se contineat, magna futura deesse non possunt.

Vult Sanctus Pater ut catholicae Missiones paci, prosperitati et progres-

e secondo quanto scriveva nella lettera del 15 Giugno 1926, *Ab ipsis Pontificatus primordiis,* diretta agli Ordinari della China, ripete ora che la Chiesa Cattolica professa, insegna e predica il rispetto e l'ubbidienza alle Autorità legittimamente costituite e che essa domanda per i suoi missionari e fedeli la libertà e la sicurezza del diritto comune.

cae prosperitati Sinensi cooperentur, repetit quae Ecclesia doceat de observanda legitima auctoritate; quae roget pro suis missionariis, actionemque catholicam Ordinariis commendat.

Ai medesimi Ordinari raccomanda Sua Santità, come integrazione dell'opera evangelizzatrice, di organizzare e sviluppare l'Azione Cattolica, affinchè i fedeli cattolici dell'uno e dell'altro sesso, e specialmente i cari giovani, con la preghiera, con la buona parola e con le opere portino essi pure il debito contributo alla pace, al benessere sociale e alla grandezza della loro patria, facendo sempre meglio conoscere i santi e salutari principii del Vangelo e aiutando i Vescovi ed i Sacerdoti nella diffusione dell'idea cristiana e dei benefici individuali e sociali della cristiana carità.

Sua Santità infine, reiterando auguri e voti per la pace e la prosperità della China e supplicando Iddio onnipotente di esaudirli con ogni larghezza, impartisce a tutti quanti la sua paterna ed Apostolica Benedizione.

Benedictio.

Dal Vaticano, 1° Agosto 1928.

Dies (1 aug. 1928).

ANNOTATIONES

I. Monumentum istud parum solitae est formae et figurae: id postulabat enim via qua S. Pontifex sua mandata misit. Inscribitur *nuntium*, quod perinde valet ac gallice et italice dictum *message, messagio.*

---

sui Sinarum operam suam conferant; et quantum in litteris 15 iun. 192[illegible], *Ab ipsis Pontificatus primordiis,* ad Sinarum Ordinarios scripsit, nunc iterum pronuntiat, Ecclesiam catholicam profiteri, docere et praedicare reverentiam et oboedientiam legitime constitutis Principibus, rogare autem ut suis missionariis et fidelibus libertas et securitas iuris communis sit sarta tectaque.

Iisdem Ordinariis, ut opus evangelicum hac ratione integretur, Sua Sanctitas commendat institutionem et ampliationem Actionis catholicae, ut ipsi fideles utriusque sexus, et praecipue dilecti iuvenes, oratione, bono sermone et opere quod debent contribuant paci, bono sociali et magnitudini suae patriae: diffundant semper melius sancta et salutaria Evangelii principia, et adiuvent Episcopos et Sacerdotes in propagatione ideae christianae et beneficiorum individualium et socialium christianae caritatis.

Demum Sanctitas Sua, iterando omina et vota pro Sinarum pace et prosperitate, et suppliciter orando Deum omnipotentem ut ea amplissime exaudiat, paternam et Apostolicam suam Benedictionem omnibus largitur.

Ex aedibus Vaticanis, 1 aug. 1928.

Telegraphice autem missum est. Immediate ad catholicos, sive Ordinarios, sive fideles, et mediate per eos ad universum Sinarum populum dirigitur.

Quare, neque in initio neque in fine nomen Pontificis legitur. Quasi scriptum sit a Secretario, ne ipsa quidem Benedictio personalem formam induit, sed haec mere ut data refertur.

II. Quo spectet autem, in propatulo est. Sollicitus de munere suo Apostolico et de incolumitate suorum, S. Pontifex vult sibi populum Sinensem conciliare;

1. Excitando gratum eius animum ob singularem benevolentiam et aestimationem populi Sinensis, quam Ipse primus demonstravit eidemque laeta praesagiendo:

2. Iubendo ut catholicae missiones publicae Sinarum utilitati cooperentur;

3. Inculcando doctrinam catholicam de observantia principibus debita;

4. Suis non postulando nisi communis iuris libertatem et securitatem.

III. Actionem catholicam ibi etiam florere vult. Hanc iterum propriis suis notis signat, ut activam fidelium participationem apostolatus catholici.

---

65. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Epistola 15 aug. 1928

DE ANTVERPIENSI CONVENTU CONSOCIATIONIS IUVENILIS PRO ACTIONE CATHOLICA.

(A. A. S. 10 sept. 1923, XX, 295)

PIUS PP. XI

Laudata Consociatione ab Em. viro condi-

Dilecte fili Noster (1) salutem et apostolicam benedictionem. — **Cum ex epistula** a Nobis data ad Praesidem conventus,

(1). Ad Emum P. D. Iosephum Ernestum tit. S. M. in Aracaeli, S. R. E. presb. Card. Van Roey, archiepiscopum Mechliniensium, de conventu consociationis iuvenilis pro actione catholica, Antuerpiae habendo.

quem catholica Belgicae iuventus superiore anno Leodii habuit, iuvenes Belgae linguae flandrensis comperissent probeque intellexissent quid Nos de coniunctione animorum instauranda in rei catholicae incrementum optaremus, magna equidem cum iucunditate vidimus, perlibentes eos frequentissimosque in Consociationem ingredi properasse a te, dilecte fili Noster, haud ita pridem optimo consilio conditam, in qua sibi liceret, sepositis causis animum avocantibus ac discidia foventibus, Actioni catholicae dedere se totos. At multo hodie magis idcirco delectamur, quia, quae, brevi hoc temporis intervallo, iecisti semina, ea in iuvenes tam bene dispositos animatosque cecidere, ut uberes sane fructus, exspectatione citius, ediderint. Consociatio enim ista, *Jongverbond voor Katholieke Acktie* vulgo nuncupata, cuius propria ex Lege perspecta illa tua, dilecte fili Noster, sapientia ac pastoralis sollicitudo alte eminet, paucis tantummodo ab ortu suo mensibus elapsis, in eo est ut Antuerpiam — in urbem vetustate, portus pulchritudine et mercaturae copia mirabilem — conveniat, eamque de se spem commovet, fore ut primo isti conventui, ob frequentiam studiosamque coeuntium iuvenum voluntatem, laetissimus exitus arrideat. Qui quidem carissimorum Nobis iuvenum conventus, quam frugifer futurus sit ita animo prospicimus, ut, in tantis quibus angimur aerumnis, quod tale Nobis solacium comparare velit, Deo benignissimo grati admodum simus: ex Nostro autem gaudio quae quantaque vos omnes Belgarum Episcopos iam nunc delectatio afficiat, sitque deinceps cumulatura, facile coniicimus. Carissimorum Nobis iuvenum, inquimus: quibus summopere gratulamur, quod in Pastoribus suis ipsos ad sancta causae catholicae certamina appellantibus Iesu Christi Vicarium divinumque Ecclesiae Conditorem appellantem sic agnovere, ut generositate parêre nobilissima properarint. Quamquam nihil profecto erat, quod Nobis polliceri non possemus ab dilectis Flandriae catholicae filiis, qui quam acriter fidem avitamque religionem retineant, quam reverenti Nos et Apostolicam Sedem studio prosequantur, quam arcte constanterque cum Praesulibus suis cohaereant, habemus exploratissimum. Est igitur, quare multiplices maximaeque obveniant Ecclesiis vestris utilitates ex animosa ista iuvenum cohorte, qui veteranis Actionis Catholicae militibus veluti succrescunt in praesens atque adiiciuntur: Actionis scilicet illius, quam inde ab inito Pontificatu, ut continenter in oculis tulimus, sic numquam commendare desivimus. Quo in genere utinam iuvenes Antuerpiam coituri habeant sibi persuasum, singulari prorsus Dei gratia se ad eiusmodi munus

ta, cuius socii se totos catholicae Actioni se dant,

Pontifex laetus plaudit primo iuvenum conventu Antverpiensi.

Iuvenibus gratulatur docilitatem qui in invitantibus. Pastoribus, appellantem Christi Vicarium ipsumque Ecclesiae Conditorem agnoverunt.

De praestantia actionis catholicae disserit, descripta eius natura et fine.

vocari ac deligi, quod a sacerdotali munere haud longius abest, cum Actio Catholica nihil demum sit aliud, nisi christifidelium apostolatus, qui, ducibus Episcopis, adiutricem Ecclesiae operam praestat et pastorale eius ministerium quodammodo complet. Quoniam vero, quotquot Actionem Catholicam participant ac provehunt, hoc, nisi orando, laborando, se ipsos devovendo, non faciunt, liquido patet, eos uno illo dumtaxat studio duci ac ferri — quo quidem studio nullum nobilius reperias — parandi Domino aditus in hominum animos et dominici regni cotidie latius proferendi, scilicet, ut uno verbo dicamus, instaurandi omnia in Christo. Verumtamen ii ipsi meminerint oportet, actionem suam non tam mancam ac debilem quam omnino sterilem fore, nisi, quemadmodum decet apostolicos cives, caritate in fratres ac proximos, nullo discrimine, inflammentur atque ardeant. Quae quidem caritatis flamma — cum eas, quae aliis cum aliis ex ingenii, officiorum, stirpis morumque varietate intercedant, asperitates mulcere ac temperare, difficultates auferre una possit — nonne item poterit sternere sensim ac gradatim viam quaestionibus vel gravissimis, ad aequitatis iustitiaeque leges, ad catholica principia, dirimendis, quae ad Civitatis societatisve humanae bonum pertineant? Interea non dubitamus, quin iuvenes Flandrenses, Consociationis, quam memoravimus, sodales, communem Nostram ac vestram, adeoque Ecclesiae Dei, spem exspectationemque expleant omnem; ac non explere non possunt, si, liberis vacuisque ab omni alia sollicitudine animis, apostolatum suscipiant ad quem a Domino vocantur, et nullo non tempore Apostolicae Sedi, Episcopis suis eorumve delegatis obedientiam pietatemque, filiis studiosissimis dignam, exhibeant. Bene igitur veniat prima ista iuventutis e Flandria congressio, quam cupimus optamusque ut satis multae — alia ex alia fructuosior — sequantur, quibus ipsemet, dilecte fili Noster, quam diutissime sospes, praesideas. Atque ut inceptum recte utiliterque procedat, adiuvet apostolica benedictio, quam, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, venerabilibus fratribus Belgarum Episcopis et iis universis, qui Antuerpiam ad coetus celebrandos convenient, peramanter impertimus.

Postulat caritatem in proximos, nullo facto discrimine.

Cari'as ista sola difficultates superare potest et viam parare gravissimis quaestionibus recte et catholice dirimendis.

Exspectatio Pontificis de Apostolatu et de docilitate iuvenum.

Pontificis omina et benedictio.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis Augusti, in festo Assumptionis B. Mariae Virginis, anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

Dies (15 aug. 1928) festus Assumptionis B. M. V.

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. Litterae istae, tum pro catholicis in genere, tum peculiariter pro Belgii catholicis non levis momenti sunt.

Pro catholicis in genere, inquam, propter accuratam et fusiorem descriptionem actionis catholicae, cuius etiam indicatur finis, qui est: « sternere sensim ac gradatim viam quaestionibus vel gravissimis, ad aequitatis iustitiaeque leges, ad catholica principia dirimendis, quae ad Civitatis societatisve humanae bonum pertineant ».

Pro catholicis Belgii, addo, quia Pontifex non obscure alludit ad controversas inter catholicos Belgii quaestiones de lingua flandrica eiusque promotione. In qua re, non nulli qui extremas partes tenent etiam communibus Episcoporum Belgii praeceptis et monitis oboedientiam detrectarunt. Ideo, ne cogitent de appellatione ad S. Sedem, Papa gratulatur aliis qui « in Pastoribus suis ipsos ad sanctae causae certamina appellantibus Iesu Christi Vicarium divinumque Ecclesiae Conditorem appellantem sic agnovere ut generositate parere nobilissima properarint ».

Ideo etiam praedicat caritatem qua « in fratres ac proximos, nullo discrimine, inflammentur atque ardeant ».

II. Observes etiam quam accurate Pontifex definiat quibusnam obtemperandum sit: i. e. Apostolicae Sedi et Episcopis, qui soli ordinariam iurisdictionis hierarchiam constituunt. Sub istis non designat (contra atque erronee interdum scribitur) parochos, sed *delegatos.* Delegans autem esse potest sive Papa, sive Episcopus; delegati autem esse possunt tum parochi, tum alii ecclesiastici viri, sive saeculares sive religiosi.

66. — SS. D. N. Pius Pp. XI

Motu Proprio 30 sept. 1928

DE PONTIFICIIS INSTITUTIS BIBLICO ET ORIENTALI CUM ATHENAEO GREGORIANO CONSOCIANDIS

(A. A. S., 1. oct., 1928, XX, 309)

PIUS PP. XI

Memorata fere perfecta exstructione a se imperata novarum aedium Univ. Gregorianae,

Quod maxime erat in votis, quodque paterno memorique studio persequi non destitimus, id laeto animo fere perfectum iam conspicimus: novas dicimus aedes quas in usum Universitatis Nostrae Gregorianae Litteris « Ea inter », die V mensis Maii anno MCMXXIV datis, excitari iussimus, earumque exaedificationem tanti momenti esse duximus, ut primum lapidem illo ipso anno iactum annuo nomismate aureo commemoraverimus.

Aequum enim erat, ut iisdem Litteris significavimus, hoc almae Urbis Athenaeum — quo, iam a quattuor fere saeculis, iuniores clerici ex omnibus paene orbis terrarum partibus (1) cotidie frequentiores confluunt — sedem habere rei munerisque dignitati, discipulorum numero, auctis magisteriis omnino congruentem atque commodioribus doctrinae et studiorum subsidiis rite instructam.

Pontifex non minus cupit ut scientifice compleatur.

Iamvero ad fovenda huius Nostrae Academiae incrementa, non modo aptum eius domicilium exstruendum curavimus, verum etiam, non aliter ac decessores Nostri, ita eam omni ex parte complere cupimus, ut vera, perfecta pleneque ad temporum necessitates accommodata studiorum omnium ecclesiasticorum Universitas evadat.

Quare duo Instituta, Biblicum et Orientale, artiore vinculo cum Univ. Greg. copulare statuit.

Quamobrem, postquam diu multumque rem consideravimus, consentaneum Nobis visum est ut duo Instituta Biblicum et Orientale cum Universitate Gregoriana, arctiore quodam vinculo, connectendo copularemus: in quo ipse rerum cursus, ductu quidem decessorum Nostrorum, ad felicem optati Nostri exitum viam quasi muniisse videtur, quandoquidem non sine Dei consilio almae huic Urbi obtigit ut Pontificia studiorum Universitate nobilitaretur quae Apostolicae Sedis et patrocinio digna esset et exspectationi omnino responderet.

(1) Litt. Ap. « Quem in almam », 18 dec. 1923.

Originem, additis rationibus, recolit Instituti Biblici;

Et sane ipsi Athenaei Gregoriani moderatores, cum studiorum tam biblicorum quam orientalium nostris praesertim temporibus et momenta et pericula probe perspicerent, facere non potuerunt quin intelligerent novis necessitatibus per ordinarias exegesis, introductionis, linguarum orientalium scholas satis consultum non esse. Quare iam inde ab anno MDCCCCVIII, auspice quidem f. r. decessore Nostro Pio X, altiorem Sacrae Scripturae tradendae scholam instituerunt, quae ad novam condendam Facultatem viam quodammodo pararet. Verum res tantae erat amplitudinis, tot magisterii et studiorum subsidia postulabat ad disciplinas huiusmodi provehendas simulque praecavenda pericula, quae Fidei ex scholis rationalismo imbutis infectisve imminebant, ut decessores Nostri Institutum aliquod peculiare, quod in sua proxime tutela custodiaque esset condendum censuerint, ita ut « in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros sacros pertinentium haberetur centrum » (1) ubi iuvenes ex aliis Seminariis Urbis et orbis delecti excolerentur qui deinde, « gravitate et sinceritate doctrinae commendati », (2) divinos Libros sine offensione interpretarentur.

Itaque s. m. Pius X, quod iam pridem Leo XIII animo cogitarat sed perficere non potuerat, Litteris Apostolicis « Vinea electa » die VII mensis Maii anno MDCCCCIX datis, Pontificium Institutum Biblicum in Urbe aperuit aptissimoque domicilio donavit, iis legibus sapienter illud temperans, quae deinde « quemadmodum vel condicio temporum vel ipse rerum usus et experientia postulasset, ita corrigerentur, perficerentur » (3).

et Instituti Orientalis.

Haud dissimili ratione, proximus decessor Noster Benedictus XV, cum praesentes Ecclesiae omniumque populorum necessitates perpendisset cuperetque illud maturare ut fieret « unum ovile et unus pastor », eo quidem proposito ut gentes praesertim Orientales ad unitatem Ecclesiae reduceret, Litteris « Orientis catholici » die XV mensis Octobris anno MDCCCCXVII Motu Proprio datis, Pontificium Orientale Institutum in Urbe condere statuit, quod Nos Litteris Apostolicis « Decessor Noster », die XIV mensis Octobris anno MDCCCCXXII editis, Societati Iesu commissum voluimus quemadmodum Pius X Institutum Biblicum eidem Societati commiserat.

Curam huiusmodi studiorum Gregorianae traditioni

In huiusmodi autem studiis cum biblicis tum orientalibus impensius curandis Universitas Gregoriana tradita sibi ab antecessoribus suis navitatis exempla persequitur; novas enim

(1) Pius X, Litt. Ap. « Vinea electa », 7 maii 1909.
(2) Pius X, Litt. Ap. « Scripturae Sanctae », 23 febr. 1904.
(3) Bened. XV, Litt. Ap. « Cum Biblia Sacra », 15 aug. 1916.

consentaneam demonstrat.

pro temporum ratione Ecclesiaeque necessitatibus scholas evexit, ut satis luculenter comprobat celeberrima illa *Controversiarum* cathedra, quam B. Robertus Bellarmino diu obtinuit atque illustravit: quem quidem Universitatis Gregorianae doctorem in comperto est non solum in novatoribus sed etiam in Orientalibus ad Ecclesiae unitatem reducendis plurimum elaborasse.

Considerata, quoque accessione domus Hierosolymitanae, Motu Proprio praefata Instituta cum Univ. Greg. consociat, salva eorum autonomia et immediata subiectione RR. PP.

Cum igitur duo illa Instituta iam fructuum ubertate vigeant ac floreant, atque praeterea Hierosolymitana domus ad Institutum Biblicum omnino complendum nuper accesserit, ut propositum Nostrum exsequamur, Motu Proprio, de certa scientia ac matura deliberatione Nostra, statuimus atque decerminus Institutum Orientale cum Nostra Universitate Gregoriana consociari, et reapse consociamus, ita ut duae illae Facultates cum Facultatibus Gregorianis unam efficiant Pontificiam studiorum ecclesiasticorum Universitatem, ea tamen lege ut utrumque Institutum, Biblicum et Orientale, sui iuris esse pergat ac Nobis dumtaxat Nostrisque successoribus proxime subiiciatur et pareat.

Commoda et utilitates quae ex ista consociatione manabunt.

Quanti autem momenti sit huiusmodi consociatio, quamque multas ex ea sperare liceat utilitates, nemo profecto est qui non intelligat; siquidem in hominibus sacri ordinis tam magna requiritur, pro condicione temporum, doctrina atque eruditio, ut singula illa Instituta vel quibusvis adiumentis instructa, nullâ tamen aliorum conspiratione atque ope, id quo Ecclesia spectat, sacrarum scilicet disciplinarum progressionem aeternamque hominum salutem, assequi aut vix aut nullo pacto queant. Et quidem ex ea, quam diximus, coniunctione illud imprimis commodum habebitur, quod doctorum variis disciplinis tradendis facilior crebriorque erit inter se consuetudo communisque labor: facilius quoque iidem, collatis consiliis atque opera, commentaria, ephemerides et libros conscribere atque edere poterunt. Nec minus discipulis, qui unam ex his scholis celebrant, haec consociatio proderit; qui enim in peculiaria quaedam incumbunt studia, iis audire praeterea doctores, qui fundamentales ac generales, quas vocant, disciplinas docent eorumque consiliis iuvari; qui vero in has ipsas incumbunt, easque suo tempore docere parant, si quibus studere se peculiaribus quaestionibus oporteat, iis peritissimum quemque earum rerum doctorem adire licebit. Immo ipsa quoque domus Hierosolymitana omnibus pariter alumnis haud frustra patebit. Quoniam autem studiorum subsidium maximum planeque necessarium est ampla apteque instructa bibliotheca, haud sane mediocre nova consociatio hac quoque de causa afferet emolumentum, quod tres bibliothecae, quamquam loco disiunctae,

ita tamen, ad usum quod pertinet, consociari inter se poterunt, ut totius doctrinae ecclesiasticae et disciplinarum affinium quasi unus et completus thesaurus fere evadant. Quos omnes ad libros cum doctoribus tum alumnis, qui ad magisteria se praeparant, tanto facilior erit aditus si trium bibliothecarum in singulis Institutis terni indices praesto sint: ac sperare licet fore ut tria Instituta, maiore, quam antehac, liberalitate atque sollicitudine operam dare queant bibliothecis singulis, pro sua cuiusque parte, amplificandis.

Nuntiantur peculiaria statuta prout res postulabit.

Quae quidem de ratione, qua tria totius Universitatis quasi membra, ad communem finem conspirare debent, breviter adhuc exposuimus, ea prout res postulabit, peculiaribus statutis accuratius declarabuntur; at vero placet iam nunc singularum iura et privilegia confirmare et, quatenus opus sit, complere.

Iura ac privilegia Univ. Gregorianae Pontifex confirmat;

Atque primum, quae Universitati Gregorianae iura ac privilegia Iulius III, Pius IV, Gregorius XIII largiti sunt, Leo XII, post restitutum Societati Iesu Collegium Romanum confirmavit, Pius IX auxit, Leo XIII amplificavit et confirmavit quaeque Nosmet ab initio Nostri Pontificatus concessimus, ea omnia eidem Universitati Gregorianae, cum duobus Institutis coniunctae, per has Litteras Motu Proprio datas confirmamus ac rata habemus.

nominatim potestatem conferendi omnes academicos gradus in philosophia, theologia et iure canonico.

Nominatim autem, ut liquido pateat nihil Nobis antiquius esse quam ut dilectae iuventuti incitamenta stimulosque ad studia alacrius prosequenda adiiciamus, Athenaeo Gregoriano iterum et expresse potestatem facimus conferendi omnes academicos gradus in philosophia, theologia et iure canonico-quemadmodum decessorum Nostrorum Nostrisque litteris et decretis statuitur --- iis qui sub ductu et obedientia ipsius Athenaei doctorum earum disciplinarum studio vacaverint et, facto periculo, idonei habiti sint.

Optat ut ad Athenaeum Gregorianum et coniuncta Instituta mittantur futuri Seminariorum professores.

Quoniam vero iis, qui aut in eadem Universitate Gregoriana aut in aliis urbanis exterisve Athenaeis integrum philosophiae et theologiae curriculum feliciter emensi fuerint, etsi satis ampla harum disciplinarum scientia non deest, desunt tamen, ut eximii evadant magistri vel scriptores, amplior fontium cognitio, investigationis usus frequentior, laboris proprii maior consuetudo, altiora studia --- quae « magisterii cursus » appellantur --- idcirco cupimus optamusque, ut ad Athenaeum Gregorianum et coniuncta cum eo Instituta ii mittantur lecti iuvenes qui in Seminariis, praesertim ubi gradus academici conferuntur, doctoris munere functuri praevideantur. Quare Universitati Gregorianae iterum potestatem facimus conferendi

Confirmat potestatem conferendi titulum Magistri aggregati.

titulum *Magistri aggregati* facultatibus philosophiae vel theologiae iis omnibus qui hos cursus frequentaverint, integris condicionibus quae decreto a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus lato die XXIII mensis Iunii anno MDCCCCXXII, Nostri Pontificatus primo, praescriptae sunt.

Laudat et approbat Institutum « Culturae superioris religiosae », quae actioni catholicae adest.

Institutum denique « Culturae superioris religiosae » pro laicis viris in Universitate Gregoriana iam inde ab anno MDCCCCXIX feliciter inchoatum et anno MDCCCCXXVII ita amplificatum ut « Actioni Catholicae » efficacius adesset, rursus paterno studio laudamus et approbamus; et sinceros Matris Ecclesiae filios, qui in laicali quoque statu christianum apostolatum exercere cupiunt, hortamur ut scholas, nostris temporibus tam opportunas, quam frequentissimi adeant et doctrina catholica penitus imbui studeant.

Spes inde concepta.

Quibus quidem iuribus ac privilegiis usa eamque rationem studiorum secuta quae saeculorum experientiâ comprobata est, Universitas Gregoriana suum rite perrectura est munus efficiendi ut laici et praesertim iuniores clerici ac sacerdotes cum germanam ad mentem Aquinatis doctrinam tum romanos spiritus imbibant.

Confirmat privilegia Instituti Biblici, eique, soluta dependentia a Pont Commissione Biblica, potestatem facit conferendi etiam doctoratum.

Ad Institutum deinde Biblicum quod attinet, cum perfecta illa nunc demum ordinatione temperetur quae Apostolicae Sedi in optatis erat, iura omnia ac privilegia quae a decessoribus Nostris et a Nobismet ipsis tributa eidem sunt, ea quidem novare atque adeo complere statuimus. Pontificium igitur Institutum Biblicum, quemadmodum in ipsis Litteris Apostolicis, « Vinea electa » quibus condebatur cautum erat, « ab Apostolica Sede immediate dependeat » idemque a Pontificia Commissione Biblica in posterum omnino ne pendeat.

Quae vero Litteris Apostolicis « Biblia Sacra » die XV mensis Augusti anno MDCCCCXVI huic Instituto concessa sunt, cum, pro praesenti eius conditione, complere cupiamus, quo libentius discipuli ad gradus academicos in ipso Instituto per ordinarios cursus se praeparent, eidem Pontificio Instituto Biblico damus ut iis, qui ibidem studiorum curriculum rite peregerint et, facto scientiae periculo, digni atque idonei iudicati fuerint, usitatos honoris et dignitatis gradus, doctoratum quoque, in scientia biblica conferre possit.

Commissio tamen idem ius servat conferendi gradus.

Nec tamen per hanc concessionem Nostram ius et facultas Pontificiae Commissioni Biblicae adimitur conferendi, secundum suas ipsius leges, academicos eiusmodi gradus iis omnibus qui coram ea periculum de re biblica facere voluerint.

Iterare autem hoc loco placet cohortationem illam quam,

per Litteras « Bibliorum scientiam » Motu Proprio datas die XXVII mensis Aprilis anno MDCCCCXXIV, de frequentando a suis Instituto Biblico ad Ordinarios locorum Moderatoresque Ordinum et Congregationum religiosarum habuimus.

Confirmat litteras de frequentando Instituto Biblico.

Praeterea privilegia et iura confirmamus Instituto Nostro Orientali, praesertim gradus academicos in orientalibus studiis conferendi, a decessore Nostro Benedicto XV, Litteris Apostolicis « Quod Nobis » die XXV mensis Septembris anno MDCCCCXX, datis, itemque a Nobismet ipsis tributa; nominatim autem quae proxime superioribus Encyclicis « Rerum Orientalium » commendavimus ac statuimus, ea denuo hortamur ac rata habemus, plane confisi Institutum hoc valde profuturum esse ut Orientales ad unitatis centrum quam primum revocentur.

Confirmat privilegia Instituti Orientalis, denuo hortatur quae Enc. Rerum Orient. commendavit

Quod est reliquum, dilectissimos eos filios grato prosequimur animo qui Nobis ad consilia haec Nostra exsequenda opportunam opem tulerunt; nec dubitamus quin vel in posterum boni omnes Nos sint adiuturi, ut coepta haec Nostra ad felicem exitum perducantur.

Gratias agit iis qui Ipsi in his consiliis opem tulerunt et sperat non defutura in posterum similia adiumenta. Clausula

Quaecumque vero hisce Litteris, Motu Proprio datis, statuta a Nobis sunt, ea omnia firma et rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Septembris, in festo Sancti Hieronymi Doctoris Maximi, anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

Dies (30 sept. 1928).

PIUS PP. XI

N. B. - *Annotationes seu Commentarium in proximum fasciculum differuntur.*

---

67. — S. Congr. Concilii

Resolutio 10-13 dec. 1927

DE SEPULTURA IN ECCLESIA EXUVIARUM

SS. Conceptionis de Chile et aliarum

Die 10 Decembris 1927

(A. A. S , 1 aug. 1928, XX, 261)

Quaestio. — Episcopus SS.mae Conceptionis in Republica Chilensi haec Pontificiae Commissioni ad Codicis canones authentice interpretandos exponebat, quae eadem Commissio ad

Oratores, relato more iubendi testamento ut post aliquod tempus exuviae

sepéliantur in ecclesia,

H. S. C. detulit. « Hic in more positum cernimus, haud paucos christifideles ditiores, sacerdotes praesertim, cum condunt testamentum, inter alia suae voluntatis statuta heredibus adimplenda, hoc etiam committere, nempe suas se velle exuvias post aliquod temporis lapsum, decem vel quindecim annos, in hanc vel illam ecclesiam e communi coemeterio transferri ibique demum sepeliri ». Adsunt enim ad parietes ecclesiarum, vel ibidem fiunt ex commissione heredum, nonnullae excavationes seu loculi, ubi ossa et cineres in parvis arculis definitive componuntur. Id frequentatur etiam — ut alius Episcopus eiusdem regionis exposuit — in Oratoriis semipublicis monialium seu sororum, quae maxime cupiunt ut eadem Oratoria fiant locus definitivae ipsarum sepulturae. Praeterea placet nonnullis christifidelibus testamento disponere, ut, corpore sepulturae tradito, extrahantur tamen cor et praecordia, ut in ampulla rite clausa perpetuo asserventur in parietibus ecclesiarum aut oratoriorum. « At vero — prosequitur Episcopus — eiusmodi praxis non videtur posse componi cum can. 1205 § 2, qui sic effertur : *In ecclesiis cadavera ne sepeliantur.* Hinc quaeritur :

vel condendi partes corporis in ecclesiis aut oratoriis,

Quaerunt de praxi ista,

« 1. Potestne tolerari praxis, de qua supra, saltem pro sacerdotibus aut Religiosis ?

de vi can. 1205 § 2.

« 2. Can. 1205 § 5 intelligendusne est etiam de ossibus ; ita ut haec quoque sepeliri interdicantur in ecclesiis ?

« 3. An vero sensus verbi *cadavera* presse sit accipiendus ? ».

Observationes : 1. De licentia necessaria pro exhumatione ;

Animadversiones. — Quoad primum dubium, animadvertendum inprimis ex praescripto canone 1214 § 1 « nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae traditum » exhumari posse sine licentia Ordinarii. Porro sepultura, quae fit in coemeterio *communi*, ut in casu, ex lege ecclesiastica natura sua perpetua est. Si igitur in can. 1214 sermo est tantummodo de *perpetua* sepultura, permissio exhumandi in ceteris casibus, intelligenda est de sepultura *provisorie* facta *extra coemeterium* proprie dictum, seu de loco sepulturae more occasionali et extraordinario, uti v. g. tempore belli. Unde S. Congregatio Ep. et Reg., 28 Ian. 1603, censuit « cadaver, *quod alicubi positum non est per modum depositi,* sed traditum est perpetuae sepulturae, exhumari non licet, nec alio asportari, nisi de licentia Ordinarii ». Cfr Ferraris, v. *Cadaver,* n. 53.

Proinde sepultura rite facta in coemeterio *communi* sive *ordinario* natura sua perpetua est, nec ullo pacto eam temporaneam facit voluntas testatoris, de qua supra. Ratio enim

perpetuae vel temporariae sepulturae non ex defuncti intentione aut familiae vel heredum voluntate aut forte ex lege civili desumenda est, sed ex ipsa rei natura nimirum ex lege Ecclesiae et circumstantiis obiective ac generaliter perspectis. Itaque, cum sepultura in casu sit profecto *perpetua* ad normam iuris, applicandum est praescriptum can. 1214 § 1, scilicet « nullum cadaver... exhumare licet, *nisi de licentia Ordinarii* ».

Olim satis non erat licentia Ordinarii, sed expressa venia Sedis Apostolicae in multis casibus requirebatur. S. C. Immun. *Aesina*, 17 Dec. 1602; *Sutrina*, 1 Iun. 1604: *Maceraten.*, 8 Aug. 1645, etc. Cfr Ferraris, l. c., n. 16 ss.

Accedit quod ne ipsa quidem cadavera Servorum Dei exhumari possunt absque peculiari facultate a legitima auctoritate ecclesiastica obtenta, etsi plures vel plurimi anni iam praeterlapsi sint, etc. Cfr Bened. XIV, *De serv. Dei beatif.*, etc., lib. IV, part. II, cap. 22 ss.

2. De vi vocis cadaveris;

Praeterea animadvertendum est, nomine *cadaverum* non solum corpora adhuc integra et incorrupta intelligi, verum etiam corpora plus minusve iam dissoluta et corrupta, seu generatim exuvias, ut expresse docet Benedictus XIV (loc. cit.).

Demum notandum, cadavera etiam post decem aut quindecim pluresve annos interdum reperiri integra et incorrupta. Nam dissolutio sive *decompositio*, quam vocant, corporis ocius vel serius contingit multiplici de causa, nempe non modo ex ipsa corporis physica constitutione atque ex natura morbi unde mors accidit, verum etiam ex causis extrinsecis, praesertim ex humoribus terrae ubi cadaver humatum fuit. Cfr De Sentis, *De coemeteriis*, Parisiis, 1875, p. 68 s.; Petrucci, *I cimiteri*, Roma, 1905, p. 18 ss.

3. De vi Codicis,

Can. 1205 § 2 statuit hoc principium generale: « *In ecclesiis cadavera ne sepeliantur*, nisi agatur de cadaveribus Episcoporum residentialium... » Quo praescripto Codicis ius sepeliendi in ecclesiis, quod inde a saec. XII consuetudine primum, dein lege scripta invaluerat, abrogatur et ad veterem usum sepeliendi in coemeteriis reditur.

cuius sanctio est iuris publici.

Praxis igitur cadavera e communi coemeterio transferendi in ecclesiam ibique ea sepeliendi, adversatur tum can. 1214 § 1, si exhumatio fiat sine Ordinarii licentia, tum can. 1205 § 2, ideoque improbanda reiiciendaque omnino est. Neminem sane fugit, ex privata voluntate leges ecclesiasticas nullatenus mutari posse, in iis potissimum quae ad ius publicum spectant. Idcirco clausula, de qua agitur, a testatore heredibus adimplenda relicta, nimirum « se velle exuvias post aliquem tem-

poris lapsum, decem vel quindecim annos, in hanc aut illam ecclesiam, e communi coemeterio transferri ibique sepeliri », pro *non adiecta* habenda est.

4. De vi vocis ecclesiae.

Vox autem *ecclesia*, in can. 1205 § 2, attento legis fine et perspectis legibus liturgicis, accipi debet sensu lato, nimirum pro quolibet loco sacro cultui divino publice exercendo destinato, signanter pro oratoriis semipublicis ad normam can. 1193. Lex enim aliter non cavet nisi de sepulcro familiari seu gentilicio, ac de aediculis coemeteriorum, de quibus in can. 1190. Ex reprobata vero consuetudine de qua agitur, non sequitur stricta obligatio removendi cadavera iam condita, in ecclesiis seu oratoriis, extra casus can. 1205 § 2, et can. 1242: nisi Episcopus hanc remotionem iubeat, quod potest, si res in dedecus loci sacri cedat.

5. De comparatione cinerum, ossorum et cadaverum.

2. Alterum dubium *affirmativa* responsione esse dimittendum, tum ex dictis tum ex dicendis facile perspicitur. Lex ecclesiastica *cineres* et *ossa* cadaveribus plane aequiparat quoad locum benedictum ubi sepelienda sunt, et quoad ritum sacrum sive funus quod in eorumdem translatione ac tumulatione peragi potest. Haec Sacra Congregatio in *Amerina*, 31 Mart. 1708, censuit *ossa* ad novam ecclesiam paroecialem, non secus ac cadavera, esse transferenda.

S. R. C., *S. Iacobi de Venezuela*, 11 Aug. 1888, sequentes normas statuit servandas, si quando *cineres* vel *ossa* eorum qui in exteris regionibus mortui sunt in patriam transferantur, ut ibi in sepulcro maiorum aut in Pantheon virorum illustrium recondantur: 1) huiusmodi cineres aut ossa exponi posse, post reditum in patriam, in aliqua cappella ardenti, ut fieri solet pro defunctis in die obitus et depositionis; 2) clerum huiusmodi ossa et cineres comitari posse eadem solemnitate et iisdem ritibus qui in die obitus adhibentur; 3) funera pro ipsis fieri posse in ecclesia vel saltem in aliqua sacra cappella (*Decreta auth.*, n. 3696).

Eadem S. R. C. *Carthaginien, in Indiis*, 23 April. 1875, edixit tamen *ossa* acatholicorum (non secus atque cadavera) iam condita in ecclesia, esse omnimo amovenda (*Decreta auth.*, n. 3344).

S. C. S. Officii die 3 Aug. 1897 declaravit ipsa *membra* corporis humani *amputata* in loco sacro sive benedicto esse sepelienda (*Collect. S. C. de Prop. Fide*, II, n. 1975).

Igitur ossa et cineres cadaveribus aequiparantur. Idque antiquissimi excultarum gentium mores probe confirmant, praesertim Romanorum, apud quos sollemne religiosumque erat, *ne insepulta manerent ossa*.

Proinde can, 1205 § 2, qui vetat ne in ecclesiis sepeliantur cadavera, vetat quoque ne in iisdem ossa et cineres recondantur. Urget sane eadem ratio.

6. De amputatis membris et extracto corde.

Ex dictis manifesto sponteque consequitur responsio ad tertium dubium, nimirum vocabulum *cadaver*, de quo in can. 1205 § 2, accipiendum esse lato sensu, ita ut comprehendat etiam ossa et cineres et amputata membra.

Ad *cor* autem quod attinet, de quo praecise hic quaeritur, adest explicita declaratio S. Rituum Congregationis. Sequens nempe dubium propositum fuit: « Quum in archidioecesi Sancti Iacobi de Cile aliquando contingat ut, mortuis Episcopis aliisque praeclaris sacerdotibus, *cor* eorum extrahatur ut honorifice servetur in domo vel pio loco ab ipsis fundatis vel praedilectis; atque conservatio ita fiat ut claudatur cor in ampulla vitrea, in visibili loco et inter flores ordinarie collocata; quaeritur: Potestne haec praxis continuari? » S. R. C. die 11 Febr. 1898, re accurate perpensa, respondendum censuit: « *Affirmative*; *dummodo descripta conservatio cordis non fiat in loco sacro* » (*Decreta auth.*, n. 3982).

Quare, etc.

Responsa S. C. 10 dec. 1927.

Resolutio. — Propositis in plenariis E.morum Patrum comitiis die 10 Decembris 1927 ad Vaticanum habitis supradictis dubiis nimirum:

I. *Potestne tolerari praxis statuendi per testamentum voluntatem transferendi proprias exuvias e communi coemeterio in aliquam ecclesiam post aliquod temporis lapsum a morte?*

II. *Canon 1205 § 2 intelligendusne est etiam de ossibus ita ut haec quoque sepeliri interdicantur in ecclesiis?*

III. *An vero verbum « cadavera » presse sit accipiendum?*

Sacra Congregatio Concilii respondendum censuit prout respondit:

Ad I. *Negative* et Episcopus prudenter praxim removere curet.

Ad II. *Affirmative:*

Ad III. Provisum in altero.

Confirmatio Pontificis. Dies (13 dec. 1927).

Facta autem de praemissis SS.mo D.no Nostro Pio divina Providentia Papae XI, relatione per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium in Audientia diei 13 insequentis, SS.mus datas resolutiones approbare et confirmare dignatus est.

† Iulius, Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. Resolutione ista quae, cum inscripta sit SS. Conceptionis de Chile et aliarum et in A. A. S. promulgata sit, vim habet universalem docemur duo, de quibus dubitari poterat:

1. Corpori in hac re aequiperari cineres, ossa et etiam membra, quamvis per se ius quo, sicut in praesenti, ius praecedens (a saec. XII vigens), corrigitur stricte interpretandum sit;

2. Ecclesiis aequiperari etiam oratoria semipublica vel quaelibet loca sacra cultui divino publice exercendo destinata.

Id tamen ad oratoria privata transferendum non est, ut constat de oratoriis in coemeteriis (can. 1190. 1194).

II. In eruditis suis animadversionibus, Ill. Secretarius supponit sepulturam factam in coemeterio vel in tumulo benedicto si qua enim peracta sit in loco profano, non putamus exhumationem iure ecclesiastico regi ita ut licentiae Episcopi subordinaretur.

---

68. — S. Cong. Concilii

Responsum 9 feb. 1928

DE DELEGATIONE AD BENEDICENDUM NUMISMA (1)

Orator. Rev. adm. P. N. Adeodatus a S. Ioseph, Procurator generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, S. Congregationi Concilii sequens dubium proposuit:

Dubium. « Utrum Moderator Piae Unionis alium sacerdotem subdelegare possit ad benedicendum et imponendum numisma in actu adscriptionis, quamvis in eiusdem Piae Unionis Statutis hoc expresse non declaretur. »

Responsum. S. porro Congregatio Concilii, sub die 9 februarii 1928 n. 4235|27, respondit: Affirmative.

---

(1) *Ex Anal. Ord. Carmel. Discalc.* II, p. 211.

ANNOTATIO

Sive facultatem Moderatoris habeas pro ordinaria, sive eam dicas delegatam, non alia ac quae data est responsio iuridice exspectari poterat. Facultas enim benedicendi et imponendi ad iurisdictionem referenda est. Iam vero subdelegari potest iurisdictio sive ordinaria sive data ad universitatem causarum. Si autem e concessione S. Sedis repetenda est, accedit alter titulus, cum per se subdelegari possit facultas a S. Sede accepta. Cfr can. 199 § 1 et 2.

---

69. — S. Congr. de Prop. Fide

(PONTIFICIUM OPUS A PROPAGATIONE FIDEI)

Declaratio 9 iul. 1928

DE RELATIONE INTER PONTIFICIUM OPUS A PROPAGATIONE FIDEI ET INSTITUTA RELIGIOSA MISSIONALIA

(A. A. S., 1 aug. 1928, XX, 266)

DECLARATIO

Quae Consilium superius a religiosis optat

In coetibus plenariis Consilii Superioris Generalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei Romae habitis mense Aprili huius anni, haec vota sunt prolata de mutua consuetudine inter Pontificium Opus a Propagatione Fidei et Instituta Religiosa Missionalia:

de fovendo opere;

I. Religiosi, sicut ceteri omnes, prae quocumque opere Missionibus iuvandis destinato, studiose ac sedulo favere velint Pontificio Operi a Propagatione Fidei. Nam

a) est Opus Pontificium et a Summo Pontifice Pio divina Providentia Pp. XI, Motuproprio *Romanorum Pontificum*, die 3 Maii a. 1922 edito, ad dignitatem instrumenti Apostolicae Sedis evectum;

b) Missiones vero Religiosis Institutis concreditae ab ipso Pontificio Opere quotannis non parva accipiunt adiumenta atque Missionum Praepositi subsidia extra ordinem saepe petunt.

de festo pro Missionibus;

II. Velint iidem Religiosi operam dare ad felicem exitum peculiaris Festi pro Missionibus mense Octobri celebrandi.

de vitanda confusione cum Pontificio opere.

III. Velint insuper religiosi abstinere et ab ineundis viis et ab adhibendis mediis et ab operibus condendis, quae sub quacumque specie aliquid prae se ferant, quod cum Pontificio Opere a Propagatione Fidei confundi possit, quaeque impediant Pontificii Operis maius incrementum.

Non impediuntur Instituta Missionalia quominus stipem pro propriis Missionibus, quaerant, sed Consilium cupit ut commendent etiam Pontificium opus eique procurent subscribentes.

IV. Quibus positis, ad meliorem conspirationem et pleniorem successum operum missionalium, Consilium Superius Generale, cui perspectum est Pontificium Opus a Progatione Fidei haud posse occurrere omnibus et singulis Missionum necessitatibus, libenter declarat se nolle impedire quominus Instituta Missionalia ab amicis et benefactoribus stipem conquirant pro suarum Missionum necessitatibus; sed sperat fore, ut eadem Instituta commendent amicis et benefactoribus ipsum Pontificium Opus et curent, ut iidem nomina dent etiam Pontificio Operi propter rationes supra allatas.

Dies (9 iul. 1928)

Ex Secretaria, die 9 Iulii 1928.

L. ✠ S. † Ioseph Nogara, Archiep. el. Utinensis,
Pro-secretarius generalis.

Annotatio

Declaratio ista, qua nihil proprie praecipitur, dici potest pia adhortatio, rationibus stipata et a spiritu evangelicae caritatis profecta, ut in sanctissimo Missionum opere, seposita omni invidia, omni amoris proprii instigatione, omni angusta aemulatione, religiosi communi zelo collaborent Pontificio operi, de hac una re solliciti, ut regnum Christi amplificetur, ut Christus magis ac magis glorificetur. Suavi invitationi, id optamus et apprecamur, omnes promptissimi obtemperent.

70. — S. Cong. Rituum

Responsum 8 iun. 1928.

DE ORATIONE SS. IN MISSA SABBATI SANCTI

(A. A. S., 2 iul. 1928, XX, 237)

DUBIUM

Dubium.

Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit, nimirum:

« An in Missa Sabbati Sancti addenda sit oratio Ssmi Sacramenti, si statim post Missam fiat in eodem altari expositio Ss. Eucharistiae pro oratione XL Horarum seu publica causa? »

Responsum.

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit: « *Affirmative,* ad normam Decretorum Sacrae Rituum Congregationis dierum 27 Aprilis 1927 et 11 Februarii 1928 ». Atque ita rescripsit et declaravit, die 8 Iunii 1928.

Dies (8 iun 1928)

† A. Card. VICO, *Ep. Portuen. et S. Rufinae, S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S. *Angelus Mariani, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Decretum 27 april 1927 (1), nulla facta exceptione, statuit diebus quibus missa votiva de SS. Sacramento impediatur, sub unica conclusione cum oratione Missae addendam esse commemorationem de Missa votiva impedita.

Statim autem fuere qui a generali dispositione dies quosdam excipere voluerint, in quibus unica tantum oratio rubricis imperatur: pervigilium Nativitatis Dom. Pentecostes, maxime autem Sabbatum Sanctum, quo die missa cum functionibus sacri tridui coniungitur.

(1) *Ver.* XVI, 46.

Dum nunc ipsa exceptio Sabbati Sancti excluditur, multo minus de aliis excipiendis diebus sermo esse potest.

2. De Missa votiva impedita, cuius oratio sub unica conclusione cum missa diei coniungenda est, dicitur etiam Praefatio propria si missa diei propriam non possideat et legitur ultimum evangelium, nisi legendum sit evangelium Dominicae. Haec igitur etiam in missa sabbati sancti observanda erunt. Habet quidem Praefationem propriam, quae cani debebit, sed pro ultimo evangelio S. Ioannis legendum est evangelium Missae de SS. Sacramento.

---

71. — Excell. Nuntius Apost. apud regem Belgarum

Litterae 18 ap. 1928 ad Arch. Mechlin. (1)

De vi universali declarationis 24 feb. 1927

Bruxelles le 18 avril 1928

Éminence Révérendissime

Communicationis occasio.

Les considérations que la « Nouvelle Revue Théologique » de Louvain, dans son fascicule de mars 1927, publiait à propos de la *Declaratio* parue aux *Acta Apostolicae Sedis* de 1927, p. 185, ayant été soumises au Saint-Siège, Son Ém. le Card. Secrétaire d'État de Sa Sainteté m'a fait savoir que les points I et III de la dite *Declaratio* ont une valeur universelle pour toute l'Église, comme il ressort des termes de la formule elle-même, et qui est l'interprétation admise par la Curie Romaine.

Universalis vis declarationis de Ephemeride : « L'Action française ».

Facultas facta Belgii Episcopi.

Vu cependant les circonstances particulières de la Belgique, Sa Sainteté a daigné m'autoriser à communiquer aux Ordinaires Belges qu'Elle leur accorde la faculté énoncée dans le point II de la *Declaratio;* ce que je fais par la présente, en offrant à Votre Éminence l'hommage profondément respectueux de mes sentiments les plus dévoués.

† Cl. Micara, *Nonce Apostolique.*

Son Éminence, Monseigneur van Roey, Archevêque de Malines

(1) *Ex Collectanea Mechliniensia*, 1928, p. 616.

ANNOTATIONES

1. Declaratio ex aud. SS.mi 24 feb. 1927 refertur *Periodica* XVI, 16.

2. Post eam factam non nulli auctores existimarunt, ex prima origine declarationis Pontificiae quae facta est in aud. SS. concessa Em. Archiep. Parisiensi, ex inefficacia quam per se habet promulgatio in *Acta Ap. Sedis* quae naturam actus iuridici non mutat, et ex facultate positiva quam S. Pontifex solis Galliae Episcopis delegavit, colligere posse solam Galliam ista Declaratione teneri. Quod etiam, circumspecte tamen, admissum est in ephem. *Nouv. Rev. Théol.* 1927, p. 543-546.

3. De vi universali istius Declarationis post promulgationem in *Acta Ap. Sedis* ne minime quidem dubitavimus. Cum enim promulgatio in Gallia per Cardinalem Arch. Parisiensem prorsus pro Gallia sufficere posset, ut quid ista insertio in *Acta Ap. Sedis*, nisi ut de universali declarationis vi omnino constaret. Noveramus praeterea usum Curiae Romanae. Merito igitur binis argumentis Em. Card. Secretarius universalem vim declarationis firmavit: ipso textu et stilo Curiae.

4. Simul S. Pontifex, cum adiuncta satis similia essent, pari iure fecit Galliae et Belgii Episcopos. Observes tamen in n. 2 Declarationis quo Episcopi delegantur ad dandam licentiam legendi *Action Française*, clausulam addi: « in casibus rarissimis et ob graves causas ».

5. Ex dictis consequitur, extra Belgium et Galliam facultatem legendi *Action Française* esse ipsi S. Pontifici reservatam.

---

72. — Em. Archiepiscopi Mechliniensis

Decretum 1928, addendum ad statuta n. 303

DE IURISDICTIONE IN CONFINIIS

Statuta allegata.

In *Statutis Dioecesis Mechliniensis* n. 303 addendum est quod sequitur:

Extensio facultatis praedicandi et audiendi confessiones ultra fines dioecesis.

Sacerdotibus tam saecularibus quam religiosis dioecesis Buscoducensis, a proprio Ordinario loci facultate verbum Dei praedicandi et confessiones audiendi munitis, qui habitant vel saltem per hebdomadam degent in paroeciis quae partim saltem paroeciis diocesis nostrae adiacent, concedimus ut in hisce nostrae dioecesis paroeciis adiacentibus iurisdictionem suam valide et licite, de consensu quorum interest, exercere possint; et vicissim, ex concessione Ordinarii Buscoducensis, sacerdotes tam saeculares quam religiosi archidioecesis Mechliniensis, a proprio Ordinario loci facultate verbum Dei praedicandi et confessiones audiendi muniti, qui habitant vel saltem per hebdomadam degent in paroeciis quae partim saltem paroeciis dioecesis Buscoducensis adiacent, eadem facultate gaudent in hisce paroeciis dioecesis Buscoducensis adiacentibus.

† I. E. Card. Van Roey *Acch. Mechlinien*

ANNOTATIONES

1. Utile istud decretum simul meram declarationem continet quatenus refert facultatem ab Ordinario Buscoducensi concessam.

2. Sacerdotes dioecesis, ii sunt qui saltem quasi-domicilium habent in dioecesi. Non prodest igitur aliis sacerdotibus etsi ab Ordinario Mechliniensi vel Buscoducensi fuerint approbati.

3. Ii quorum interest fere sunt parochi et ecclesiarum rectores in quorum ecclesiis contiones haberi, confessiones audiri *licite* sine eorum consensu non possunt.

73. — Em. Arch. Coloniensis et Ill. Ep. Monaster.

Decretum 6 iul. 1928

OPERA QUAEDAM PROHIBENS

Argumentum.

Verbot (1) einiger Schriften des Professors D.r A. Johannes Hessen-Köln, Priesters der Diözese Münster.

Decreti causa,

Verschiedene Schriften des Prof. A. Johannes Hessen-Köln, Priesters der Diözese Münster, enthalten Darlegungen, die zum Teil eine unkirchliche Geistesart offenbaren, zum Teil vom Glaubensstand punkte aus anfechtbar und geeignet sind, den Glauben der Leser zu gefährden.

tenor,

Infolgedessen sehen wir uns gezwungen, die Gläubigen zu warnen und auf Grund des CIC cc. 1384 und 1355 § 1 das Lesen der Schriften: « Die Weltanschauung des Thomas von Aquin », 1926, und « Erkenntnistheorie, 1926, zu untersagen.

Dies (6 iul. 1928).

Köln-Münster den 6 Juli 1928

KARL JOSEPH Kard. SCHULTE, *Erzbischof von Köln*
JOHANNES, Bischof von Münster

ANNOTATIO

Ex ephemeride *Kirchlicher Anzeiger für die Erzdiözese Köln,* 15 iul. 1928, desumpsimus istud exemplum prohibitionis episcopalis, quod nobis notatu dignum visum est.

Ambo autem Antistites decretum subsignarunt, quia auctor operum proscriptorum Coloniae quidem docet, verum ad dioecesim Monasteriensem pertinet.

---

(1) *I. e. latine.* Proscriptio non nullorum scriptorum Professoris D.r Joannis Hessen-Köln, sacerdotis Dioecesis Monasteriensis.

Plura scripta Prof. D.r Joannis Hessen-Köln, sacerdotis Dioecesis Monasteriensis, quaedam exponunt quae ex parte mentem alienam a sensu Ecclesiae produnt, ex parte sub respectu dogmatico sunt reprehensibiles et aptae ad obiciendam periculo Fidem lectorum.

Quare nos coactos videmus fideles admonere, et, nixi c. 1384 et 1385 § 1, prohibere lectionem scriptorum.....

Coloniae-Monasterii, etc.

ACTA SUMMATIM RELATA

74. — Benedictus Pp. XV.

Dismembratio archidioecesis Guatimalensis.

3. Die 3 aug. 1928, publicata est Bulla *Suprema quam gerimus*, f. r. Benedicti Pp. XV, data 27 iul. 1921, qua dismembratur archidioecesis Guatimalensis, et eriguntur nova dioecesis Altensis e Vicariatus Apostolicus de Verapaz et Petén (*A. A. S.*, XX, 1928, 297).

75. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

A. *Litterae de dioecesibus.*

Divisio dioecesis Damanensis

1. Bulla *Inter Apostolicam*, 1 maii 1928, supprimitur, secundum conventionem recens initam inter S. Sedem et Lusitanam Rempublicam, dioecesis Damanensis in Indiis Orientalibus; eius vero territorium dividitur inter archidioeceses Goanam et Bombayensem, ita ut, ad normam iuris communis, sublata iam duplici illa iurisdictione quam secum ferebat ius lusitani patronatus, exclusiva sit competentia respectivi Ordinarii in personas et res sui cuiusque territorii. Archiepiscopus tamen Goanus titulos servat sedium olim vel modo suppressarum, Cranganorensis sc. et Damanensis (*A. A. S.*, XX, 1928, 247).

Restitutio archidioeceseos Rhodiensis.

2. Bulla *Pastoris aeterni*, 28 mart. 1928, in locum Praefecturae Apostolicae insulae Rhodiensis, restituitur antiqua archidioecesis eiusdem nominis, Sedi Apostolicae immediate subiecta. Loco tamen capituli cathedralis constituentur tantum consultores dioecesani, ad normam can. 423 et seq. (*A. A. S.*, XX, 1928, 213).

B. *Litterae de missione, Praefecturis, Vicariatibus Apostolicis.*

Missio Miyazaki.

1. Brevi *Supremi apostolatus*, 27 mart. 1928, erigitur missio de Miyazaki intra fines dioeceseos de Fukuoka in Iaponia. Quae missio concreditur curis Piae Societatis Salesianae (*A. A. S.*, XX, 1928, 220).

Vic. Ap. de Araucania,

2. Brevi *Sublimi veluti*, 28 mar. 1928, ad Vicariatum Apostolicum evehitur Praefectura Apostolica de Araucania in Republica Cilena (*A. A. S.*, XX, 1928, 221).

de Koango,

3. Brevi *Aucto pastorum*, 28 mart. 1928, in Vicariatum Apostolicum erigitur Praefectura Apostolica de Koango, in Congo Belgico (*A. A. S.*, XX, 1928, 222).

4. Brevi *Ut aucto pastorum*, 28 mart. 1928, erigitur in Sinis Praefectura Apostolica de Hin-Gan-Fu, e territoriis distractis a Vicariatibus Apostolicis de Hanchung-Fu et de Sian-Fu (*A.A.S.*, XX, 1928, 223). *de Hin-Gan-Fu.*

C. *Litterae de Delegatione Apostolica.*

Brevi *Romanorum Pontificium*, 7 mart. 1928, extenditur iurisdictio Delegati Apostolici Aegypti atque Arabiae ad Vicariatus Apostolicos Erythraeae et Abyssiniae (*A. A. S.*, 7 mart. 1928, 219). *Erythraea, Abyssinia.*

D. *Litterae de approbatione Constitutionum.*

1. Brevi *Religiosorum virorum*, 30 mart. 1928, approbantur Constitutiones Ordinis Servorum B. M. V., revisae ad normam Codicis (*A. A. S.*, XX, 1928, 224). *Ord. Servorum B. M. V.*

E. *Litterae de ecclesiis.*

Honoribus Basilicae minoris augentur:

Brevi *Constat apprime*, 7 mart. 1928, Cathedralis ecclesia Cuschensis in Peruvia (*A. A. S.*, XX, 1928,316); *Cuschen.*

Brevi *Exstat in civitate*, 3 apr. 1928, ecclesia Purificationis B. M. V., in civitate Mataronensi, dioecesis Barcinonensis in Hispania (*A. A. S.*, XX, 1928, 318); *Mataronen.*

Brevi *In urbe*, 25 apr. 1928, ecclesia S. Nicolai in civitate Gedanensi (vulgo Dantzig) (*A. A. S.*, XX, 1928, 319); *Gedanen.*

Brevi *Pragensem*, 6 mai 1928, ecclesia Ord. Carm. Pueri Iesu Pragensis, in civitate Arenzano in Liguria (Italia) (*A. A. S.*, XX, 1928, 320); *Arenzano*

Brevi *Fertur ex vetustissima*, 7 feb. 1928, ecclesia B. M. V. Assumptae, in civitate Velehrad, archidioecesis Olomucensis (*A. A. S.*, XX, 1928, 217). *Velehrad.*

76. — Suprema S. C. S. Officii.

Damnatio operum.

Responso 30 iun. 1928, prohibita declarantur et in Indicem referenda non tantum omnes fabulae amatoriae, omnia opera dramatica et librum « *Prose scelte* » Gabrielis d'Annunzio, decreto 8 maii 1911 proscripta, sed etiam reliqua eiusdem generis opera (*tragedie, commedie, misteri, romanzi, novelle, poesie*), fidei et morum offensiva, scripta vel edita post laudatum decretum (*A. A. S.*, XX, 1928, 230); et responsio ista inserenda dicitur in Indicem librorum prohibitorum. *Opera Gabrielis d'Annunzio.*

77. — S. Cong. Consistorialis

A. *Designatio Ordinarii pro appellatione.*

Ordinarius pro appellatione.

Em.us P. D. Dionysius Card. Dougherty, archiep. Philadelphiensis, pro appellationibus ad normam can. 1592 § 2 designavit Ordinarium Baltimorensem. Quam designationem approbavit decretum 28 maii 1928 (*A. A. S.*, XX, 1928, 232).

B. *Titulus et privilegia archiepiscopi « ad personam ».*

Privilegia episcopi Melitensis.

Decreto 29 maii 1928, seiuncta iam nova archidioecesi Rhodiensi a dioecesi Melitensi, hodierno episcopo Melitensi conceditur titulus archiepiscopi *ad personam*, atque privilegium pallii et crucis (*A. A. S.*, XX, 1928, 258).

C. *Immutatio finium dioeceseos.*

Fines dioec. Patavinae - Clodiensis.

Decreto 23 mart. 1928, dismembratur pars paroeciae Civè a dioecesi Patavina, et unitur paroeciae Cabianca dioecesis Clodiensis (*A. A. S.*, XX, 1928, 301).

78. — S. Congr. pro Ecclesia Orientali

A. *Documenta ecclesiastica pro Russia.*

Documenta mittenda Romam.

Decreto 13 iul. 1928 iubetur, ad vitandam ecclesiasticorum documentorum dispersionem in adiunctis praesentibus, ut omnes notificationes ad normam cc. 470 § 2, 576 § 2, 798, 1101 et 1103 § 2 parocho baptismi faciendae, si parochia baptismi intra fines russiacae ditionis exsistat, ad unam Pontificiam Commissionem pro Russia, penes hanc S. Congregationem institutam, transmittantur (*A. A. S.*, XX, 1928, 260).

B. *Innovatio archidioecesis.*

Restitutio archid. Constantinop. Armenorum.

Decreto 23 iun. 1928 restituitur sedes et titulus archiepiscopalis Constantinopolitanus Armenorum (*A. A. S.*, XX, 1928, 232).

79. — S. Congr. de Religiosis.

Facultas Min. Gen. O. F. M. Cap. facta sanandi vestitiones et professiones in Tertio Ord. Saeculari, et ipsas erectiones Sodalitatum.

Instante Procuratore Generali FF. Min. Cap., S. C. de Religiosis, rescripto 23 iul. 1928, commisit Rev.mo P. Ministro Generali ut pro suo arbitrio et conscientia quaslibet vestitiones et professiones in tertio Ordine saeculari S. Francisci et ipsas erectiones Sodalitatum Tertii Ordinis ob quemlibet defectum

bona fide admissum irritas sanaret quatenus sanabiles essent et sanatione indigerent, facta mentione huiusmodi concessionis in Libro professionum ac servatis ceteris servandis. (Cfr *Analecta Ord. Min. Cappucc.* t. 44, p. 178).

80 — S. Congr. de Propaganda Fide.

A. *Designationes Ordinariorum pro appellatione:*

Ordinarii pro appellatione.

Approbante Sanctissimo, Ordinarios pro appellatione designarunt ad normam can. 1594 § 2:

3 maii 1928, Vicarius Ap. Guineae gallicae, Vicarium Ap. Senegambiae;

14 maii 1928, Vicarius Ap. de Kirin, Vicarium Ap. de Mukden, et vice versa;

12 iun. 1928, Praefectus Ap. de Kagoshima, Ordinarium de Fukuoka;

5 iul. 1928, Ordinarius Gibraltariensis, Ordinarium Melitensem.

B. *Nominatio.*

Secretarius Operis Prop. Fidei.

27 iun. 1928, R. D. Aloisius Drago renuntiatus est Secretarius Generalis Consilii Superioris Generalis Pontificii Operis a Propagatione Fidei;

item R. D. Petrus Coffano, Praeses eiusdem operis pro Italia (*A. A. S.*, XX, 1928, 266).

81. — S. Congr. Rituum

A. *Causae beatificationis et canonizationis.*

Intr. causae S. D. Vincentiae Mariae Lopez Vicuna.

1. Die 18 iul. 1928, signata est commissio introductionis causae Servae Dei Vincentiae Mariae Lopez Vicuna, fundatricis Instituti Filiarum Mariae Immaculatae pro puellis famulatui addictis (*A. A. S.*, XX, 1928, 328).

Virt. her. Conradi a Parzham;

2. Die XVIII Kal. Sept. (15 aug.) 1928, decretum est constare de virtutibus heroicis Ven. Servi Dei Fratris Conradi a Parzham, Ord. Cap. (*A. A. S.*, XX, 1928, 332).

Paulae Frassinetti.

3. Eadem die, pariter decretum est constare de virtutibus heroicis Ven. Servae Dei Paulae Frassinetti (*A. A. S.*, XX, 1928, 335).

Introd. causae Rosae Venerini.

4. Die 16 maii 1928, signata est commissio introductionis causae Servae Dei Rosae Venerini, fundatricis Instituti Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum (*A. A. S.*, XX, 1928, 267).

Casus exceptus Abbatum Cavensium.

5. Rescripto diei 16 maii 1928, confirmatur sententia Ordinarii nullius SS. Trinitatis Cavensis super cultu ab immemorabili tempore praestito Servis Dei Simeoni, Falconi, Marino, Benincasae, Petro II, Balsamo, Leonardo et Leoni II, abbatibus Cavensibus, Beatis nuncupatis (*A. A. S.*, XX, 1928, 304).

B. *Approbatio officii.*

Officium S. Ioan. Eudes.

Die 9 maii 1928, approbantur Officium, Missa et Elogium in Martyrologium Romanum inserendum in honorem S. Ioannis Eudes (*A. A. S.*, XX, 1928, 234),

82. — Provisio Ecclesiarum.

Decretis *S. Congr. Consistorialis* nominati sunt:

Cotrona R. P. D. Antonius Galati, iam archiep. Sanctae Severinae, ep. Cotronensis propter unionem *in personam*.

Lucca R. P. D. Antonius Torrini, archiep. Lucanus ex ep. Alatrino.

Jesi R. P. D. Godefridus Zaccherini, ep. Aesinus, ex ep. Civitatis Castellanae, Hortano et Gallesino.

Harlem R. D. Ioan. Dominicus Aengenendt, ep. Harlemensis.

Bragance R. D. Antonius Benedictus Martins Iunior, ep. Brigantiensis.

Angra R. D. Gulielmus Augustus da Cunha Guimarâes, ep. Angrensis.

Armagh R. D. P. Iosephus Mac Rory, archiep. Armacanus, ex ep. Dunnensi et Connorensi.

Assisi R. D. P. Placidus Nicolini, O. S. B., ep. Assisiensis, ex Abbate Ordinario SS.ae Trinitatis Cavensis.

Joliette R. D. Iosephus Papineau, ep. Ioliettensis.

Segni R. D. Alphonsus de Sanctis, ep. Signinus.

Ascoli Piceno R. P. D. Ludovicus Cattaneo, ep. Asculanus in Piceno, ex ep. Anglonensi-Tursiensi.

Bayeux R. D. Emmanuel Suhard, ep. Baiocensis.

S. Miniati R. D. Hugo Giubbi, ep. Sancti Miniati.

Guatimala R. D. Aloisius Duron, archiep. de Guatimala.

Los Altos R. D. Georgius Garcia, ep. Altensis.

Liverpool R. D. Richardus Downey, archiep. Liverpolitanus.

Chicontimi R. D. Carolus Lamarche, ep. Chicontimiensis.

Decretis *S. Congr. de Propaganda Fide* nominati sunt:

Ranchi R. P. D. Ludovicus van Hoeck, S. I., ep. de Ranchi, ex ep. Patnensi.

Lindi R. D. Gallus Steiger, O. S. B., abbas nullius de Lindi.

Lahore R. P. Hector Catry, O. F. M. Cap., ep. Lahorensis.

R. P. D. Iosephus Gjonali, ep. Sappensis, ex ep. tit. Callinicensi. *Sappa*

R. P. Eugenius Méderlet, Piae Soc. Sales., archiep. Madraspolitanus. *Madras*

R. P. D. Ambrosius Acciari, Administrator Apostolicus Rhodiensis. *Rhodes*

83. — Nominationes.

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

16 maii 1928, R. P. Florentius Tessiatore, O. F. M., Vic. Ap. de Sianfu in Sinis. *Sianfu*

16 maii 1928, R. P. Ioannes Rosa, S. I., Vic. Ap. de Hiroshima. *Hiroshima*

14 iun. 1928, R. P. Raphael Palazzi, O. F. M., Coadiutor cum iure successionis Vicarii Ap. de Changsha. *Changsha*

16 iun. 1928, R. P. Odilo Fages, e Congr. Oblatorum S. Franc. Salesii, Coadiutor cum iure successionis Vicarii Ap. Fluminis Orange in Africa meridionali. *Orange*

20 iun. 1928, R. P. Georgius Weig, e Soc. Verbi Divini Vic. Ap. de Tsing Tao. *Tsing Tao*

Rescriptis S. Congr. de Propaganda Fide nominati sunt:

11 ian. 1928, R. P. Caesar Ioan. Hippol. Esquerre, ex Soc. Missionar. ad Afros, Praef. Ap. de Bobodjoulasso. *Bobodjoulasso*

1 feb. 1928, R. P. Ioseph. Zambonardi e Congr. Filiorum Cordis Iesu, Praef. Ap. de Bahr-el-Gebel. *Bahr el Gebel*

30 mart. 1928, R. P. Bernard. Merizalde, O. E. Recoll. S. Aug., Praef. Ap. de Tumaco. *Tumaco*

2 maii 1928, R. P. Marcellus Grandin, e Congr. S. Spiritus, Praef. Ap. de Ubanghi Kari. *Ubanghi Kari*

29 maii 1928, R. P. Vitus Bouma, e Congr. SS. Cordium, Praef. Ap. de Banka et Biliton. *Banka et Biliton*

6 iun. 1928, R. D. Theophil. de Backere, e Congr. Missionis, Praef. Ap. de Socrabaja (Java). *Socrabaja*

84. — Necrologium.

1 iun. 1928, Ill. D. Ioannes Augustinus Germain, ep. Tolosanus. *Toulouse*

30 iun. 1928, Em. Card. Ioannes Tacci, tit. S. Mariae trans Tiberim.

9 apr. 1928, Ill. D. Michael O' Farrel, ep. Bathurstensis. *Bathurst*

2 iun. 1928, Ill. D. Santinus Taveggia, ep. de Dinajpur. *Dinajpur*

Garanhuns 20 iul. 1928, Ill. D. Ioannes Tavares de Moura, ep. Garanhunensis.

Meath. 14 iun. 1928, Ill. D. Laurentius Gaughran, ep. Midensis.

Tarbes et Lourdes. 25 aug. 1928, Ill. D. Alexander Poirier, ep. Tarbensis et Lapurdensis.

Sacramento 1 sept. 1928, Ill. D. Patritius Iosephus Keane, ep. Sacramentensis.

Ragusa 1 sept. 1928, Ill. D. Iosephus Gregorius Marcelic, ep. Ragusinus.

BIBLIOGRAPHIA

I Libri.

Ios. Aertnys, C. SS. R. — **C. A. Damen,** C. SS, R. *Theologia moralis secundum doctrinam S. Alfonsi de Ligorio, Doctoris Ecclesiae,* auctore Ios. Aertnys, C. SS. R. S. Theol. moralis in collegio Wittemiensi olim professore. Editio undecima quam secundum Codicem Iuris canonici nunc tertio ex integro recognovit C. A. Damen. C. SS. R. Iuris can. Doct. atque in Athenaeo Pontif. de Prop. Fide Theol. mor. Professor. 2 vol. (15×23), XX-763 et 821 p. Taurinorum Augustae, Marietti, 1928. Singuli tomi veneunt 40 Lib. ital.

« Contendimus non solum recentiora S. Sedis decreta et responsa locis suis inserere, verum etiam cum canones complures fusius exponere, tum alias quoque quaestiones sive nunc primum tractare sive paulo latius quam antea factum fuerat, enucleare » (Praef. ad hanc undecimam editionem.) — Materiae praecipuae in hac ed. 11ª aut primum tractatae aut novo modo redactae. — Prooemium. Decretum S. R. C. quo S. Alph. Doctor Ecclesiae renuntiatur. Litterae Apostolicae 7 iul. 1871 de S. Doctore. Litterae Pont. 2 maii 1906 ad auctorem. — Introductio. Lib. I. De principiis generalibus. — Lib. II. De praeceptis virtutum theologicarum. — Liber. III. De praeceptis Decalogi. — Lib. IV. De praeceptis Ecclesiae. — Lib. V. De praeceptis statuum vitae. — Lib. VI. De sacramentis novae legis. — Lib. VII. De poenis et indulgentiis. — Propositiones damnatae. Canones qui in opere afferuntur. — Index alphabeticus — Addenda. — Corrigenda.

Cl. Marc. C. SS. R. — **Fr. X. Gestermann,** C. SS. R. — **I. B. Raus,** C. SS. R. *Institutiones morales Alphonsianae,* seu Doctoris Ecclesiae S. Alphonsi Mariae de Ligorio Doctrina moralis ad usum scholarum accommodata cura et studio PP. Cl. Marc et Fr. X. Gestermann, C. SS. R. olim S. Theol. mor. Professorum. Editio 18ª ad tramitem decretorum S. Sedis diligenter recognita a P. I. B. Raus, eiusdem Cong. 2. vol. (15×23) XXIV-878 et 901 p. Lugduni-Lutetiae Parisiorum, Emm. Vitte, 1927-1928.

« Quae ultimis nostris temporibus prodierint a S. Sede sive decreta, sive decisiones, sive responsa ope SS. Cong. vel

Commissionis Pont. pro authentica interpretatione Codicis instituta, vel alia demum via, inseri sedulo curavimus. Praeterea, in ipso textu, pauca aliqua, delendo aut addendo aut etiam, si opus erat, corrigendo, pro opportunitate necessitateve rerum dicendarum immutavimus «. (Monitum lectori). Praefatio P. Cl. Marc. — Litterae Leon. XIII de editione decima. S. Sedis testimonia et iudicia de morali doctrina S. Alph. — Introductio. Pars I. De primis principiis theol. mor. — Pars II. De praeceptis Decalogi et Ecclesiae. — Pars III. De sacramentis Ecclesiae. — Pars IV. De praeceptis particularibus. — Appendix I. Catalogus peccatorum pro confessione generali. — Append. II. Formulae petendi dispensationes vel facultates. — Index operum et auctorum. — Index rerum alphabeticus.

XXX. *Theologia moralis generalis. De conscientia,* ad usum alumnorum seminarii archiepiscopalis Mechliniensis. Ed. quinta penitus recognita. vol. (14,6×23) 115 p. Mechliniae, Dessain, 1928.

Locus tractatus. Variae notiones et divisiones — Theses in re conscientiae fundamentales. — Systemata moralia. — Mens S. Thomae. — Usus et praxis Probabilismi. — Conscientia perplexa, laxa, scrupulosa.

Michael Gierens, S. I. Prof. *Ehre, Duell und Mensur.* Darstellung und Begründung der christlich-ethische Anschauungen über Ehre und Ehrenschutz. Duell und Mensur auf Grund einer Synthese historischer, biblischer, juristischer, kanonistischer und philosophischer Erkentnisse. vol. (14×20) VIII-381 p. Paderborn. Akademische Bonifatius-Einigung. 1928. Preis: Karton. 4,50 Mk.; geb. 5,40 Mk. — I. *Ehre.* Begriff. Lebenswert der Ehre und des Ehrgefühls. Bibel und Ehre. Ehrverletzung und Eherenschutz. II. *Duell und Mensur.* Geschichte des Zweikampfes. Zweikampf und staatliches Recht. Kirche und Zweikampf. Duell und Ethik.

Hans Eppler. *Quelle und Fassung Katholischen Kirchenrechts* mit einem Anhang über seinen zeitlichen Geltungsbereich. vol. (16×23,5) XIX - 181 p. Zürich und Leipzig, Orell Füssli, 1928. Vorbemerkung. Abkürzungen und Zeichen. Literatur. — Einleitung: Die Kodifikation katholischen Kirchenrechts. — I. *Die Quelle katholischen Kirchenrechts:* Göttliches, Menschliches Kirchenrecht — II. *Die Fassung katholischen Kirchenrechts:* Gesetzesrecht, Gewohnheitsrecht. Anhang: Herschaftsbeginn der Rechtssätze; Herschaftsende der Rechtssätze.

D.r **Matthaeus Conte a Coronata,** O. M. C. *Institutiones iuris canonici* ad usum utriusque cleri et scholarum. Vol. I (14,5 × 22) VIII-954 p. Taurini, Marietti, 1928. Venit 50 L.

Praefatio. — *Normae generales:* Leges, Consuetudo, Temporis supputatio, Rescripta, Privilegia, Dispensatio. — *De Personis:* De Personis in genere; De clericis; De religiosis; De laicis. — Appendix: quaedam documenta recentiora.

D.r **De Meester.** *Iuris canonici et Iuris canonico-civilis Compendium*, olim a Rev.mo *De Brabandere* et Rev. adm. *Van Coillie* editum. Nova editio ad normam Cod. Iur. can. Tomus III, Pars 2.a Lib. IV et V Cod. iur. can. vol. (17,5 × 26) VIII-347 p. Brugis, Desclée, De Brouwer et soc. 1928. Lib. IV *De Processibus:* De iudiciis; de causis beatificationis servorum Dei et de canonizatione beatorum; de modo procedendi in non nullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis. Lib. V. *De delictis et poenis:* De delictis; de poenis; de poenis in singula delicta. *Appendix.* De irregularitatibus aliisque impedimentis ad ordines. Index analytico-alphabeticus.

Marsot. *Petit traité pratique des voeux et de l'état religieux* sous forme catéchistique en concordance avec le code de droit canon-suivi d'un appendice sur le caractère, par l'abbé Marsot, chanoine de l'église métropolitaine de Besançon. Béni par les Papes Benoît XV et Pie XI. — Honoré de quatre lettres de l'Émin. Card. Gasparri, secrétaire d'État, et recommandé par 56 Cardinaux, Archevêques et Évêques. 18e édition, entièrement remaniée et augmentée. Specialement réservé aux religieuses. vol. (12,5 × 16) 344 p. Bruges, Beyaert; Paris, Dépôt A. Giraudon, 1928. --- Lettre apost. de SS. Pie XI. — Notions prélim. — Introduction — Avant-propos. — De l'état religieux. — De la vocation religieuse. — De l'admission — Du postulat. — Du noviciat. — De la Profession. — De l'oblig. de tendre à la perfection. — De l'oblig. des règles et des constitutions. — Des voeux. — De l'obl. de persévérer — Comment cessent les obligations de la vie rel. --- De la pauvreté. — De la chasteté. — De l'obéissance. — Renseignements supplémentaires. — Exhortations. — Appendice sur le caractère. — Répertoire alphabétique.

G. Payen, S. I. *De matrimonio in Missionibus ac potissimum in Sinis.* Tractatus practicus et Casus. Vol. III (15,7 × 22,7) XXXV-878 p. Summa tractatuum et casuum. Zi-ka-wei, T'ou-sè-wé, 1928. --- Praefatio. Prolegomena. — Lib. I. *Ante matrimonii celebrationem:* De matrimonio in genere; remota eius praeparatio; proxima eius praeparatio; impedimenta in genere; dispensationes matrimoniales; impedimenta impedientia; dirimentia. --- Lib. II. *In matrimonii celebratione:* Consensus; forma; matrimonium conscientiae; tempus, locus celebrationis. --- Lib. III.

Post celebrationem : matrimonii effectus ; dissolutio matrimonii christiani ; dissolutio matrimonii legitimi ; separatio, manente vinculo ; separatio ex lege civili ; matrimonii convalidatio, secundae nuptiae ; processus matrimonialis. Recollectio per summa capita. — Summa casuum. — Index alphab. summae. Index casuum.

Dott. **Giuseppe Cattani.** *Igiene del matrimonio*, ed. 2. completamente riveduta ed ampliata. Vol. (13×19) XIII-443 p. Milano, U. Hoepli, 1929. Prezzo, Lire 16,50. — Prefazione. — Introduzione. — Generazione e sua tutela. — La famiglia e sue deficienze. — Carattere del matrimonio. — Biologia del matrimonio. — Amore, sensibilità e intelligenza, sociologia e morale. — Psicologia della generazione. — Politica e matrimonio. — Famiglia e condizioni sociali. — Età e matrimonio. — Edonismo e medicina. — Patologia della famiglia. — Vicende del matrimonio. — La vita contro la vita. — Il problema della popolazione. — Educazione dei figli. — Educazione sessuale. — Profilassi. — Igiene. — Eugenetica e famiglia. — Eugenetica e sociologia.

D.r **Jean Dermine,** Prof. *La Doctrine du mariage chrétien,* 2. éd. revue et augmentée. vol. (12 × 19) 256 p. Soc. d'études morales, sociales et juridiques. Louvain, 11, Rue des Récollets, 1928. Prix 12 fr. — La fin primordiale de la famille : la procréation et l'éducation. — Le sacrement de mariage. — Les propriétés et les lois du mariage chrétien. — L'indissolubilité du mariage. — Le mariage chrétien et le problème de la vie.

D.r **Joseph Landrieu.** *Le Vote Familial.* vol. (16 × 25) 163 p. Lille, 1923. — Introduction. I. *Historique :* Les précurseurs. Le mouvement actuel en faveur du vote familial. Le vote familial devant le Parlement. — II. *Comment se pose la question du vote familial.* Qu'est-ce que le vote familial. Difficultés et objections. Opportunité. Ce qu'on peut attendre du vote familial. — III. *La réalisation pratique du vote familial.* Vote familial et suffrage universel. La représentation du foyer. Vote familial et vote plural. Le vote familial et les Assemblées élues. Conclusion.

F. S. *Il significato della voce « Conferre » nel can. 403.* vol. (14,5 × 22,5) 47 p. Barletta, Dellisanti, 1924. Prezzo 3 lire (franco). Proemio. — I. La voce *conferre* o *collatio* nel Codice. — II. Il *conferre* del can. 403. — III. Obiezioni varie. — Conclusione.

Alex Spesz, D.r Phil et Theol. Prof. theol. in semin. Ep. Cassoviae. *Summarium philosophiae christianae* in usum cursus

philosophici unius anni necnon plurium annorum ad modum repetitorii. vol. (13×20), VIII-371 p. Taurini, Marietti, 1928. Venit 12, 50 lib. ital. Prooemium. Introd. in philosophiam. *Logica.* — *Critica.* — *Ontologia.* — *Cosmologia.* Pars I, De proprietatibus corporum; Pars II. De essentia corporum; Pars III. De origine corporum. — *Psychologia.* Pars. I. De plantis; Pars II. De Brutis; Pars III. De homine. — *Theodicea.* Pars. I. De existentia Dei; Pars II. De essentia et praecipuis Attributis Dei. — *Ethica.* ETHICA GENERALIS. ETHICA SPECIALIS. Pars I. De iuribus et officiis individui; Pars II. De iuribus et officiis hominis in societate.

G. Patricolo Maio. *Imputabilità penale e responsabilità morale.* vol. (14,5×21), 191 p. Roma; editrice Studium, 1928. Prezzo, L. 10 in Roma; 11 L. F. Roma. — Prefazione. — I. Imputabilità e libertà. — II. Cenni storici. — III. La scuola classica e le nuove teorie. — IV. La scuola positiva. — V. I semplicisti. — VI. L'idealismo e sue tendenze contemporanee. — VII. Ricostruzione.

Paul Coart Frésart, Prof. *Traité pratique de la taxe mobilière* (impôts sur le revenu). vol. (15,5×23) VIII-328 p. Louvain, Soc. d'études morales, sociales et juridiques, 11 rue des Récollets; Bruxelles, Bruylant, 1928. — Avant-Propos. — Base et assiette de l'impôt. — Détermination des revenus imposables. — Taux de la taxe mobilière. — Appendice. Loi du 21 juin 1927 concernant les sociétés et entreprises établies en Belgique, ayant des sièges d'exploitation dans la colonie. Index des auteurs et des travaux cités; des recueils cités et des abréviations; des jugements et arrêts cités.

Sosius d'Angelo, Prof. *Ius Digestorum,* additis iurium nostri temporis praesertim iuris canonici annotationibus, e praelectionibus quas in schola « Textus » iuris romani habebat. Tom. II. Partes speciales. Vol. I. De iuribus realibus. Vol. (14×22) XIII-276 p. Taurini, Berruti, 1928. — Praefatio. Notiones praeviae. — I. Dominium seu Proprietas: Notio ac natura; limites; obiectum; modi acquirendi. — II. Servitutes: Notiones; servitutes praediales; personales; servitutum constitutio; exstinctio; tutela. — III. Emphyteusis et superficies. — IV. Possessio: Disciplina romana; disciplina recentior.

Sosio d'Angelo, Prof. *Saggi di Questioni giuridiche.* I. Pref. dell'avvoc. prof. FRANCESCO DEGNI. vol. (14×21,5), VIII-152 p. Torino, Berruti, 1928. Prezzo 8 L.

Cristianesimo e Diritto Romano. — Per una introduzione scientifica allo studio del « Codex Iuris canonici ». « Il ius quae-

situm » nel Diritto canonico. — Le lacune nel vigente ordinamento giuridico-canonico. — La permuta beneficiaria. — Nozione del delitto nel « Codex iuris canonici ». — Un caso di « restitutio in integrum », nella vigente disciplina canonica. — I Banchi in chiesa.

XXX. *Index critico-litterarius,* seu index in schedis omnium articulorum et criticarum bibliographiarum quae continentur in ere omnibus praecipuis libellis periodicis hispanis et exteris, scientificis vel religiosis, quae novisse interest sacerdotis et omnis personae excultae. Prodit lingua hispana, Moderatore Dr Ramón Sabaté. — Biblioteca « Antonio Augustin », San Pablo 4, Tarragona.

D.r **Ferd. Lefèvre,** O. Praem. *L'abbaye Norbertine d'Averbode pendant l'époque moderne* (1591-1797). Tom. I (16,5 × 25) XXIII-240 p. Louvain, Uystpruyst, 1924. Prem. Partie. *Les vicissitudes de l'abbaye. — L'oeuvre des abbés :* Restauration ; Bâtisses ; Déclin ; Suppression. — Deux. Partie. *L'organisation constitutionnelle :* Juridiction territoriale ; Exemption ; Autorités centrales ; Hiérarchie locale ; Membres de la communauté. — Troisième Partie. *La vie conventuelle :* Observance disciplinaire ; Liturgie et Culte ; Activité intellectuelle. Quatr. Partie. *Le ministère paroissial :* Privilège de la cura animarum. Paroisses desservies ; Nomination des Curés ; Juridiction des évêques et des abbés sur les curés Norbertins ; Service paroissial et temporel des cures. — Conclusion.

XXX. *Norma vitae sacerdotalis eucharistica.* Collationes habitae in sectione sacerdotali XXVIII Congressus eucharistici Internationalis, Chicagiae celebrati 20-24 iun. 1926. vol. (15,5×22) 93 p. Tongerloae, 1927.

R. P. **W. van Dijk,** O. E. S. Aug. *Studium cuniunctionis cum Christo.* — **W. L. Hornsby** S. I. *Studium unitatis ecclesiasticae, in debita subiectione ad praelatos et concordia fratrum.* — **A. Vermeersch,** S. I. *Studium caritatis apostolicae.* — **A. Knoch,** O. S. B. *Studium sanctimoniae illibatae* (desideratur). — R. D. **H. Lamy,** O. Praem. *Studium orationis assiduae.* — **Engelb. Krebs,** *Studium sacrae doctrinae.*

Emilio Hoenningh O' Carroll. *Vocazione religiosa o ecclesiastica.* vol. (10 × 15,5) 40 p. Venezia, Libr. Emiliana, s. d. Venit 1,75 lib. ital. Al fervoroso Chierico. — Lo stato religioso. — Dell' ordine sacerdotale. — Della sacerdotale perfezione. — Il Seminario. — Conclusione.

Tissier (Ill. D.) *La Doctrine de nos Fêtes. Les fêtes de*

saints. vol. I, Les grands maîtres; vol. II. Les grands exemples. 2 vol. (12×19) VI-261 et VI-253 p. Paris, Téqui, 1928 (1).

I. La méthode évangélique de S. Paul. — Le coeur de S. Thomas d'Aquin. — La figure de S. François d'Assise. — La langue de S. François de Sales. — L'esprit de l'École d'Orient. — Le cinquantenaire de l'Institut catholique. --- II. La pérennité sociale de S. Pierre. — La prédication séculaire de S. Julien. — Les vertus rédemptrices de S. Antoine. — La victoire angélique de S. Jeanne d'Arc. — Les martyrs eucharistiques d'Aubenas. — La mission de S. Eudes: un rude saint. — Les prêtres déportés de l'île Madame. — Les idées apostoliques du B. Pierre Chanel. — Le centenaire de l'abbé Roussel. — Les morts des armées de Champagne. — La beauté des « Gueules cassées. » — La Relève.

R. Turcan. *Le directeur des catéchismes de première Communion et de Persévérance.* Nouv. éd. revue et augmentée. 3 vol. (12×18,5) XVIII-459; 442; 495 p. Paris, Téqui, 1928. --- Leçon préliminaire. — *Première Partie.* Dogme ou explication du symbole des apôtres. — *Seconde Partie.* Morale, ou les vertus ou commandements; péchés, examen de conscience. — *Troisième Partie.* La grâce, les sacrements, l'ascèse chrétienne.

Bourchany (Ill. D.). *Entretiens sur la vie religieuse.* Conférences à la Maison-Mère de la Congr. des Soeurs de St. Joseph, de Lyon, 1914-1926. vol. (12×18,5) 216 p. Paris, Téqui, 1928.

Grandeur de la vie religieuse. — Avantages précieux. — Bonheur. — Disposition essentielle: le désir de la perfection et l'effort pour l'acquérir. — La grande Loi du Renoncement. — De la vie surnaturelle. — Des ennemis à combattre: la Tiédeur. — La fidélité aux voeux de religion: pauvreté, chasteté, obéissance. — De la charité fraternelle. — Conditions d'une vraie et définitive Consécration. — Exercices de piété. — La place du T. S. Sacrement. — Dévotion à la S.te Vierge.

L. A. Lenfant (Ill. D). *Une méditation pour chaque jour* (de la semaine). vol. (9×14,5) 40 p. Paris, Téqui, 1928. Prix: 1 fr. L'amour envers Dieu; l'amour du prochain; le désir de la perfection; le courage dans les tentations; l'amour de N. S. J. C.; la passion de N. S. J. C.; la dévotion envers la T. S. V.

Arnaud d'Agnel. *Méditations sur S.te Thérèse de l'Enfant-Jésus dans sa famille.* vol. (9,5×16) 472 p, Paris, Téqui.

I. La famille. — II. Moyens de sanctification. — III. Vertus de la sainte. — IV. Forme particulière de sa sainteté. — V. Grâces excep-

(1) Opera edita a Tequi prostant Romae apud Desclée-Lefèvre.

tionnelles reçues. — VI. Vocation de la sainte. — VIII. Sentiment de la nature et goût esthétique au service de l'amour de Dieu. — VIII. Rôle providentiel et sanctificateur des diverses épreuves.

Richaud (aumônier diocésain des scouts de Versailles). *Veillées de Prière.* 3. éd. augmentée de la Journée du scout de France. vol. (11×17) XV-142 p. Paris, Téqui. Prix: 5 fr.

Lettre de S. G. Mgr. Gibier. — Avant-Propos. I. Promesse; devise. prière, esprit, équipement, insigne, campement, chef, chevalier, routier, aumônier. — II. Journée du Scout de France. Appendice: prières.

Rutten Rév. C. I. C. M. *Les élites en pays de mission* [compte rendu de la 5.e semaine de missiologie de Louvain (1927)]. vol. (14,5 × 21,5) 30 p. Louvain, 11.rue des Récollets.

J. Van Durme, C. I. C. M. *La notion primitive de « Dieu » en Chine.* vol. (16 × 24) 16 p. Bruges, Beyaert, 1927. Prix: 3 fr. Introduction. — Le *TI* et le *T'IEN* Chinois. - Les points de vue: morphologique; phonétique; sémantique. — Conclusion.

Paul Dom, S. I. *Les Jésuites belges et les Missions.* vol. (16 × 24), 115 p. Gand, Veritas, 1924. La Compagnie de Jésus. — La province belge des Missions de Jésuites belges: les Indes, Ceylan, Congo. — Les Missions, oeuvres de tous. — Bibliographie.

XXX *Le Pére Paul Geny,* S. I. 1871-1925. vol. (16,5 × 25) 41 p. Jersey, Maison Saint-Louis, 1927. La Formation. — L'enseignement. — L'Apostolat. — La mort. — Appendice: souvenirs d'un étudiant de Rome sur le P. Paul Geny, S. I.

William Kea, S. I., vrij naar het duitsch van **A. Koch,** S. I. *Jesus redder der Menschen.* vol. (12,4 × 18,5), 22 p. Bode van het H. Hart. Alken. 1928.

W. van Aalst, S. I. *De Knape van Vlaanderen* (H. Berchmans) vol. (12,4 × 18,5), 43 p. Alken. Bode van Het H. Hart, 1928.

XXX. *Les méthodes Jocistes.* Schéma de la quatrième semaine d'études de la J. O. C. à Basse-Wavre du samedi 11 au mercredi 15 août 1928. vol. (11,5×20) 64 p. Bruxelles, secrétariat général. Prix, 2 fr. Programme de la Semaine. Problèmes à résoudre par la J. O. C.; éducation physique; recrutement et formation de militants; comment faire connaître et aimer la doctrine catholique du travail; protection légale du jeune travailleur; obstacles à écarter; action conquérante de la J. O. C.; spiritualité Jociste.

D.r **K. du Bois,** S. I. en **L. Engelen,** Pr. *Katholieke actie voor de jeugd in Vlaanderen.* vol. (12×20), 125 p. Antwerpen, Geloofs-

verdediging J. V. K. A. 1928. Wat Katholieke Actie is. — De jeugd en de Katholieke Actie. — De Katholieke actie in enkele Landen: Polen, Frankrjk, Canada, Deutschland, Oostenrijk, Tcheko-Slovakie. — Katholieke Actie onder de volwassenen in Vlaanderen. — Katholieke Actie onder de vlaamsche jeugd. — Jeugdverbond voor Katholieke Actie: Toespraak van Z. Em. Kard. van Roey. Standregelen. Verklaring van Z. E. H. Prof. Cruysberghs.

Dr **K. du Bois,** S. I., en **L. Engelen,** Pr. *Hij Heersche.* vol. (12×20), 23 p. Antwerpen, Geloofsverdediging, 1928. De nood dringt. — Ter hulp, Leeken. — Op, Jongeren. — Het J. V. K. A.

XXX. « *Nos saints; nos Modèles, nos Sanctuaires* » Series opusculorum (12×18) 16 pag. cum coloratis imaginibus: v. g. B. Juliae Billiart, S. Agnetis, S. Caeciliae, P. Lenoir. Bruxellis, Aug. Patureaux, veneunt 24 libellis annuis fr. 18 in Belgio, 25 extra Belgium.

F. De Cleyn, S. I. *L'école supérieure de Commerce St. Ignace.* Conférence (12×17,5) 18 p. Anvers, 37, Courte rue neuve, s. d.

II. *Ex Periodicis*

Apollinaris, 1928. D'ANGELO. De cessatione legis « ab extrinseco ». — In c. 1045 excursus. — Solutio cathedratici. — MAROTO. « Ubi tumulus ibi funus » — De canonicis seu mansionariis Episcopo assistentibus. — CORREJA DE SILVA. Concordatum Lusitanicum. — FRANCISCUS X. D'AMBROSIO, O. M. Conv. De dote monialis ad aliud monasterium transeuntis. — F. ROBERTI. De legitimitate ad causam et competentia in matrimoniis mixtis.

Collationes Brugenses, 1928. J. BRYS. De materia gravi et levi in lectione pravorum diariorum. — De censuris ecclesiasticis. — De suspensione a divinis. — A. LEGRAND. De indulgentiis rosarii S. Dominici. — De corona S. Birgittae. — De Benedictione apostolica in art. mortis. — V. COUCKE. De confessione generica peccatorum. — De contritione perfecta. — De reatu poenae temporalis eiusque satisfactione. — De absolutione a peccatis reservatis. — De concubinario et franco-muratore moribundo. — De satisfactione sacramentali. — C. CALLEWAERT. De tempore ministrandi s. communionem. — De SS. Sacramenti expositione privata et publica. — De laudibus matutinis.

Collationes Gandavenses, 1928. F. CLAEYS BOÚÚAERT. De condicionibus ut parochus tum valide tum licite matrimoniis assistat. — V. MANNAERT. De gratia s. communionis et modo quo producitur. — F. BLATON. De peccato veniali.

Collationes Namurcenses, 1928. A. COLLART. De reviviscentia sacramentorum. — E. RANWEZ. « C'est l'intention qui fait l'action. » — V. GÉRARD. Moyens de se prémunir contre les écueils auxquels la foi est exposée. — M. LECLERC. De censura suspensionis.

Collationes Tornacenses, 1928. A. LEMAIRE, S. I. La propagande protestante en Wallonie. — XXX. De festis Titularis, Dedicationis et Patroni. XXX. Recursus ad medicationem antoinisticam similemve. XXX. Préparation de l'élite au service militaire.

Collectanea Mechliniensia, 1928. K. CRUYSBERGHS. Dans en zedenleer. — A. GOUGNARD. De poenis in profanatores SS. Eucharistiae. — De materia remota Extremae Unctionis. L'Apostolat catholique chez les médecins. — P. DEVROY. Le rôle éducatif des Dirigeants au Patronage. — P. GILLET. De promulgatione legum ecclesiasticarum.

Commentarium pro religiosis, 1928. A. LARRAONA, C. M. F. Commentariun Codicis, c. 514 § 4 (De iure funerum), c. 515. — S. GOYENECHE, C. M. F. Anticipatio professionis perpetuae. — Litterae testimoniales ab Ordinariis Russiae petendae. Electiones Religiosorum. Communicatio privilegii exemptionis Congregationibus Tertiariorum. — Ius vocis activae eius qui ad sectam acatholicam pertinuit et dispensatione in Religionem receptus fuit. — B. LÓPEZ, O. S. B. Cuinam competit legatum annui reditus monacho qui post sollemnem professionem in aliud monasterium definitive transierit. — MARCELLUS a PUERO IESU, O. Carm. D. Exemptio Regularium a canonica Ep. visitatione. — KRAEMER, O. C. M. I. An ius visitandi domus vel saltem ecclesias Regularium Ordinario loci competat.

Il Diritto Ecclesiastico, 1928. Avv. M. ZACCHI. I lasciti di beneficenza a favore di enti inesitenti od incapaci, e l'art. 832 del Codice civile. — Prof. G. BADII. La « restitutio in integrum » nella legislazione canonica. — G. C. Di un equo allargamento del concetto d'impotenza come impedimento dirimente.

Ephemerides Liturgicae, 1928. V. TIROZZI. De s. comunione infirmis deferenda; de sacris particulis fidelibus distributis, etc. — F. XAVIER. De voce quae dicitur *media* in Missae privatae celebratione. — I. M. HANSSENS, S. I. De Materia sacrificii eucharistici in ritibus orientalibus. — P. B. De oratione SS. Sacramenti in Missa sabbati sancti.

Estudios Eclesiásticos, 1928. ELORRIAGA, A. M., S. I. No cabe fe divina en ningun virtual inclusivo antes de su expli-

cación infalible dada por la Iglesia? — DOMINIGUEZ, D., S. I. Boletin antiteosofico. — FUSTER F., S. I. Personalidad Juridica de los Institutos religiosos en Espana.

Número extraordinario presentado en el Congreso internacional de prensa en Colonia. Mayo-Octubre 1928. vol. (17×24) 153 p.

I. *Historia de la Revista*:

Origen de *Estudios Eclesiásticos;* Organización de la Revista; Distribución de sus secciones; Los Colegios Máximos de Barcelona, Comillas, Granada y Ona en sus relaciones con la Revista. Indice de los principales trabajos publicados.

II. *Articulos y notas:* Códice litúrgicoregio, de procedencia westimensteriana conservado en Espana. De nuevo hácia la Filosofia medieval. Prima principia ontologica quantum valeant ad exsistentiam Dei probandam. Diptico de la Catedral de Oviedo. En el 25º aniversario del *Motu Proprio* de Pio X, sobre música sagrada. - Apéndices.

Grabados: Colegio Máximo de Sarría: Laboratorios de Quimica y de Psicología. Universidad Pontificia de Comillas. Colegio Máximo de Sarría. Universidad Pontificia de Comillas: Museo de Historia natural. Biblioteca principal. Colegio Máximo de Sarria. Universidad Pontificia de Comillas: Museo de Historia natural. Biblioteca principal. Colegio Máximo de Granada: Salón de actos. Fachada. Observaciones astronomicas. Biblioteca. Gabinete de fisica. -- Colegio Máximo de Ona. Biblioteca principal. Sala de trabaio del professorado. — Vista general. — Claustro gótico.

Exsequias de los Reyes de Inglaterra. -- Diptico de la Catedral de Oviedo.

Ilustracion del Clero, 1928. D. RAMOS, C. M. F. El Párroco y los funerales. — J. G. BAYON. Testamento en peligro imminente de muerte.

Ius Pontificium, 1928. G. ARENDT, S. I. Quomodo concordare debeant canones 214 et 1072, remoto conflictu utriusque fori. — CAPELLO, S. I. De natura Concordatorum. — S. RZEWNICKI, De nullitate matrimonii ob condicionem consensui appositam. XXX. Giurisprudenza della Corte di Cassazione del Regno in materia attinente al diritto canonico. — A. TOSO. Ad Codicem commentaria a c. 512 ad c. 520.

Benediktinische Monatschrift, 1928. FRANZISKUS DEININGER. Die weltlichen Berufe als religiös-sittliche Idee. — IAN VAN RUYSBROECK. Das Büchlein von der höchsten Wahrheit. Uebers. von P. WILLIBRORD VERKADE.

Il Monitore Ecclesiastico, 1928. S. B. (Ill. D.) Circa i funeri dei degenti in uno spedale ricostruito. — G. F. Delle dignità capitolari, quanto alle puntature. — XXX. Circa obblighi del Canonico giubilato. — P. A. I. (Ill. D.) Circa la restituzione della tassa del trenta per cento. — L. S. Di un legato a favore d'una chiesa officiata da religiosi soppressi. — T. E. (Ill. D.) Circa il diritto di funerare riservato a un convento.

Perfice Munus, 1928. D. EMM. NADDEO. Che cosa è la Pastorale. A che serve la Pastorale. — FELICE RAVANAT. Della Comunione. — Materia del calice e della patena. — XXX. Il can. 102 del Codex I. C. — D.r FEDERICO ARBICÒ. Per il ministero della Confessione. — GIUSEPPE ROSSI. L'assoluzione complice in peccati turpi.

Palestra del Clero, 1928. EMMANUELE VIADDEO, O. S. B. Vita delle Confraternite. - Le cure dei singoli. - La cura pastorale dei fanciulli. — GIULIO MONETTI, S. I. Organizzazioni cattoliche femminili ufficiali. - Associazioni religiose. - Ingegnosa propaganda ultimo stile. - La scuola di carità di Friburgo. - Omelie sui vangeli festivi. — GIOVANNI BUTTIGNONI. La mercatura vietata ai chierici. - La sorte dei bambini morti senza battesimo. — ENRICO BONINCONTRO. È necessario l'influsso della carità, per il merito di condegno? — Avv. VITO. Diritti del clero parrocchiale nei funerali in chiese di regolari. - La messa pro populo nelle parrocchie unite alla mensa episcopale. - Il diritto di funerare nella chiesa annessa al comune cimitero. — EUGENIO BECCEGATO (Ill. D.) Riflessioni sui vangeli domenicali. — FORTUNATO DE SANTA (Ill. D.) Discorsi per circostanze. - Istruzioni cattoliche. — PIETRO PEZZALI. La parola missionaria.

Pastor bonus, 1928. Prof. D.r FRANZ WEILER. Irrwege socialisticher Erziehung. Zur Kinderfreunde - Bewegung. Kinderfreunde Bewegung und Katholische Seelsorge. — D.r ANDREAS EBERHARTER. Die Kirchliche Bücherzensur. — Prof. D.r KIEFFER. Die neuesten Expositionsregeln. - Ein casus perplexus. - D.r HEINRICH CHARDON. Das Programm der neudeutschen Jugendbewegung und seine theologische Begründung. II. — D.r OSKAR MEISTER. Sträflingsseelsorge und strafrechtsreform.

Theologisch-praktische Quartalschrift 1928. Dr LEOP. KOPLER. Religion und Politik. — P. ZYRILL FISCHER, O. F. M. Socialistische Erziehungsziele. — K. SUDBRACK, S. I. Zur praktischen Durchführung der Frühkommunion. — Dr. PRÜMMER, O. P. Die Feuerbestattung menschlicher Leichen vom Standpunkt der Moral betrachtet. — Kindes-unterschiebung. — Aufwertungs gesetz und restitutionspflicht. — J. B. RAUS, C. SS. R. Von den

Eigenschaften eines Präfekten der Ordenskleriker oder « Magister spiritus ». — Dr. HERBERT JONE, O. M. Cap. Ordnung einer ungültigen Mischehe auf dem Sterbbette. — Suppletion der Beichtjurisdiktion bei einem dubium facti. — Error communis bei Eheassistenz. -- F. SCHACH. Die Gebete zur Gewinnung des Portiunkula Ablasses. — ALBERT AILINGER, S. I. Der monatliche Familienbesuch der Geistlichen in England. --- OTTO COHAUSZ, S. I. Starkmut und Grossmut. — Dr A. VERMEERSCH, S. I. Der Kanon 1543 bei den Kanonisten und christlichen Sozialreformern. — P. MATTHAEUS KURZ. Die Gefahren mystischer Bücher. — F. BÖHM (St Gabriel). Geschäftskonkurs und Restitutionspflicht.

Le Recrutement Sacerdotal, 1928. A. BESSIÈRES, S. I. La gratuité de l'enseignement secondaire. — FERD. CAVALLERA. Le P. Marc Dubruel. — MARCEL VILLER. L'idée catholique du recrutement sacerdotal. — Fr. H. M. LACOMME, O. P. La vocation religieuse. — A. BROU, S. I. La vocation aux missions.

Resena ecclesiástica, 1928. MIGUEL DE ARQUER. Impedimentos del matrimonio. -- LUIS M. BRUGATA Y IANIZO. Apostolado del Mar (De los Centros inscriptores y Capellanes de Puerto). -- MASÉS ALUJAS. La Misa enel altar de la exposición. -- A. Manera de armonizar la diferencia de nombres entre la partida de bautismo de la Iglesia y de nacimiento del Registro Civil. — M. B. En los barrios urbanos no urbanizados: Cómo legar a los enfermos.

Revue des Communautés Religieuses, 1928. BROUILLARD, S. I. La vocation Religieuse. I Existence et nature. — E. JOMBART. Les actes écrits. — F. X. JANSEN. La lecture spirituelle.

Revue ecclésiastique de Liège, 1928. T. XX. G. KISELSTEIN. L'examen médical avant le mariage. — Num parochus assistere possit matrimoniis indignorum. — De concubinariis. — E. LEROUX. De ministro s. communionis. — La communion portée secrètement aux malades. — G. SIMENON. Distinctio poenarum in iure canonico. — Requisita ad incurrendam poenam latae sententiae. — A. POSTELMANS. De praeparatione proxima sacerdotis missam celebraturi.

Nouvelle Revue Théologique, 1928. I. B. RAUS, C. SS. R. St Alphonse et les variations de son systeme moral. — R. LE PICARD. La notion d'ordre public en droit canonique. — L. HONORÉ, S. I. Le mariage chrétien. — E. MERSCH, S. I. Pour la confession fréquente. — F. SALSMANS, S. I. Le pouvoir paternel d'annuler les voeux. — G. CREUSEN, S. I. La réserve des censures ab homine. -- Rôle du confesseur dans l'admission en religion. -- En marge de la hiérarchie. — A. LEMAIRE, S. I. La

propagande protestante en Wallonie. -- N. PICKERY, S. I. L'encyclique *Miserentissimus Redemptor.*

Nederlandsche katholieke Stemmen, 1928. DR. H. BEIJERSBERGEN, S. I. Verklaring van het antwoord der Pontificia Commissio over de biecht van vrouwelijke religieuzen van 28 dec. 1927. — Een ware bekeeringsgeschiedenis. --- De iurisdictione religiosorum in Neerlandia. -- Dr J. DE JONG. De « Moderne Devotie ». -- Dr W. MULDER. Op welke dagen mogen de huwelijksafkondigingen geschieden ? -- D.r A. C. M. S. Tres quaestiones canonicae de bonis temporalibus (collectio elemosynarum ; bona a clerico vel religioso fiduciarie accepta ; administratio bonorum ecclesiasticorum). --- Vrouwenzang bij godsdienstoefening. --- Dr. A. C. M. S. Nogmaals het antwoord der Cod. Commissie van 28 dec. 1927. -- De ieiunio pridie consecrationis servando --- Fr. G. BOOTSMA, O. F. M. Nogmaals: De oratio v. het Allerh. Sacrament. --- M. VAN GRINSVEN, C. SS. R. Si dispositus es vel si capax es (in Extr. Unct.) — Dr ALPH. MULDERS. Maria Middelares.

PARS ALTERA

MONUMENTA

85. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

De Pontificiis Biblico et Orientali cum Universitate Gregoriana, ex Motu Proprio " *Quod maxime* „ 30 sept. 1928, consociandis.

(PERIODICA XVII, 186)

COMMENTARIUM

Haec Apostolica Constitutio *de Pontificiis Institutis biblico et orientalium studiorum cum Athenaeo Gregoriano consociandis,* motu proprio a Summo Pontifice PIO PP. XI promulgata, maximi momenti sane erit.

In ea enim genuina ac veluti classica Universitatis notio restituitur: nimirum, in unum Studium generale pro clericis totius orbis, SS. Pontificis auctoritate, coalescunt atque organice disponuntur cunctae ecclesiasticae disciplinae, seu Facultates philosophica, theologica, iuridica, biblica et studiorum orientalium, quae prius in tribus Pontificiis Urbis Institutis non unitis tradebantur.

I. Consociationis membra seu Instituta.

1. — Primum quidem et tempore et dignitate est Universitas Gregoriana Collegii Romani Societatis Iesu.

Anno 1551 a Sancto Ignatio de Loyola, auxilio et ope Sancti Francisci Borgia, tunc Gandiae Ducis, inceptum fuit eiusmodi Institutum, deinde anno 1584

a Gregorio XIII novis splendidisque aedibus ac dotatione donatum tanquam « generale totius Ordinis Seminarium » et « Collegium ad iuvenes omnium nationum optimis disciplinis imbuendos ».

Per quattuor fere saecula Gregorianum Athenaeum, Societati Iesu concreditum, et alumnorum numero et magistrorum praestantia indesinenter viguit; atque a Romanis Pontificibus, praesertim a Iulio III, Pio IV, Gregorio XIII, Leone XII, Pio IX et Leone XIII, est cohonestatum Apostolica auctoritate moderatoribus comunicata ad conferendos in eo gradus academicos in philosophiae, theologiae ac iuris canonici Facultate (1).

His accessit anno 1922 « *Magisterii cursus* » a regnante Pio PP. XI institutus cum titulo « Magistri aggregati » eis alumnis conferendo, qui iam lauream doctoralem adepti, per integrum biennium in facultate philosophica vel theologica altioribus studiis dediti ac probe exercitati, aptis experimentis idoneos se ad docendum ostendissent (2).

Optime in ecclesiastico Athenaeo institutus est Cursus Superior Religionis pro laicis, qui ab anno 1918-19 laeta initia habuit, et ab anno 1927, opportunis aliis disciplinis adauctus, evasit, probante S. Pontifice, *Institutum culturae pro actione catholica.*

Ad latini sermonis plenissimam in clero scientiam provehendam atque usu polite ac ornate scribendi propagandam, voluit ipsemet Pontifex Pius XI, Motu Proprio 20 oct. 1924, ut in Universitate Gregoriana schola perfectioris latinitatis crearetur.

Ex quibus plane constat nihil defuisse nec in disciplinarum complexu, nec in crescente in dies alum-

---

(1) Litt. Apost. Iulii III « *Sacrae Religionis* », 22 oct. 1552; Pii IV « *Exponi Nobis* », 19 aug. 1561; Gregorii XIII « *Quanta* », 7 maii 1578; Leonis XII « *Cum multa* », 17 maii 1824; Pii IX, 16 aug. 1876; Leonis XIII, « *Romani Pontifices* », 29 iulii 1896.

(2) *S. Congr. de Seminariis et de Stud. Univers.*, Decret. 23 iunii 1922.

norum omnium fere nationum numero, attingente in proxime elapso curriculo ad 1461, ut Universitas Gregoriana de iure et de facto rite censeretur constituta.

Ea propter SS. D. N. Pius Pp. XI nihil in Athenaei Gregoriani legibus nunc mutavit; quin imo, plene ipsius iura omnia ac privilegia a Summis Pontificibus huc usque obtenta, specifica approbatione per has Litteras motu proprio confirmat ac rata habet; nominatim vero iterumque ac expresse ea omnia quae ad gradus academicos Apostolica auctoritate conferendos in Facultate philosophica, theologica ac canonica itemque in magisterii cursu spectant, simul laudando et approbando studiorum rationem in *Instituto culturae religiosae pro laicis catholicis.*

2. *Biblicum Institutum.* — Illud in Urbe erexit Pius X tanquam altiorum studiorum ad Libros sacros pertinentium generalis palaestra, in quam undique convenirent iuvenes ex aliis collegiis Urbis et orbis delecti, scientia divinorum eloquiorum praestantes evasuri; ipsum Institutum perpetuo regendum commisit Societati Iesu sub immediata dependentia S. Sedis, et gubernandum certis normis quae deinde, quemadmodum condicio temporum vel rerum usus postulasset, corrigerentur e perficerentur.

Iam, cum Biblicum Institutum propriis sedibus hierosolymitanis completum, definita studiorum ratione, experientia fere vicennali fructuum ubertate floreat atque nunc academica constitutione vigeat quae Apostolicae Sedis in optatis erat, apud Athenaeum Gregorianum in Facultatem universitariam, omnino independentem a Pontificia Commissione Biblica, erigitur; ideoque donatur proprio iure conferendi titulos ac gradus academicos in scientiis biblicis, omnibus ipsius alumnis, qui studiorum curriculum rite ibidem emensi fuerint ac statutum doctrinae periculum superaverint.

2. — *Institutum Orientalium Studiorum.* — Simul cum S. Congregatione pro Ecclesia Orientali originem duxit a BENEDICTO XV: qui ut orientales gentes ad Ecclesiae unitatem efficaciter induceret, utramque institutionem creavit Motu Proprio « Dei Providentis », 1 maii, et « Orientis Catholici », 15 oct. 1917.

Institutum Orientalium studiorum Sanctissimus D. N. PIUS PP. XI, Litt. « Decessor Noster », 14 oct. 1922, et nuper, Encycl. « Rerum Orientalium », 8 sept. 1928, commissum item voluit Societati Iesu, propriisque aedibus illud donavit anno 1927, sicque constituit ut vere Facultas Scientiarum Orientalium evaserit.

II. — **Trium institutorum unionis occasio et indoles iuridica.**

E celerrimo progressu exstructionis incepti domicilii pro Universitate Gregoriana, fundata habetur spes anno academico proxime venturo 1929 - 1930 plerasque saltem Athenaei scholas traduci posse in novum amplissimum aedificium.

Quam ob rem D. N. PIUS PP. XI, cui pro paterno solertique eius studio in Gregorianum Institutum, a suscepto Pontificali munere, cura semper fuit illud promovendi, ab imminenti novi aedificii inauguratione occasionem est nactus ad deliberandum de perfectiore atque ampliore constitutione litteraria Athenaei Gregoriani, illud erigendo in Centrum vere universitarium, non modo trium scientiarum ecclesiasticarum philosophiae, theologiae et iuris canonici, sed aliarum facultatum specialium, nimirum, de re Biblica ac de studiis orientalibus: quae ab Apostolica Sede ultimis decenniis in Urbe erectae, sub moderatoribus etiam et magistris Societatis Iesu in totidem separatis Institutis evolvebantur.

Itaque Facultates trium Institutorum ex nova iniunctione Pontificis regnantis simul coëunt atque inter se

coniunctae in unam coalescunt OMNIUM STUDIORUM ECCLESIASTICORUM PONTIFICIAM UNIVERSITATEM, quae, iuxta classicam antiquitus receptam Universitatis rationem, iussu D. N. PII Pp. XI et sub dependentia ac gubernatione suprema Apostolicae Sedis *unum efformabunt corpus moderatorum et magistrorum Societatis Iesu, quorum munus erit in quinque memoratis Facultatibus alumnos undique Romam advenientes docere, eisque, periculo doctrinae probatis, ius in toto orbe docendi conferre Pontificia auctoritate.*

Istiusmodi universitariae consociationis proventus praecipui concinne ac perspicue a SS. D. N. PIO Pp. XI in praesenti Motu Proprio sic enumerantur: — scientiarum progressus ex communi trium Institutorum conspiratione; facilior et crebrior professorum consuetudo communisque labor in studiis ecclesiasticis provehendis, commentariis ac libris conscribendis et edendis; doctrinae complementum et illustratio pro scholis specialibus et positivis ex aliis magis generalibus et fundamntaliebus, ac vicissim pro his confirmatio doctrinae generalis ex accuratis peculiaribus investigationibus et disquisitionibus quoad textus et historica facta; alumnorum facilitas adeundi pro consilio et adiumento magistros speciales; domus hierosolymitana patens omnibus scholaribus illuc ad studia convenire volentibus; tandem, copiosae Bibliothecae trium Institutorum, in dies auctae ac quasi in unam, per ternos indices in singulis patentes, coordinatae.

Quod ad *iuridicam consociationis rationem* spectat, haec in Pontificio Motu Proprio apertissime constare videntur.

Athenaeum Gregorianum Collegii Romani, iamdiu, ut prius ostendimus, in formalem Universitatem erectum, pollet iisdem omnino iuribus academicis quibus a saeculo XVI usum fuerat.

Nominatim vero et specifice cuncta antiqua pri-

vilegia et alia iura in hacce Apostolica Constitutione magis magisque roborantur, iterumque ac expresse conceduntur a Summo Pontifice Pio PP. XI.

Pontificium Institutum Biblicum, Universitati Gregorianae nunc consociatum, evehitur ad gradum proprie universitarium tamquam Facultas completa cum potestate conferendi usitatos honoris et dignitatis gradus, doctoratum quoque in scientiis biblicis.

Praeterea, post dictam unionem cum Gregoriana Universitate, Biblicum Institutum redditur in posterum ex voluntate Pii XI omnino independens a Pontificia Commissione Biblica, et subiicitur Summo Pontifici, atque, secundum normas ab Eo statutas, Praeposito Generali Societatis Iesu, qui iure speciali moderatur etiam Pontificiam Universitatem Collegii Romani.

Pontificium Institutum Orientalium studiorum unitur Universitati Gregorianae, prout nunc est cum omnibus iuribus contentis in Litteris Apost. Benedicti XV « Orientis Catholici », 15 oct. 1917; « Quod Nobis », 25 sept. 1920; et nuper in Encycl. « Rerum Orientalium » SS. D. N. Pii PP. XI, 8 proxime elapsi sept., in quibus Collegii scopus, rationes et leges splendide describuntur.

Subiacet etiam eiusmodi Institutum supremo magisterio et gubernationi Romani Pontificis, atque ex Ipsius formali mandato in Litteris « Decessor Noster », 14 sept. 1922, atque in Encycl. « Rerum Orientalium », 8 sept. 1928, committitur similiter ac Biblicum Collegium Praeposito Generalis eiusdem Societatis.

Eadem igitur est ratio consociationis utriusque Instituti cum Gregoriana Universitate.

Ex dictis iam eruere possumus rationem iuridicam unionis trium Institutorum sui iuris.

Hanc consociationem, prout supra declarata manet, possemus iuridice et vocabulis artis appellare *unionem aeque principalem.*

Quia non evenit per *suppressionem*, aut *confusionem* trium entium moralium et creationem alius novi diversi; nec per *accessionem subiectivam* unius vel alterius, in propriis iuribus diminuti, ad aliud principale; sed perficitur per *unionem Facultatum trium entium moralium,* in proprio esse iuridico manentium, *in uno perpetuo moderatore proprio seu titulari.*

In hac *unione aeque principali* singula manent sui iuris, plane distincta quoad iura prius habita, quoad bona temporalia et peculiarem oeconomicam ac disciplinarem administrationem.

Eiusmodi denominatio consociationis aut unionis *aeque principalis* optime quadrat characteribus coniunctionis statutae pro tribus Institutis in praesenti Motu Proprio.

« *Duae illae Facultates* (Institutum Biblicum et Orientalium Studiorom), legitur in documento Pontificio, *cum Facultatibus Gregorianis unam efficient Pontificiam Studiorum ecclesiasticorum Universitatem* ». — En habes Facultates consociandas et consociatas.

« *Ea tamen lege,* sequitur Constitutio Pontificia, *ut utrumque Institutum Biblicum et Orientale sui iuris esse pergat* ». — Ecce membra unita quae in iuribus prius habitis remanent sine ulla mutatione aut subiectione accessoria.

Tandem additur: « *Utrumque Institutum Nobis dumtaxat Nostrisque successoribus proxime subiiciatur et pareat* » : scilicet Nobis et Nostris successoribus quibus supremum regimen trium institutorum competit; Nobis et Nostris successoribus regentibus tria Instituta etiam per Praepositum Generalem Societatis Iesu, ad quem iure constituto attinet Athenaeum Gregorianum Collegii Romani gubernare, et speciali Pontificia iniunctione Pii X et XI moderari Biblicum et Orientale Institutum.

Exstat igitur perpetua coniunctio Facultatum *trium*

distinctarum Institutionum sui iuris *in uno Rectore Summo,* Romano Pontifice, atque *in uno item Moderatore subordinato.*

Unde merito talem coniunctionem et consociationem vere et proprie appellare possumus *unionem aeque principalem.*

Ceterum, haec ratio iuridica unionis erat procul dubio omnium aptissima in casu. Agebatur enim de Institutis cum scopo et legibus propriis, cum studiorum peculiari ratione, cum Facultatibus rite constitutis, atque cum aedibus et redditibus ex voluntate fundatorum diversis.

Quaecunque alia unionis forma, sane absque proventu litterario — fine fere exclusive in hac reformatione intento — consuetam probatamque Institutorum agendi rationem funditus perturbasset, ipsaque non sine discrimine in incertam viam coniecisset.

Nova vero consociationis forma, quaecumque utilia et usu firmata reperit, diligenter retinuit; quae deerant, opportune supplevit; quae distracta seorsim agebant, in unum conspirare curavit; sicque prudenti consilio « conservando perfecit »; atque ex memoratis Facultatibus ampliorem Academiam conflavit, vere STUDIORUM OMNIUM ECCLESIASTICORUM PONTIFICIAM UNIVERSITATEM.

Hactenus leges fundamentales unionis prout in Motu Proprio efferuntur.

Ampliores declarationes de Facultatum mutua habitudine dabunt peculiaria statuta quae in eadem Pontificia Constitutione, dein publicanda promittuntur.

Interea, quae ex Litteris Apostolicis evolvimus, indolem et magnum huiusce innovationis momentum ob oculos satis ostendere videntur.

MICH. MOSTAZA, S. I.

86. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

Epistola « Quae Nobis », 13 nov. 1928.

DE COMMUNIBUS ACTIONIS CATHOLICAE PRINCIPIIS ET FUNDAMENTIS.

(A. A. S., 3 dec. 1928, XX, 384)

PIUS PP. XI

Laudato de promota Actione Catholica Episcopo, SS. P. rescribit actionem istam explicaturus

Dilecte fili Noster (1), salutem et apostolicam benedictionem. — **Quae Nobis** haud ita pridem nuntiasti, coepisse ac fecisse te, ut Actionis Catholicae incrementa apud tuos proveheres, iis profecto non parum delectati sumus; qua quidem in re, tua quoque in Apostolicam Sedem observantia ex eo apparet, quod tibi in votis esse aperiebas, scilicet ut Nosmetipsi, dilectis e dioecesi tua filiis rescribendo, et significaremus quae in eiusmodi coeptis melior ratio ac via esset et ad proficiendum animos adderemus. Causa quidem agitur aetati ipsi apostolicae non ignota, quandoquidem Paulus in epistola ad Philippenses (c. IV, v. 3) « adiutores suos » commemorat, cupitque adiuvari « illas, quae » secum ipso « laboraverunt in evangelio ». At Nostris potissimum temporibus, cum fidei morumque integritas in discrimen cotidie periculosius vocatur, eamque dolemus sacerdotum penuriam, ut curandis animarum necessitatibus omnino impares evasisse videantur, Actioni Catholicae plus confidendum, quae tantam cleri tenuitatem, datis multiplicatisque e laicorum ordine laborum sociis, adiuvet ac suppleat. Quam quidem rei catholicae sospitandae rationem plane liquet decessores Nostros probasse atque adhibuisse, qui, quo asperiora Ecclesiae et consortioni hominum inciderunt tempora, eo impensius, veluti receptui canentes, fideles omnes hortati sunt, ut, Episcopis praeeuntibus, sancta certarent certamina aeternaeque proximorum saluti pro viribus consulerent. Nec minus Nos, iam inde ab inito pontificatu, de Actionis Catholicae incrementis solliciti fuimus, utpote qui, Litteris Encyclicis « Ubi arcano » ipsam a pastorali ministerio et a vita christiana minime disiungi publice edixerimus, declaratis deinceps eius natura et proposito,

Res antiqua; hodie maxime necessaria; probata Decessoribus et Ipsi ab inito Pontificatu.

(1) ADOLPHUS Card. BERTRAM, episc. Wratislaviensis.

Actionis catholicae definitio: praeter studium propriae perfectionis, Apostolatum dicit cohaerentem cum centris quibus adest Episcoporum auctoritas, et sic a sacra hierarchia mandatum.

quae si recte perpendantur, apparet Actionem Catholicam alio non spectare, nisi ut laici apostolatum hierarchicum quodammodo participent. Neque enim Actio Catholica in eo tantum consistit, ut homines suae quisque christianae perfectioni studeant, quod primarium est atque praecipuum, sed etiam in verissimo apostolatu catholicis cuiusvis ordinis communi, quorum sensus atque opera cum iis quibusdam quasi centris sanae doctrinae et multiplicis actuosique laboris, cohaereant, quibus rite legitimeque constitutis Episcoporum demum adest ac suffragatur auctoritas. Christifidelibus igitur, qui sic coiverint atque in unum coaluerint, ut ad nutum hierarchiae ecclesiasticae praesto sint, sacra ipsa hierarchia quemadmodum mandatum impertit, sic incitamenta et stimulos adiicit. Iamvero, haud aliter ac mandatum Ecclesiae divinitus commissum, ipsiusque hierarchicus apostolatus, Actio eiusmodi non externa prorsus sed spiritualis, non terrena sed caelestis, non politica sed « religiosa » dicenda est. Verumtamen eam ipsam iure meritoque « socialem » dixeris, cum id sibi propositum habeat, ut Christi Domini regnum proferat, quo quidem proferendo cum summum omnium bonum societati acquiritur, tum cetera quaeruntur bona, quae ab illo proficiscuntur, ut sunt quae ad statum Civitatis pertinent et politica vocantur, scilicet bona non privata ac singulorum propria, sed civibus omnibus communia; id autem omne Actio Catholica ita potest ac debet assequi, si Dei Ecclesiaeque legibus modeste parendo, a civilium studiis partium sit prorsus aliena. Quo quidem spiritu si imbuti animatique sint catholici, qui apostolatus hierarchici participes sint, facere non poterunt, quin promoveant, tamquam finem proximum, christifidelium ex omnibus nationibus coniunctionem in iis quae ad mores religionemque pertinent, itemque -- quod praecipuum est -- valeant ad fidei doctrinaeque christianae principia cum late disseminanda, tum valide tuenda, tum denique privatim publiceque promovenda. Itaque in Actione Catholica nostri universi omnes concordes erunt, nullo vel aetatis, vel sexus, vel ordinis, vel civilis cultus, nullo stirpium partiumque discrimine, modo tamen huiusmodi studia evangelicae doctrinae christianaeque legi ne repugnent, modo qui ea profitentur, hoc ipso eandem doctrinam ac legem ne abdicare videantur. Nam de Actione illa dicimus, quae totum hominem complectitur cuius rectam provehit religiosam civilemque institutionem, id est solidam pietatem, uberem sanae doctrinae cognitionem et plenam morum integritatem, quibus rebus qui careat, apostolatum hierarchicum non is fructuose exercere poterit. Facile,

Actio ista non est politica, sed religiosa et socialis quatenus, a civilium partium studiis aliena, Christi regnum profert et Dei Ecclesiaeque legibus modeste paret.

Inde apostolatus istius participes promovebunt coniunctionem christifidelium ex omnibus nationibus in re morali et religiosa et valebunt ad christianae vitae principia late disseminanda, tuenda, promovenda.

Ita perfecte concordes erunt, modo qui eam profitentur nec pietate, nec cognitione doctrinae nec plena morum integritate careant.

ceteroqui, intellectu est Actionem Catholicam, quod ad usum spectat, variam fore pro diversitate aetatis et sexus, pro varia temporum locorumque condicione, ita tamen ut qui de iuvenilibus coetibus sunt, ii ad futura rerum incepta se potissimum conforment ac comparent, firmatae vero aetatis hominibus latior pateat campus, utpote quorum sit si qua sibi liceat in societatem humanam beneficia conferre, quae cum divino Ecclesiae munere aliquo pacto cohaereant, ab nullis eorum impertiendis abstinere. Nec vero Actio Catholica quod habet sibi propositum, peculiari via ac ratione assequi contendit; quin imo opera et sodalicia cuiusvis generis, vel praecipue religiosa, ut quae iuventutis instituendae aut pietatis fovendae gratia instituta sunt, vel proprie civilia atque oeconomica, ad apostolatum socialem convertit ac dirigit. Atque Actio haec ob sapientem illam, quam habet, ex una concordique gubernatione sibi insitam, virium officiorumque ordinationem, qua varia totius compagis suae reguntur elementa -- quae sunt coetus hominum ac mulierum itemque iuvenum ex utroque sexu -- cum fruatur ipsamet utilitatibus, quas sodalicia religiosa dumtaxat et oeconomica sibi pepererint, tum ea adiuvabit fovebitque id efficiendo, ut non modo consensio ac benevolentia sed etiam adiutricis operae praesidium utrimque intercedat, eo quidem cum Ecclesia et humanae societatis emolumento, quod facile coniicitur. Hoc autem in comparando bono, quod est maxime religionis et morum, Actio Catholica non sane intercipiet suis aditum ad rem publicam, qua late eius tractatio patet; immo eos ad publica munia reddet aptiores, quippe quos ad vitae sanctimoniam christianorumque officiorum observantiam severe conformaverit. Quid, quod ad pariendos societati optimos omnium cives, religiosissimos reipublicae scitissimosque omnium magistratus nata videtur? Quis igitur affirmaverit eam vera rei publicae commoda neglegere, quae demum commoda extra christianae caritatis campum minime vagantur, cum ad caritatem pertineat publicam omne genus prosperitatem provehere? Eiusmodi quidem prosperitatem in qua proximus finis continetur societatis civilis, nonne Actio Catholica tum provehit, cum suos iubet legitimam auctoritatem vereri legibusque obtemperare, ea servare ac tueri, quibus populorum salus ac felicitas nititur; ut morum integritatem, ut convictus domestici incolumitatem, ut civilium ordinum inter se concordiam et consensionem, id scilicet omne, quod ad societatem hominum tranquillandam tuendamque confert? Et sane id facilius assequitur, quia cum, ut diximus, partium studiis nequaquam implicetur, etsi eaedem

In usu tamen actio ista variabit pro adiunctis rerum et personarum.

Actio non peculiari methodo ad finem suum contendit, sed instituta quae exstant, ad socialem apostolatum convertit ac dirigit.

Instituta ista utilissime iuvabit.

Suis non interdicit aditum ad rem publicam.

Immo varia ratione publicam prosperitatem provehit.

Beneficae eius actio ideo amplior, quia abstinet partium studiis et oboedit antistibus, etiam si factionum commodis repugnare videantur.

et catholicis constant -- qui profecto de controversiis liberae disceptationi relictis dissentire non prohibentur, — ultro consiliis praescriptisque obsequetur, quae sacrorum antistites daturi sunt, quamvis ea ipsa factionum disciplinae commodisque repugnent vel repugnare videantur. — Ex iis, quae adhuc memoravimus, liquido patet, dilecte fili Noster, Actionem Catholicam iure meritoque habendam esse quandam veluti viam ac rationem qua ad beneficia omne genus nationibus impertienda utitur Ecclesia: viam ac rationem, inquimus, quae videatur divino consilio ac beneficio inducta, ut ad evangelicam doctrinam ac legem illos Ecclesia alliciat ac trahat, qui, nullo cum sacerdotibus commercio usuque, facile in seditiosorum hominum fallacias pravasque artes concederent. Haec sunt cuivis Actioni Catholicae communia principia ac fundamenta, quamquam ex una eademque causa pro vario populorum ingenio variaque nationum condicione, varii gignuntur effectus. Manifesto ex his apparet eam patrocinio dignam esse non modo Episcoporum et sacerdotum — qui probe norunt ipsam Nosmet in oculis Nostris ferre — sed etiam gubernatorum ac magistratuum cuiuslibet Civitatis: quodsi communi eiusmodi patrocinio fulciatur, iam mirificam fructuum ubertatem in gentes catholicas proferet, et ubivis, religionem in animis excitando, non parum ad civilem prosperitatem conducet. Quod ut auspicato eveniat vehementer cupimus. Interea, dilecte fili Noster, grati admodum tibi sumus quod, luculentus mentis Nostrae interpres, Actionem Catholicam in dioecesi tua propagare contendis, neque minus quod Nobis opportunitatem dedisti eius ad commune bonum denuo patefaciendae.

Conclusio. Actio catholica est divino consilio inducta methodus ad omne genus beneficia nationibus impertienda et attrahendi ad evangelium eos qui fallaciis seditiosorum hominum facile deciperentur.

Quam digna sit cui faveatur, quam cara sit Pontifici.

Caelestium vero donorum auspicem paternaeque benevolentiae testem, tibi, dilecte fili Noster, et clero populoque tuo universo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Benedictio Pontificis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIII mensis Novembris anno MDCCCCXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

Dies (13 nov. 1928).

PIUS PP. XI

ANNOTATIONES

I. Si in superioribus fasciculis, propter maximam rei utilitatem, nullum omittere documentum conati sumus quo ratio actionis catholicae aliquo pacto illustrabatur, quanto maiore studio et cura oportet ut

eam epistolam in nostros commentarios inseramus qua ipse S. Pontifex profitetur se velle actionis quam, ut ipse scribit, in oculis fert, *communia principia et fundamenta* delineare.

II. *Quaenam sunt ista communia?* Ea fere esse quae hic statim subicimus, ex ipsa epistola colligi arbitramur.

1. *Obiectum* actionis catholicae: participatio a laicis apostolatus hierarchici.

2. *Titulus:* mandatum acceptum ab iis quibus Christus missionem dedit.

3. *Essentialis ratio:* studium propriae perfectionis et apostolatus qui catholicis omnis ordinis communis est.

4. *Constitutio: Centra* quaedam sub auctoritate Episcoporum posita, et *catholici* qui, in iis quae ad fidem et mores pertinent, pro actione religiosa ad nutum hierarchiae ecclesiasticae praesto sunt.

5. *Finis:* proferre Christi Domini regnum.

6. *Condicio negative requisita:* abalienatio ipsius actionis catholicae a civilium partium studiis.

Id minime impedit quin catholici qui eam exercent ad rem publicam adeant, omnia politica negotia tractent, de rebus libere disputatis inter se dissentiant.

7. *Condicio positive requisita: in sociis:* solida pietas, uber sanae doctrinae cognitio, plena morum integritas, aestimatio istius actionis tamquam summae, cui etiam, posthabitis propriae factionis commodis, servire parati sint.

Exsistentia concreta: aptata ad diversa personarum et rerum adiuncta, et proinde varia in eius exteriore figura seu structura, in eius modo agendi, in eius proximis intentis.

9. *Relatio ad alia opera et instituta non mala:* nulla hostilis aemulatio, nulla frigrida neglegentia vel elongatio, sed adiutrix opera, usus et directio ad apostolatum socialem, infusio animae apostolicae.

10. *Sperati fructus:* promotio boni communis in omni civitate, coniunctio Christi fidelium ex omnibus partibus, attractio hominum ad fidem et legem evangelii, restauratio principiorum catholicorum in vita publica, publica pax et prosperitas.

III. De istis Pontificiis litteris fas sit haec praeterea observare.

1. *De Constitutione actionis catholicae.* a) Sola religiosa actio sub directa Episcoporum auctoritate ponitur. In aliis institutionibus quae praevidentur immo et commendantur, socii liberam, quam natura institutionis secum fert, actionem explicare minime prohibentur.

Vult tamen Pontifex ut ad ordinem utilitatum attendatur, atque ut suprema agnoscatur tum speculative, tum practice, fovenda causa regni Christi, cui minores utilitates subordinandae sunt. Is ordo si observatus esset, rebelliones, quales eorum qui factionem « Action française » obstinate fovent, excessus nationalismi vel similium partium non fuissent deploranda; Ecclesia passa non esset intemperantes modos agendi et loquendi sacerdotum qui, mansuetudinis evangelicae obliti, ita causas etiam bonas impatienter tuentur ut oboedientiam suis Praelatis detrectent, et plurium animos a clericorum ordine et mox a religione alienos efficiant.

2. *Varia praevidetur esse forma concreta* qua actio catholica vestiatur. Haec igitur reperiri potest vel separata vel mixta aliis studiis. Studia ista esse possunt religiosa, socialia, quidni etiam politica, ut si catholici inter se de re publica gerenda consentiant: ita diu in Belgio unanimes fuerunt. Atque hic expresse praeciditur error aliquorum qui visi sunt catholicos ab actione politica avertere, dum, contra, ipsa christianae pietatis virtus maximum studium commendat rei publicae bene regendae.

Multa magis ista absona vitabuntur quae scripta sunt tam inconsiderate: collegia, ut religiosorum, quae

Pontificia dispositione a iurisdictione Ordinariorum loci subducta sunt, propter ipsam exemptionem non posse iam catholicam actionem rapraesentare, quasi minus catholicum sit a S. Sede immediate quam mediate pendere! Cfr in *Nouv. Rev. théol.*, 1928, 492 ss. eleganter disputata a I. CREUSEN, S. I. « *En marge de la hitrarchie ?* »

Ad finem ultimum, qui regnum Christi est in vita privata et publica dilatandum, fines intermedii dirigendi sunt qui alii in alia civitate sunt prosequendi: alii in mahumetana seu pagana, alii in christiana; alii in haeretica vel schismatica, alii in catholica; alii in apostatica, alia in fideli.

Neque aciem oculorum S. Pontificis fugit varietas quam sexus, quam aetas inducere debent. Quare latiorem campum assignat homnibus firmatae aetatis quam iunioribus, quos memores efficit, ipsorum aetatem esse conformationis et praeparationis, nondum audacis susceptionis inceptorum.

3. *De essentiali actionis catholicae ratione* id observandum est, a S. Pontifice tamquam primarium singulis opus assignari studium propriae perfectionis. Apage igitur istos miros catholicismi patronos, qui numquam transiliunt limen ecclesiarum ad quarum valvas scripta apologetica disseminant. Prima victoria Christo reportanda est victoria de propriis vitiis et perversis inclinationibus.

4. Dum socios catholicae actionis, quales esse debeant describit, sollers Pontifex requirit ut de fide sua bene sint instructi et plenam morum integritatem colant. Nonne hic alludere videtur ad depellendam ignorantiam religiosam filiorum Ecclesiae qui interdum in rebus profanis sunt bene eruditi; et ad coercendam nefariam abusionem contra naturam quorum et extra et intra matrimonium rei nimis saepe sunt qui pro fide se certare affirmant?

5. Cum inter speratos fructus ille commemoratur, ut Ecclesia alliciat quos seditiosi homines seduxissent, videtur nobis S. Pontifex animo cogitasse de praeclara ista militia adulescentium opificum qui in Belgio, in Gallia, tantum Christi amorem et studium profitentur.

IV. Nihil mirum quod huiusmodi actio, ad quam ipse tam impensa perseverantia hortatur, tantopere cordi sit S. Pontifici, atque ab eo dignissima pronuntietur quibus, praeter Episcopos et sacerdotes, etiam civiles magistratus patrocinentur.

Fas sit etiam nobis ut illud emolumentum istius actionis indicemus. Ex quo ipsi laici conscii fiunt de sua apostolica missione, magis amabunt religionem in qua non mere passivas partes habere sinuntur; et omnis eorum vita plenius in solo vero ordine praesenti, qui supernaturalis est, versabitur et transigetur.

A. VERMEERSCH, S. I.

---

87. — S. Congr. De Sacramentis

Responsum 2 maii 1928

DE EXERCITIIS SPIRITUALIBUS ANTE ORDINATIONEM

(A A. S. 5 nov. 1928, XX, 359)

Romana et aliarum.

27 Aprilis 1928

Dies comitiorum plenariorum.

Dubium de mente legislatoris, cum omnes ordines sacri brevissimo tempore conferuntur.

Responsum.

In plenariis Comitiis H. S. C., die 27 mensis Aprilis curr. anni habitis, iudicio E.morum ac Rev.morum Patrum submissum est sequens dubium a Rev.mo Ordinario Vrhbosnen. propositum: *An mens sit legislatoris, ut praescriptum can. 1001 § 1 adamussim servetur etiam in casu, in quo alicui omnes ordines sacri brevissimo tempore, ex. gr. spatio unius mensis, conferantur.* Et E.mi ac Rev.mi Patres, re mature perpensa, respondendum censuerunt: « *Stetur can. 1001 § 1,* idest si qui intra semestre, vel etiam spatio unius mensis ad plures ordines maiores promovendi sint, Ordinarius poterit exercitiorum spiritualium tempus pro ordinatione ad Diaconatum reducere, non tamen infra

tres integros dies. Si vero sacri ordines sive beneplacito apostolico, sive decreto Episcopi ad normam can. 1006 § 3, gravi interveniente causa, servatis tamen servandis, praesertim cann. 975-978, distinctis et subsequentibus vel proximis diebus, alicui conferantur, ita ut tempus non suppetat servandi praescriptum can. 1001 § 1, praemissis semper sacro ordini, qui primus erit conferendus, spiritualibus exercitiis saltem per sex integros dies, ceteris ordinibus, si fieri poterit, iudicio Episcopi, ad normam can. 1001 § 2, una saltem dies spiritualis recessus praemittatur ».

Approbatio SS mi.

Quam responsionem SS.mus D. N. Pius Pp. XI, in Audientia diei 1 Maii d. a., referente infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis, ratam habere et adprobare benigne dignatus est.

Dies editi responsi (2 maii 1928).

Datum Romae apud Sacram Congregationem de Disciplina Sacramentorum, die 2 Maii 1928.

† M. Card. LEGA
Episc. Tusculanus, Praefectus

L. ✠ S. D. JORIO, *Secretarius.*

ANIMADVERSIONES

Mos ante Codicem

1. Exercitia spiritualia, quorum auctor exstat S. Ignatius de Loyola, Societatis Iesu Fundator, sive lege particulari (Alexander VII, Const. *Apostolica sollicitudo* 7 Augusti 1662; S. C. Ep. et Reg., *Encycl. ad Ep. Italiae*, 9 Octobris 1682), sive laudabili consuetudine, a promovendis ad Sacros ordines, ante Codicis iuris canonici promulgationem, fere ubique peragebantur.

Codicis statutum.

2. Codex vero I. C. hanc saluberrimam disciplinam non solum generalem effecit, sed ad ordines minores et ad ipsam primam tonsuram extendit, praefinitum temporis spatium, pro iisdem explendis exercitiis, singulis ordinibus ipsique tonsurae assignans, prout sancitum est in can. 1001 § 1: « Qui ad primam tonsuram et ordines minores promovendi sunt, spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies; qui vero ad ordines sacros, saltem per sex integros dies vacent; sed si qui intra semestre ad plures ordines maiores promovendi sint, Ordinarius potest exercitiorum tempus pro ordinatione ad Diaconatum reducere, non tamen infra tres dies ».

Memoratur dubium et responsum.

3. Quamvis clara concinnaque sit lex, tamen Ordinarius Vrhbosnensis E.morum Patrum Coetui pro Codicis canonibus authentice interpretandis constituto, dubium de re subiecit, quod a praefato Coetu huic Sacraae Congregationi delatum est.

4. Et Sacra Congregatio, praeviis Rev.morum Consultorum votis, et re mature perpensa, in Plenariis Comitiis die 27 Aprilis labentis anni in Palatio Apostolico Vaticano habitis, responsum dedit, quod, una cum proposito dubio, supra retulimus.

Eius rationes.

5. Nunc, quod spectat ad EE. PP. responsum, dicendum est ipsum can. 1001 § 1 intentioni et verbis esse conforme, seu esse declarativum iuris constituti.

Causa dubii.

6. Re quidem vera, dubium desumitur ex eo, quod, si plures sacri ordines, iuxta allatum canonem, intra semestre alicui conferantur, spiritualia exercitia pro Diaconatu ad tres integros dies Ordinarius coarctare valeat, nonne maiore temporis coarctatione, secundum legislatoris mentem, pro Diaconatu et ipso Presbyteratu Ordinarius uti poterit, si iidem sacri ordines intra mensem alicui conferantur ?

Eius confutatio.

7. Verum, reverentia qua decet, animadvertimus propositum dubium nulla ratione fulciri, nam, omisso trito illo principio iuris, *legislator quod voluit expressit,* legenti canonem 1001 § 1 luce meridiana affulget, semestre esse temporis spatium principium et finem habens, et quidquid intra eius limites a lege statuitur, sub eamdem legem cadere, quodcumque sit praefiniti spatii punctum. Stat igitur canonis praescriptum de spiritualibus exercitiis per sex integros dies peragendis, salva exceptione pro Diaconatu, etiam si plures sacri Ordines intra mensem vel brevius tempus alicui conferantur.

Alteri obiectioni ex unione morali ordinum intra mensem susceptorum occurritur.

8. Non desunt tamen qui canonem de quo agimus benigne interpretari autument ex eo, quod pia animi dispositio ope exercitiorum in Subdiaconatus susceptione acquisita, promovendo ad reliquos ordines si intra mensem eidem conferantur, ob eorum moralem unionem suffragetur; sed neque hoc admitti potest, quia spiritualia exercitia, iuxta normas a S. Ignatio de Loyola traditas, spatio *unius mensis* absolvuntur, et secundum eiusmodi normas S. Carolus Borromaeus, ecclesiasticae disciplinae restitutor insignis, in Concilio prov. Mediolanen. IV, ordinandis suae provinciae ad Subdiaconatum vel ad Presbyteratum exercitia spiritualia peragi iussit. Progressu temporis S. Vincentius a Paulo, alter ecclesiasticae disciplinae strenuus promotor, eadem exercitia suis promovendis alumnis *decem dierum* spatio pro unoquoque sacro Ordine praecepit, quae omnes dies proinde integrum exercitiorum mensem efformant. Et haec S. Vincentii a Paulo disciplina usque ad Codicis promulgationem lege particulari vel consuetudine in Ecclesia viguit.

9. Post hoc, attenta dierum exercitiorum reductione a Codice ad *sex* integros dies facta, dici nequit piam animi dispo-

sitionem ad Diaconatum et ad ipsum Presbyteratum, cuius onus angelorum excedit humeros, iam acquisitam fuisse, ope sex exercitiorum dierum pro Subdiaconatu peractorum, ita ut in expositis adiunctis nova dierum coarctatio admitti valeat.

Quid si tempus servandi legem non habeatur.

10. At contingere potest, ut sacri ordines conferantur breviori tempore quam mensis spatio, et tempus non suppetat servandi legem. Quid faciendum in isto casu? Respondemus praevalere principium iuris: Lex impossibilia non iubet. Et casus eiusmodi impossibilitatis in relato responso clare admittitur et habetur, quoties Episcopi, sive apostolico indulto, sive facultatibus ordinariis, plures eidem promovendo sacros ordines conferant tribus distinctis et successivis, vel proximis diebus dominicis vel festis de praecepto, et hoc gravi causa interveniente, iuxta can. 1001 § 3, servatisque canonibus 975, de aetate ordinandorum, 976, de studiorum requisitis, et 978 de interstitiis, a quibus postremis ob necessitatem aut utilitatem Ecclesiae Episcopi dispensare possunt.

Multum Ordinario deferendum est.

11. Neque a canonum praescripto videtur ullimode aliena aut difformis facultas, quae vindicata est Episcopo seu Ordinario, coarctandi nempe ad unam tantum diem spiritualem recessum ante sacram ordinationem in casu expresso, quippe in hac materia non parum deferendum esse arbitrio et iudicio Ordinariorum, manifestat ipse legislator, statuens in can. 1001 § 2: « Si expletis exercitiis sacra ordinatio *qualibet de causa ultra semestre differatur, exercitia iterentur, secus iudicet Ordinarius utrum iteranda sint necne* ». Ceterum in Codice pro universa Ecclesia catholica condito, non poterant determinari singuli casus, in quibus, per modum exceptionis lex communis ex integro suam applicationem sortiri non poterat. Quare huiusmodi in adiunctis fideliter id servari debet, quod magis est conforme menti sacrorum canonum, quam prudenter legislator numquam praetermisit significare in generalibus Codicis praescriptionibus. Huic criterio innixa, haec Sacra Congregatio censuit peropportunum esse quandam generalem normam proponere Ordinariis, quam sequantur in exposita difficultate, ut secure et uniformiter se gerant in tam gravi negotio.

D. Jorio, *Secretarius.*

Annotationes

I. Attentis verbis responsionis, attenta Ill. Secretarii expositione, haec est propria et certa eius vis,

brevitatem intervalli non admitti ut excusantem a stricta observatione can. 1001 § 1, quam diu id physice fieri possit.

Si autem adeo proxime ordines sacri alius alium excipere debeant ut ne physice quidem tempus suppetat, tunc:

a) Primo ordini seu qui ante alios confertur exercitia spiritualia saltem per sex dies praemitti debent.

b) Ceteris ordinibus, si fieri poterit, una saltem dies, iudicio Episcopi, spiritualis recessus praeponatur.

Itaque duplex norma traditur: norma canonis, si intervallum sinat ut observetur; — si observari nequit, saltem sex dies primae ordinationi praemittantur; his autem, *arbitrio Episcopi,* adiungatur ante singulas alias ordinationes una saltem dies spiritualis recessus, si continuitas ordinationum id permittat.

II. *Applicationes.* N. B. In exemplis supponimus haberi privilegium aut indultum quo ordines sacri tam cito alius alium subsequi permittuntur.

1. Titius die proxima dominica fiet subdiaconus; feria quinta subsequente diaconatum suscipiet; et die dominica insequente sacerdotio augebitur.

R. Opus est ut per sex dies exerceatur ante subdiaconatum; per tres dies ante diaconatum. Episcopus autem definiet utrum recessus unius vel duorum dierum, vel nullus sacerdotio praeponi debeat.

Ratio est, quia copia trium dierum ante diaconatum habetur, non autem copia sex dierum ante sacerdotium, quod tempus Episcopus ex c. 1001, § 1 brevius facere non potest.

2. Titii ordinationi ad subiaconatum, diaconatum et presbyteratum praestituuntur successive Dominica, Feria quarta et Dominica proxime subsequens.

R. Sex saltem dies exercitiorum transigendi sunt ante subdiaconatum; ante diaconatum et sacerdotium,

per illos solos dies quos Episcopus praescribet vacandum est spiritualibus exercitiis.

E mente legis est ut saltem una dies recollectionis spiritualis utrique maiori ordinationi praeponatur.

3. Titius fiet diaconus Dominica, sacerdos feria quarta proxima.

R. Si iam a sex mensibus subdiaconus factus est, debebit per sex saltem integros dies ante diaconatum exercitiis vacare; de exercitiis ante sacerdotium libere Episcopus pronuntiabit.

Si non a sex mensibus est subdiaconus, Episcopus debebit imperare exercitia spiritualia saltem per sex dies ante sacerdotium et quae ita inchoentur ut tribus diebus diaconatus praecedant.

Sic enim observabitur canon 1001.

4. Titius octiduana exercitia inchoat, per quae duos ordines sacros recipiet; completis autem exercitiis, sacerdotio augebitur.

R. Hoc facere quidem poterit, dummodo septimo tantum die ei subdiaconatus conferatur. Codex enim et declaratio S. Congregationis praescribunt ut subdiaconatui saltem sex dies exercitiorum praeponantur.

III. In *Epitome*[3], II, n. 267, casus paulo benignius solvebamus, dum rationabilem intervalli aestimationem permittebamus nec ultra tres dies ante sacerdotium exigebamus.

Verum haec scripta sunt ante praesentem responsionem.

Hanc tamen tamquam mere declarativam et non extensivam Ill. Secretarius nobis proponit.

IV. Quisnam autem est Episcopus de quo in declaratione agitur?

Resp. 1. Est non solus Episcopus proprie talis, sed etiam Ordinarius, cui ordinandi subduntur: quo nomine veniunt, ut liquet, etiam Abbas *nullius*, Vica-

carius aut Praefectus Apostolicus, Vicarius generalis aut delegatus.

Canon enim ad Ordinarium spectare dicit reductionem ad tres dies exercitiorum quae ante diaconatum requiruntur. S. autem Congregatio non censetur designationem competentis Superioris severius quam canon intellegere.

2. Erit igitur etiam Superior maior religionis clericalis exemptae (ex c. 198).

A. VERMEERSCH, S. I.

---

88. — S. Poenitentiaria Apostolica

Decretum ex expresso mandato S. Pontificis 10 nov. 1928.

CONTRA ABSOLVENTES ADHAERENTES " ACTION FRANÇAISE „
(A. A. S., 3 dec. 1928, XX, 593)

DECRETUM

Pervicacia quorundam absolventium adhaerentes Factioni A. F.

Etsi serio dubitari nequeat, post iteratas Sacrae Poenitentiariae Apostolicae resolutiones et declarationes circa damnatam in Gallia factionem vulgo « L'Action Française », quin mortaliter peccent confessarii sacramentalem absolutionem impertientes huius factionis sociis aut quomodocumque eidem actu adhaerentibus, nisi antea eam ex animo penitus repudiaverint; non desunt tamen ibidem sacerdotes, qui, uti ex certis fontibus constat, propriae conscientiae fucum facientes, tam gravi facinore sese foedare non vereantur.

Frustra tentata media mitiora.

Ad horum, ne pereant, pervicaciam frangendam, cum hortamenta, monita, minae nihil profecerint, Sancta Sedes, ecclesiasticae disciplinae custos et vindex, ad remedia graviora manus apponere, aegre quidem sed necessario, compellitur.

Expressum mandatum quo reservatur peccatum.

Quare de expresso Ss.mi Domini Nostri mandato Eoque adprobante et confirmante, Sacra Poenitentiaria statuit ac decernit peccatum confessariorum sacramentaliter absolventium quos quomodocumque noverint factioni « L'Action Française » actu adhaerentes quique ab ipsis, uti tenentur, moniti, ab ea se retrahere renuant, Sanctae Apostolicae Sedi reservari.

Huius reservationis ea vis est ut in illis quoque casibus, in quibus iuxta canonicas dispositiones quaevis reservatio cessat, onus adhuc remaneat praedictis sacerdotibus ad S. Poenitentiariam recurrendi, sub poena excommunicationis specialiter Sanctae Sedi reservatae, intra mensem a die obtentae sacramentalis absolutionis, vel postquam convaluerint si aegroti, et standi eius mandatis.

Peculiaris vis huius reservationis.
Onus recurrendi ad S. Paenit.

Ordinariorum erit Superiorumque familiarum religiosarum, graviter onerata eorum conscientia, Decretum huiusmodi ad sacerdotum sibi subditorum certam, ne ignorantiam in excusationem allegare audeant, notitiam, quo opportuniore modo iudicaverint, quamprimum deferre. Qui insimul sciant nihil per hoc praecedentibus hac in re declarationibus ac praescriptionibus detrahi, praesertim de procedendo contra inobedientes ad canonicas sanctiones.

Obligatio decretum deferendi ad certam subditorum notitiam.
Antehac decreta firma manent.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria Apostolica, die 16 Novembris 1928.

Dies (16 nov. 1928).

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

✠ S. I. TEODORI, *S. P. Secretarius.*

ANNOTATIONES

I. In primis divulgatur tristissima obstinatio plurium (dicuntur non deesse) sacerdotum qui socios impaenitentes factionis vel ei adhaerentes absolvunt: hoc sine peccato gravi fieri posse negatur.

II. S. Paenitentiaria, cum sit *tribunal*, nulla generalia decreta fert nisi ex mandato seu auctoritate S. Pontificis. Cfr c. 258 quo competentia huius tribunalis explicatur. Quare, ad praesens decretum mentio expressi mandati SS. D. N. additur.

III. Porro sanctio promulgatur reservationis peccati quod committeret Confessarius absolvens quem quomodocumque nosset factioni *actu* adhaerere et a se, ut tenetur, monitum, ab ea recedere nolle.

Habemus igitur iam secundum peccatum a S. Sede sine censura reservatum.

IV. Verum haec reservatio speciali regimini subi-

citur, regimini, inquam, censurae specialissime reservatae S. Sedi. Etenim, non sanis tantum sed etiam aegrotis in periculo mortis imponendum est onus recurrendi intra mensem ab obtenta absolutione vel a recuperata valetudine, ad S. Paenitentiariam, idque sub poena excommunicationis specialiter S. Sedi reservatae, et standi eius mandatis.

V. Observes facultate absolvendi a censuris specialiter S. Sedi reservatis non contineri facultatem absolvendi a peccatis sine censura S. Sedi reservatis.

VI. Inculcatur officium Ordinariorum et Superiorum religiosorum curandi quam primum ut hoc decretum ad certam notitiam sacerdotum sibi subditorum perveniat.

A. VERMEERSCH, S. I.

NOTANDA

Ne praesenti fasciculo, cui etiam Indices totius anni inserendi sunt, iustus numerus 500 paginarum nimis excedatur, in proxime sequentem fasciculum differimus Constitutionem Apostolicam de Iubilaeo (1), *pauca Monumenta quae in A. A. S. dec. 1928 prodierunt, ac solitam Bibliographiam.*

Similis iam causa nos cogeret proxime sequenti tomo reservare continuationem disputationis liturgicae De concelebratione eucharisticae R. P. HANSSENS S. I. *nisi omnis de re deliberatio excluderetur hac altera ratione, quod cl. Professor, hisce diebus, omnem operam suam deputare debet absolvendo* Manuali liturgiae Orientalis, *quod a duobus annis maxima cura et ex propria monumentorum investigatione componere coepit, ut alumnorum et plurium aliorum votis satisfaceret.*

(1) De ea haec modo satis sint. Per totum annum 1929, pluries lucrandum prostat in universo Orbe jubilaeum his condicionibus: *a*) ut duae fiant visitationes pias in tribus ecclesiis vel oratoriis publicis: haec Romae, salva iusta substitutione per Confessarium facta, sunt tres potiores Basilicae; extra Urbem, templa quae Ordinarius designaverit; *b*) ut servetur, ad normam Codicis, ieiunium et abstinentia duobus diebus quibus neutrum praecipitur; *c)* ut praeter annuam praeceptam, altera rite instituatur confessio et communio; *d*) ut erogetur eleemosyna in pium opus. -- Confessarii impeditis opera commutare possunt et, praeter suas consuetas, aliis facultatibus donantur.

ACTA SUMMATIM RELATA

89. — SS. D. N. Pius Pp. XI.

A. *Litterae de missionibus, Praefecturis, Vicariatibus Apostolicis.*

1. Brevi *Cum ex Apostolico*, 14 iun. 1928, ad Vicariatum Apostolicum evehitur Praefectura Apostolica de Tsing-Tao in Sinis, quae concredita manet curis Societatis Verbi Divini (*A. A. S.*, XX, 1928, 346). *Vic. Ap. de Tsing-Tao.*

2. Brevi *Venerabilis Frater*, 15 iun. 1928, erigitur missio de Bellary, ex dismembrata dioecesi Hyderabadensi. Nova autem missio demandatur curae Fratrum Ordinis Minorum Provinciae Anglicae (*A. A. S.*, XX, 1928, 347). *Missio de Bellay.*

3. Brevi *Quae catholico*, 19 iun. 1928, e distracto territorio a Vicariatu Apostolico de Kaigeng, erigitur Praefectura Apostolica de Kweiteh in Sinis, concredita Patribus Ordinis Eremitarum Recollectorum S. Augustini (*A. A. S.*, XX, 1928, 348). *Praef. Ap. de Kweiteh.*

4. Brevi *Venerabilis Frater*, 9 iul. 1928, erigitur missio independens de Ilan, intra fines Vicariatus Apostolici de Wonsan in Corea. Missionis curam geret Congregatio Ottiliensis O. S. B., cui concreditus est ipse Vicariatus (*A. A. S.*, XX, 1928, 349). *Missio de Ilan.*

5. Brevi *Ea quae ad Christi*, 9 iul. 1928, distracto territorio e Vicariatu Apostolico de Kirin, erigitur missio independens de Tsitsikar in Sinis, curis demandata Patrum Societatis de Bethlehem (*A. A. S.*, XX, 1928, 350). *Missio de Tsitsikar.*

B. *Litterae de Capitulo.*

Bulla *Valde decet*, 29 iun. 1928, confirmatur vel, quatenus opus est, erigitur capitulum canonicorum Nonantulanae abbatiae nullius, metropolitanae ecclesiae Mutininensi perpetuo unitae (*A. A. S.*, XX, 1928, 373). *Capitulum Nonantulanum*

C. *Litterae de approbatione Constitutionum.*

1. Brevi *Decimo sexto*, 25 nov. 1926, denuo confirmantur Constitutiones Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationis a Domina Nostra (*A. A. S.*, XX, 1928, 377). *Canonissae S. Augustini a Domina Nostra.*

2. Brevi *Mirabili plane*, 21 maii 1928, approbantur consti- *Missionarii Oblati B. M. V.*

tutiones Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae (*A. A. S.*, XX, 1928, 341).

D. *Litterae de indulgentia.*

Indulgentia recitantibus Rosarium coram SS.

Brevi *Ad sancti Dominici*, 4 sept. 1927, conceditur, consuetis condicionibus confessionis et communionis, indulgentia plenaria quotiescumque tertia pars Rosarii B. M. V. recitatur coram Sanctissimo Sacramento, sive exposito, sive etiam in tabernaculo recondito (*A. A. S.*, XX, 1928, 376). (Breve istud exalio fonte exscripsimus in *Periodica* XVI, 125, ubi eius commentarios subiunximus. Cfr etiam XVII, 74 ss., ubi dubium S. Paenitentiariae propositum refertur).

E. *Epistola de cath. Univers. Washington.*

Epistola 10 oct. 1928, ad Episc. Stat. Foed. Amer.-Sept. SS. D. eos hortatur ad cath. Univ. complendam (*A. A. S.*, XX, 1928, 380).

F. *Litterae de ecclesiis.*

Auxitana.

1. Brevi *Canonicorum capituli*, 21 maii 1928, titulo Basilicae minoris augetur ecclesia cathedralis Auxitana in Gallia (*A. A. S.*, XX, 1928, 345).

Premislien.

2. Brevi *Constat apprime*, 10 iul 1928, titulo Basilicae minoris donatur ecclesia B. M. V. ab angelo salutatae, in suburbio Lezajek dioecesis Premisliensis latinorum (*A. A. S.*, XX, 1928, 351).

90. — S. Congr. Consistorialis.

Designatio Ordinariorum pro appellatione.

Gnesnen. et Posnanien.

Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis pro appellationibus in secunda instantia designavit Ordinarium Culmensem pro dioecesi Gnesnensi, et Ordinarium Vratislaviensem pro dioecesi Posnaniensi (*A. A. S.*, 1928, 359).

91. — Pontif. Commissio pro Russia.

Erectio dioecesis ritus Byzantini-Slavici.

Harbin in Sinis

1. Decreto Pontificiae Commissionis pro Russia, dato die 20 maii 1928, erigitur in Sinis Ordinariatus ritus Byzantini-Slavici, cuius sedes erit in urbe Harbin. Huic in posterum subicientur omnes personae et res ad ritum byzantinum-slavicum legitime spectantes, intra territorium Imperii Sinensis. (*A. A. S.*, XX, 1928, 366).

92. — Provisio Ecclesiarum.

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt:

R. P. D. Aloisius Lavitrano, archiepiscopus Panormitanus, ex archiep. Beneventano. — *Palermo*

R. D. Paschalis Dell'Isola, episcopus Cavensis et Sarnensis. — *Cava e Sarno*

R. P. D. Emmanuel Medina y Olmos, episc. Guadicensis, ex ep. tit. Amoriensi. — *Guadia*

R. D. Ioannes Eguinus Trecu, episc. Santanderiensis. — *Santander*

R. D. Achilles Lienart, episc. Insulensis. — *Lille*

R. D. Franciscus Julliot, episc. Gonaivensis. — *Gonaiver*

R. D. Paulus M. Le Bihain. episc. Portus Pacis. — *Port de Paix*

R. P. D. Ioannes Baptista Peruzzo, episc. Oppidensis, ex ep. tit. Euracensi. — *Oppido Mamertina*

R. P. Antonius Raphael Villanueva, O. F. M., episc. Caiamarcensis. — *Casamarca*

R. D. Ernestus De Laurentiis, episc. Isclanus. — *Ischia*

R. D. Dominicus Menna, episc. Mantuanus. — *Mantova*

93. — Nominationes.

Decreto S. Congr. Consistorialis Exc. P. D. Antonius Rossi, Patr. Lat. Constantin. praeficitur Praelaturae *nullius* SS. Rosarii in Valle Pompeia. — *SS. Rosar. in Valle di Pompei*

Decretis S. Congr. de Propaganda Fide nominati sunt:

R. P. Georgius Froewis, S. V. D., Praef. Apost. de Sinyangchow in Sinis. — *Sinyangchow*

R. P. Ioannes Soggiu, O. F. M. Conv., Praef. Apost. de Hinganfu in Sinis. — *Hinganfu*

Decreto Pontif. Commissionis pro Russia, in Ordinarium Harbinensem ritus byzantini-slavici nominatus est R. D. Fabianus Abrantowicz (*A. A. S.*, XX, 1928, 367).

94. — Necrologium.

23 sept. 1928. Ill. D. Ioannes Keily, ep. Plymutensis. — *Plymouth*

24 oct. 1928, Em. D. Card. Gaetanus De Lai, episc. Sabinensis et Mandelensis. — *Sabina e Poggio Mirteto*

1 oct. 1928, Ill. D. Abraham Brownrigg, episc. Ossoriensis. — *Ossory*

13 nov. 1928, Ill. D. Paulus Carolus Franc. Origo, episc. Mantuanus. — *Mantova*

18 nov. 1928, Ill. D. Iosephus Padula, episc. Abellinensis. — *Avellino*

25 nov. 1928, Ill. D. Iacobus Augustinus Smith. episc. Sancti Andreae et Edimburgensis. — *S. Andrew Edimborough*

INDEX SCRIPTORUM HUIUS VOLUMINIS

G. Arendt, S. I. Theologus S. Paenitentiariae, 175* ss.
D.r **Arnou,** S. I., 1* ss.
Ios. Creusen, S. I. Prof. in Lovaniensi collegio theol. et phil., 153* ss.
D.r **Fr. Galtier,** S. I., 53* ss.
D.r **Gracias,** 127* ss.
I. M. Hanssens, S. I. Prof. theol. liturgicae in Pont. Univ. Gregoriana et Inst. Orientali, 93* ss.
E. Herman, S. I. Prof. iuris can. in Instituto Orientali, 167.
Aemil. Mersch, S. I. Prof. fac. Philos. in Belgio, 186* ss.
Mich. Mostaza, S. I. Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana, 229* ss.
B. Ojetti, S. I. Prof. iuris can. in Pont. Univ. Gregoriana, 229* ss.
D.r **Ios. Pauwels,** S. I. Prof. fac. Philos. in Belgio, 79* ss., 69 ss.
D.r **L. Raymond,** 44* ss.
R. D. **F. S.,** Vic. Gen. in Italia, 160* ss.
Ioh. B. Umberg, S. I. Prof. in Univ. Oenipontana, 17* ss.
A. Vermeersch, S. I. Prof. theol. mor. et scientiae soc. in Pont. Univ. Gregoriana, 34* ss., 47* ss., 49* ss., 52*., 53* ss., 80* ss., 88*., 136* ss., 138* ss., 144* ss., 148* ss., 150* ss., 152 ss., 194* ss,, 221*., 222*., 223* ss., 226*., 227*., 228*., 231* ss., 54 ss., 63., 75., 77 ss., 141 ss., 236 ss., 243 ss., 247 ss.
G. Vromant C. S. C. M. Prof. iuris can. in Instituto suo Lovanii, 68* ss.

Summa Dissertationum, Quaestionum et Casuum

Dissertationes.

	Pag.
Moralis respectus negotiationum. De impugnando lucro immoderato	1*
De reviviscentia sacramentorum ratione «rei et sacramenti». Introductio, Notiones	17*
Assertum I. In valida cuiuslibet sacramenti susceptione, subiectum aliquid recipit quod sit « res et sacramentum »	19*
Assertum II. « Res et sacramentum » in subiecto est ratio qua quodlibet sacramentum reviviscere valeat	24*
Corollaria	32*
Probabilismus et sensus honestatis	34*
De canone 1070 eiusque opportunitate	53*
De ignorantia et errore in censurarum specialissime modo reservatarum absolutione	55*
De Vicario delegato in territorio Missionum.	
Litterae quibus Vicarii delegati instituuntur	68*
I. Potestas Praesulis missionis Vicarium delegatum nominandi	69*
II. Munus et potestas Vicarii Delegati.	72*
De quadam adulteratione vini	79*
Variae supputationes ad usum religiosorum.	
Supputatio dierum absentiae Novicii	80*
Supputatio secundi anni noviciatus eiusque interruptio	82*
Supputatio tertiae partis lucri conferendae in arcam instituti	85*
De Domibus filialibus apud religiosos	88*
De Concelebratione extrasacramentali	93*
Notanda quaedam de meliore ratione qua incumbendum sit in lucrandos Christo primores Indicorum	127*
De Canone 466 et de recta applicatione can. 6, 2°	136*
De Metu qui, saltem ex lege positiva, excusat ab obligationibus vitiato consensu susceptis, praecipue de metu ab intrinseco vel extrinseco	138*
De renuntiatione noviciorum et can. 568	144*
Quinam sunt pueri de quibus in can. 1373 § 1 et 1374?	145*
De applicatione in Italia decreti « Inter reliquas ».	148*
De dubio matrimonio ob dubium baptismum	153*
De sollemnitatibus actuum iuridicorum.	
I. De requisitis sollemnitatibus et actibus infirmis	160*
II. De sanatione actuum infirmorum	164*
A. De sanatione actus invalidi ob defectum naturalis consensus	165*
B. De sanatione actus invalidi ob defectum habilitatis	166*
C. De sanatione actus invalidi ob defectum sollemnitatis substantialis	168*
III. De foro quo actus sint infirmi	172*
An valida esse possit assistentia matrimonio mixto hodie praestita, non obstante cautionum omissione et deficientia iustae gravisque causae	175*

Pag.

De Imperfectione et veniali peccato. Disp. prior. Animadversiones quaedam . 186*
Modus ponendi quaestionem. 187*
Casus frequentior 188*
Nodus Quaestionis 190*
Notae consectariae 193*
Disp. altera. De imperfectione moraliter imputabili, seu peccato veniali.
I. Introductio 194*
II. Quaedam quae constant praemittuntur 199*
III. Conclusiones 208*
IV. Responsiones ad obiecta 213*
V. Corollaria et Lemmata 215*
Summa Conclusionum 219*
De legitimo usu facultatum quae confessariis conceduntur. 221*
De accidentali causa cur vota temporaria numquam in perpetua convertantur. 222*
De calendario sequendo in oratoriis principalibus communitatum religiosarum. 223*
Communio infirmorum ex facultate 17.a Formulae tertiae S. C. de Prop. Fide. 226*
De conficiendis hostiis pro sacrificio Missae. 226*
Praelatus in Codice I. C. quisnam sit 229*
Partes Confessarii in diudicanda virtute necessaria ad sacros ordines . . . 231*
Synoptica propositio rerum quae faciunt pro susceptione vel contra susceptionem ordinis sacri.
A. Contra susceptionem ordinis sacri 233*
B. Pro susceptione sacri ordinis 234*
C. Normae practicae, quarum nulla supplet iudicii maturitatem . . 235*
Quaestio subsiciva. 236*

Quaesita varia.

De usu facultatum in missionibus exteris 47*
II. *De religiosis.*
1. Supputatio anni noviciatus 49*
2. Exclaustratio et saecularizatio religiosorum 50*
III. Varia de usu privilegii Fidei 241*

Casus.

De matrimonio subrepticio. Casus et Quaesitum 44*
Casus de iurisdictione Confessarii 52*
Solutio casus propositi de iurisdictione Confessarii, p. 55* 90*
Casus moralis-canonicus de ordinibus sacris. 92*
Solutio casus propositi de ordinibus sacris p. 92* 150*
Casus moralis canonicus de reductione Missarum et recursu ad S. Sedem . . 152*
Solutio casus propositi p. 152* *de reductione missarum et recursu ad S. Sedem* . 227*
Casus moralis de iustitia 228*
Solutio casus propositi de Iustitia p. 228 . . . . . 244*

Index analyticus Monumentorum

S. S. D. N. Pius Pp. XI. *Pag.*

2. Breve *Expositum*, de constitutionibus monialium a perpetua adoratione SS. Sacramenti (7 nov. 1927) 21
Annotatio 23
1. Litt. Enc. *Mortalium animos*, de vera religionis unitate fovenda (6 ian 1928). 1
Annotationes 11
60. Breve *Francisci Salesii*, approbans Const. Sororum a Visitatione (29 ian. 1928) 169
61. Epistola de laudibus conditorum Soc. Lugdunensis de missionibus Africanis (8 mart 1928). 171
38. Chirographum ad Em. Card. Vicarium Urbis de gymnica aihletica puellarum demonstratione in Urbe (2 maii 1928) 127
37. Litt. Enc. *Miserentissimus Redemptor*, de communi expiatione SS. Cordi Iesu debita (6 maii 1928) 97
Precatio piacularis ad SS. Cor Iesu, in variis linguis 109
Annotationes: Schema et ordo. — Documenta pietati fidelium proposita. — Praescripta cum indulgentiis. — Fructus sperandi ex litteris encyclicis earumque praescriptis. — Notabilia addenda. 117
62. Epistola ad Rev.m Ministrum Generalem Fr. Min. Capulatorum, 4⁰ exeunte saeculo a condito Ordine (23 iun. 1928) 173
63. Epistola ad Episcopos Lithuaniae, varia suadens ad excitandum in populo christianae vitae usum (1 aug. 1928). 175
Annotationes 179
64. Nuntium ad Sinensem populum (1 aug 1928). 180
Annotationes 181
65. Epistola ad Em. Archiep. Mechliniensium de Antverpiensi Conventu consociationis iuvenili pro Actione Catholica (15 aug. 1928) 182
Annotationes 185
59. Litt. enc. *Rerum Orientalium*, de promovendis studiis rerum Orientalium (8 sept. 1928) 157
Annotationes 167
66. Motu Proprio *Quod maxime*, de Pontificiis Institutis Biblico et Orientali cum Athenaeo Gregoriano consociandis (30 sept. 1928) 186
Annotationes seu *Commentarium* 225
86. Epistola *Quae Nobis*, de communibus Actionis Catholicae principiis et fundamentis (13 nov. 1928) 223
Annotationes 236

Acta summatim relata.

74. **Benedictus XV.** Bulla *Suprema*, dismembrans archid. Guatemalensem (27 iul. 1927). 204

SS. D. N. Pius Pp. XI.

9. Litterae de ecclesiis (7. 18. 22 aug. 1927). 45
30. A. Litterae de Ordine equestri S. Sepulchri (6 ian 1928) 86
B. Litterae de Vicariatibus et Praefecturis Apostolicis (15. 15. 15. dec. 1927). 86
49. A. Rata habetur concordia inter Ep. Augustae Praetoriae et canonicos collegiatae, de nominatione canonicorum. Breve *Exigit*. (12 ian. 1928). . 149
B. Epistola de sexcentesimo anno ab obitu viri apostolici Fr. Ioannis a Monte Corvino, ad Min. Gen. Fr. Min. (20 maii 1928) 149

Pag.

75. A. Litterae de dioecesibus (28 mart. 1 maii 1928). 204
B. Litterae de missione, Praefecturis, Vicariatibus Apostolicis (27. 28. 28. 28 mart. 1928) 204
C. Litterae de Delegatione Apostolica (7 mart. 1928). 205
D. Litterae de approbatione Constitutionum (30 mart. 1928) 205
E. Litterae de ecclesiis (7 mart. 3. 25 apr., 6 maii, 7 febr. 1928. . . . 205
89. A. Litterae de Praefecturis et Missionibus (14. 15. 19 iun; 9. 9 iul. 1928).
B. Bulla *Valde decet* confirmatur seu erigitur capitulum Abbatiale *nullius* seu Nonantulanum (29 iun. 1928) 249
C. 1. Brevi *Decimo sexto* confirmantur Constitutiones canonissarum regularium S. Augustini Congr. a Domina Nostra (25 Nov. 1926). . . . 249
2. Brevi *Mirabili plane*, approbantur Constitutiones Missionariorum Oblatorum B. M. V. Imm. (21 maii 1928) 249
D. Brevi *Ad Sancti Dominici*, indulgentia conceditur recitantibus coronam B. M. V. coram Sanctissimo (4 sept. 1927) remissive 250
E. Epistola ad Episcopos Stat Foeder. Americae Septentrionalis agit de incrementis catholicae Universitatis studiorum Washingtoniensis promovendis (10 oct. 1928) 250
F. Litterae de Basilicis (21 maii, 10 iul. 1928) 250

S. C. S. Officii

3. Decretum libros proscribens (13 ian. 1928) 23
16. Competentia in causis matrimonialibus mixtis (18-26 ian. 1928) . . . 53
Annotationes 54
17. Decretum proscribens opus (1-2 febr. 1928). 57
Annotatio 57
18. Repraesentatio Spiritus Sancti sub forma humana (16 mart. 1928) . . . 58
Annotationes 58
19. Consociatio vulgo « Amici Israel » aboletur (25 mart. 1928) 62
Annotationes 63
Acta summatim relata.
76. Damnatio operum (30 iun. 1928) 205
29. De titulo « Virgo Sacerdos ». 85

S. C. Consistorialis.

Acta summatim relata.
10. 1. Ordinarii pro appellatione (12 dec. 1927, 4. 18 ian. 1928) 45
2. Immutatio finium dioecesium (31 dec. 1927) 46
31. 1. Ordinarii pro appellatione (17. 24 ian. 1928) 86
2. Denominatio dioecesis (27 ian. 1928) 87
50. 1. Hamiltoniensis. Translatio eccl. cathed. (29 apr. 1927) 149
2. Boianensis ecclesia erigitur concathedralis ad honorem (11 nov. 1927) . 149
3. Dismembratio et unio (16 mart. 1928) 150
4. Iurisdictio in vicum Torrazza (10 maii 1928) 150
77. A. Ordinarii pro appellatione (28 maii 1928) 206
B. Titulus et privilegia archiepiscopi « ad personam » (29 maii 1928) . . 206
C. Immutatio finium dioeceseos (23 mart. 1928). 206
90. Ordinarii pro appellatione (13 oct. 1928) 250

S. C. pro Eccl. Orientali.

7. Decretum de monasterio O. S. B. « Amay-sur-Meuse » (4 iul. 1927) *Annotatio* 36
22. Conventus Episcoporum Armenorum in Urbe habendus (25 febr. 1928). . 71

23. Monitum praecavens abusus mendicantium 72
39. Declaratio de vi pro Orientalibus decretorum S. Officii de libris et diariis (26 maii 1928) 130
Annotationes 131
N. B. De loco S. C. pro Eccl. Or. inter Congregationes 131
Acta summatim relata.
33. Extensio iurisd. Delegati Apostolici (6 mart. 1928) 87
51. Cessat visitatio patriarchatus Armenorum (16 apr. 1928) 150
57. Notandum. Quaestuantes sine licentia 152
78. A. Documenta ecclesiastica pro Russia (13 iul. 1928) 206
B. Innovatio archidioecesis 206

S. C. Concilii.

40. Apuana. De iure funerum in coemeterio municipali (Resolutio 12-20 nov. 1927) 131
Annotationes 136
41. Prohibitio diarii; declarata excommunicatio. 138
Annotationes 138
67. De Sepultura exuviarum in ecclesia. (Resolutio 10-13 dec. 1927) . . . 191
Animadversiones Secretarii 192
Annotationes 196
68. De Delegatione ad benedicendum numisma (Responsum 9 febr. 1928) . . 196
Annotatio 197

S. C. de Sacramentis.

4. Confessio et communio fidelium ubi communio defertur ad infirmos (5 ian. 1928) 24
Annotationes Secretarii 25
Annotationes privatae 26
5. Iudex rationabilis causae deferendi occulto SS. Eucharistiam ad infirmos (5 ian. 1928) 27
Annotationes Secretarii 28
Annotationes privatae 30
42. Rescriptum de missa nocturna (ex aud. SS. 5 mart. 1928). 139
87. Responsum de exercitiis spiritualibus ante ordinationem (2 maii 1928) . . 240
Animadversiones Secretarii 241
Annotationes privatae 243

S. C. de Religiosis.

Acta summatim relata.
52. Approbationes Institut. et Constitutionum (4. 4 apr. 13. 13 maii 1928) . . 150
79. Facultas sanationum Tert. Ord. Cappuc., (23 iul. 1928) 206

S. C. de Semin. et Studiorum Universitatibus.

47. De laurea iuris can. non praemisso curriculo Philos. Sehol. (Declaratio 11 apr. 1928) *Annotatio* 146

S. C. de Propaganda Fide

43. Responsa de privilegiis piae unionis cleri pro missionibus (28 mart. 1927). 139
Annotationes 140
44. Monita de Pauperum et religiosorum inscriptione (sine die 1928). *Annotationes* 143
69. Declaratio de relatione inter Pont. opus a Prop. Fidei et Instituta religiosa Missionalia (9 iul. 1928). *Annotatio* 197
Acta summatim relata.

Pag.

80. A. Ordinarii pro appellatione (3. 14 maii, 12 iun, 15 iul. 1928). 207
B. Nominatio Secretarii Operis Prop. Fidei (27 iun. 1928) 207

S. C. Rituum.

20. De Missis pro populo (12 nov. 1927) 64
Animadversiones Secretarii 65
Annotatio 68
6. Privilegium Missae votivae de SS. Corde Iesu, societati sacerd. saecul. « Omnia pro Iesu » concessum (9 dec. 1927.) *Annotationes* 34
21. De oratione SS. Sacramenti in Missa (11 ian. 1928) 68
Annotationes 69
45. S. Hieron. Aem. patronus orphanorum et derelictae iuventae (14 mart. 1928). 144
46. S. Teresia a Iesu infante, patrona aeque principalis missionum (14 mart. 1928). Annotatio 145
70. De oratione Sanctissimi in Missa Sabbati Sancti (8 iun. 1928). *Annotationes*. 199

Acta summatim relata.

11. Causae Beatificationis et Canonizationis (21 dec. 1927). 46
32. Causae Beatificationis et Canonizationis (6 ian. 26 febr. 14 mart. 1928). . 87
53. A 1. Officium, Missa, elogium S. Teresiae a Iesu Infante 151
B. Beatificationes et Canonizationes (14-19 mart. 1928) 207
81. A. Causae beatificationis et canonizationis (16. 16 mai, 18 iul. 15. 15. aug. 1928) 207
B. Approbatio Officii S. Ioannis Eudes 208

S. C. Paenitentiaria Apostolica.

25. De indulgentia coronae recitatae coram Sanctissimo (13 mart. 1928). *Annotationes* 74
27. De « Action Française » Declaratio (11 oct. 1927) 80
48. Indulgentiae actus reparationis S. S. Cordi Iesu (1 iun. 1928). . . . 147
88. Decretum contra absolventes adhaerentes « Action Française » (10 nov. 1928) 246

S. Romana Rota.

Acta summatim relata.

12. Causae actae 1927 46

Pontif. Commissio Interp. Codici.

8. Dubia de confessione religiosarum — De casibus occultis pro disp. ex c. 1045 § 3. De foro absolutionis in periculo mortis — De subdelegatione ad assistendum matrimoniis. (Responsa 28 dec. 1927). 37
Annotationes 38
26. De forma matrimonii (1098) et assistentia mistis matrimoniis (10 mart 1928) *Annotationes* 76

Pont. Commissio pro Russia.

Acta summatim relata . . . . . .
91. Erectio Ordinariatus Harbinensis in Sinis (20 maii 1928) 250

Vicariatus Urbis.

Acta summatim relata . . . . . .
56. De Ordinatione regiminis Consociationis S. Familiae (17 mart. 1928) . . 152

Em. Card. Arch. Parisiensis.

28. Practica ratio agendi cum obstinatis « Action Française » (Litterae 19 mart 1928). 81

Excell. Nuntius Apost. apud Regem Belgarum.

71. Litterae de vi universali declarationis 24 febr. 1927 (18 apr. 1928) *Annotationes* 200

Em. Arch. Mechliniensis.

72. Decretum de iurisdictione in confiniis (1928). *Annotationes* 202

Pag.

Em. Card. Coloniensis et Ill. Ep. Monaster.

73. Decretum opera quaedam prohibens (6 iul. 1928). *Annotatio* 203

Provisio Ecclesiarum.

13. Decretis S. Cong. Consistorialis 46
Decreto S. Congr. de Pro Fide 46
34. Decretis S. Congr. Consistorialis 87
Decreto S. C. pro Eccl. Orientali. 88
54. Decretis S. Congr. Consistorialis 151
Decreto S. Congr. de Prop. Fide 151
82. Decretis S. Congr. Consistorialis 208
Decretis S. Congr. de Prop. Fide. 208
92. Decretis S. Congr. Consistorialis 251

Nominatines.

14. Decretis S. Congr. de Prop. Fide 47
35. Brevibus Apostolicis. 88
Decretis S. Congr. de Prop. Fide 88
55. Brevibus Apostolicis 151
83. Brevibus Apostolicis. 209
Rescriptis S. Congr. de Prop. Fide 209
93. Decreto S. Cong Consistorialis 251
Decretis S. Cong. de Prop. Fide 251
Decreto Pont. Commissionis pro Russia 251

Necrologium.

15. 47
36. 88
58. 152
84. 209
94. 251

Bibliographia. . . . . . 48. 89. 153. 211.

Errata corrige 279

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

Quae monumenta *plene* exscripsimus, his *litteris italicis*, quae *summatim* relata sunt, hic litteris ordinariis indicantur.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
787		Concilium	Nicaenum II	59	
872-882		Epistola	Ioannis VIII	III*	
1202	29 nov.	Epistola	Innocentius III	21*	
1474	31 aug.	Bulla	Sixtus IV	231*	
1519	10 dec.	Breve	Leo X	»	
1545-1563		Decr. Tametsi	Conc. Trident.	55*, 78	
» »		S. XIV c. 7	» »	41	
» »		S. XXIII c. 13	» »	240*	
1552	22 oct.	Breve	Iulius III	226	
1561	19 aug.	Breve	Pius IV	»	
1571	21 iul.		S. Pius V	230*	
1578	7 maii	Bulla	Gregorius XIII	226	
1593	26 »	Decretum	Clemens VIII	62*	
1659		Decretum	S. C. de Prop. Fide	148*	
1662	7 aug.	Breve	Alexander VII	241	
1679	2 mart.	Decretum	S. C. S. Officii	36*	
1682	9 oct.	Litterae	S. C. Episc. et Regul.	241	
1690	7 dec.	Decretum	S. C. S. Officii	36*, 60	
1720		Concilium	Zamoscene Ruthenorum	96*	
1736		»	Montis Libani	98*	
1743	24 dec.	Litt. Enc.	Benedictus XIV	95*	
1745	1 oct.	Litterae	» »	60	
1770	18 iun.	Responsum	S. C. Concilii	137*	
1771	26 ian.	Responsum	» »	»	
1790		Concilium	Melchitarum	96*	
1794	28 aug.	Bulla	Pius VI	60	
1817	6 iul.	Responsum	S. C. S. Officii	78	
1819	18 sept.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	148*	
1824	17 maii	Breve	Leo XII	226	
1827	2 iul.	Responsum	S. C. S. Officii	78	
1830	17 nov.	Decretum	» »	153*	
1841	30 apr.	Litterae	Graegorius XVI	179*	
1848	18 iul.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	148*	
1853	5 »	»	S. C. S. Officii	153*	
1860	7 apr.	»	S. C. de Prop. Fide	148*	
1863	1 iul.	Responsum	S. C. S. Officii	78	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1865	20 mart.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	148*	
1862	21 »	»	S. C. S. Officii	»	
1866	6-7 aug.	»	S. C. de Prop. Fide	»	
1868	25 apr.	»	» » » »	»	
1872	18 dec.	»	S. C. S. Officii	153*	
1875	24 nov.	»	» »	148*	
1876	16 aug.	Breve	Pius IX	226	
1883	18 oct.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	148*	
1888		Concilium	Sciarfense Syrorum	97*	
1891		»	Ruthenorum Lespolense	96*	
1893	2 sept.	Litt. Enc.	Leo XIII	147*	
1894	30 nov.	Bulla	» »	91*	
1895	14 mart.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	148*	
1896	3 febr.	Responsum	S. C. Rituum	224*	
»	22 maii	»	» »	223*	
»	28 »	Instructio	S. C. Episc. et Regul.	147*	
»	10 iun.	Decretum	S. C. S. Officii	153*	
»	17 iul.	Responsum	S. C. Rituum	225*	
»	21 »	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	148*	
»	29 »	Breve	Leo XIII	226	
1898		Concilium	Alexandriuum Coptorum	98*	
1900		Concilium III	Alba Iuliensis et Fogarien.	97*	
1905	15 apr.	Litt. Enc.	Pius X	147*	
1907	2 aug.	Decretum	S. C. Concilii	55*, 77, 178*	
1910	12-13 mart.	Responsum	S. C. de Sacramentis	78	
1911	1 ian.	Decretum	S. C. de Religiosis	148*	
1912	1 febr.	Responsum	» » »	150*	
»	21 iun.	Decretum	S. C. S. Officii	80	
»	21-23 iun.	»	» »	178*	
»	20-23 dec.	Responsa	S. C. de Sacramentis	31	
1916	31 ian.	Responsum	» » »	79	
1917	1 maii	Motu Proprio	Benedictus XV	228	
»	15 oct.	Litterae	» »	228, 230	
1919	15 iul.	Responsum	S. C. de Religiosis	150*	
1919	*8 dec.*	*Epistola*	*S. C. de Prop. Fide*	*68**	
1920	25 sept.	Litterae	Benedictus XV	230	
»	24 nov.	Responsum	Comm. Cod. interp.	39	
1921	1 mart.	»	» » »	43	
»	27 iul.	Bulla	Benedictus XV	204	**74**
»	3 nov.	Instructio	S. C. de Religiosis	83*	
1922	14 ian.	Responsum	S. C. Concilii	170*	
»	23 iun.	Decretum	S. C. de Seminariis	226	
»	14 oct.	Litterae	Pius Pp. XI	228, 230	
»	12 nov.	Declaratio	Comm. Cod. interp.	49*	
1923	26 ian.	Litt. Enc.	Pius Pp. XI	200*	
1924	1 febr.	Decretum	S. C. de Religiosis	88*	
»	20 oct.	Motu Proprio	Pius Pp. XI	226	
»	6 nov.	Rescriptum	S. C. S. Officii	159*	
1925	8 apr.	Responsum	» »	54	
»	11 dec.	Litt. Enc.	Pius Pp. XI	123	
1926	28 febr.	» »	» » »	128*	
»	27 apr.	Responsum	S. C. Rituum	123	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1926	25 nov.	Breve	Pius Pp. XI	250	89 C
1927	24 febr.	Declaratio	» » »	201	
1927	*28 mart.*	*Responsa*	*S. C. de Prop. Fide*	*140*	**43**
1927	27 apr.	Instructio	S. C. Rituum	69, 199	
»	27-29 apr.	Responsum	S. C. de Seminariis	147	
»	29 apr.	Decretum	S. C. Consist.	149	50 1
1927	*4 iul.*	*Decretum*	*S. C. pro Eccl. Orient.*	*36*	**7**
1927	8 iul.	Resolutio	S. C. S. Officii	15	
»	7 aug.	Breve	Pius Pp. XI	45	**9**
»	18 »	»	» » »	»	»
»	22 »	»	» » »	»	»
»	4 sept.	»	» » »	250	**90** D
1927	*11 oct.*	*Declaratio*	*S. Paenit. Ap.*	*80*	**27**
»	*7 nov.*	*Breve*	*Pius Pp. XI*	*21*	**2**
»	*11* »	*Decretum*	*S. C. Consist.*	*149*	50 2
»	*12* »	*Resolutio*	*S. C. Concilii*	*64*	**20**
»	*12-20 nov.*	»	» »	*131*	**40**
»	*9 dec.*	*Indultum*	*S. C. Rituum*	*34*	**6**
»	*10-13 dec.*	*Resolutio*	*S. C. Concilii*	*191*	**67**
1927	12 dec.	Rescriptum	S. C. Consist.	45	10 1
1927	*14 dec.*	*Decretum*	*S. C. Rituum*	*145*	45
1927	15 dec.	Breve	Pius Pp. XI	86	30 B 1
»	» »	»	» » »	»	» » 2
»	» »	»	» » »	»	» » 3
»	» »	»	» » »	»	» » 4
»	21 »	Decretum	S. C. Rituum	46	11 1
»	» »	»	» »	»	» 2
1927	*28 dec.*	*Responsa*	*Comm. Cod. Interp.*	*37*	**8**
1927	31 dec.	Decretum	S. C. Consist.	46	10 2
1928		*Monitum*	*S. C. pro Eccl. Orient.*	*72*	**23**
»		*Notificatio*	*S. C. Concilii*	*138*	**41**
»		*Monita*	*S. C. de Prop. Fide*	*143*	**44**
»		*Decretum*	*Em. Arch. Mechiliniensis*	*202*	**72**
1928	4 ian.	Rescripta	S. C. Consist.	45	10 1
1928	*5 ian.*	*Decretum*	*S. C. de Sacramentis*	*24*	**4** I
»	» »	»	» » »	*27*	**5** II
»	*6* »	*Litt. Enc.*	*Pius Pp. XI*	*1*	**1**
1928	6 ian.	Breve	Pius Pp. XI	86	30 A
»	» »	Decretum	S. C. Rituum	87	32 1
1928	*11 ian.*	*Resolutio*	*S. C. Rituum*	*68*	**21**
»	*12* »	*Breve*	*Pius Pp. XI*	*149*	**49** A
»	*13* »	*Decretum*	*S. C. S. Officii*	*23*	**3**
1928	17-24 ian.	Rescripta	S. C. Consist.	86	31 1
»	18 ian.	Rescriptum	» »	46	10 1
1928	*18-26 ian.*	*Responsa*	*S. C. S. Officii*	*53*	**16**
1928	27 ian.	Decretum	S. C. Consist.	87	31 2
1928	*29 ian.*	*Breve*	*Pius Pp. XI*	*169*	**60**
»	*1-2 febr.*	*Decretum*	*S. C. S. Officii*	*57*	**17**
»	*1 febr.*	*Declaratio*	*S. C. de Prop. Fide*	*73*	**24**
1928	7 febr.	Breve	Pius Pp. XI	205	**75** E
1928	*9 febr.*	*Responsum*	*S. C. Concilii*	*196*	**68**
»	25 »	*Decretum*	*S. C. pro Eccl. Orient.*	*71*	**22**

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1928	26 febr.	Decretum	S. C. Rituum	87	32 2
1928	*5 mart.*	*Rescriptum*	*S. C. de Sacramentis*	*139*	42
1928	6 mart.	Litterae	S. C. pro Eccl. Orient.	87	33
»	7 »	Breve	Pius Pp. XI	205	75 C
»	» »	»	» » »	»	» E
1928	*8 mart.*	*Epistola*	*Pius Pp. XI*	*171*	61
»	*10* »	*Responsa*	*Comm. Cod. interp.*	*76*	26
»	*13* »	*Responsio*	*S. Paenit. Ap.*	*74*	25
1928	14 mart	Decretum	S. C. Rituum	87	32 3
1928	*14 mart.*	*Decretum*	*S. C. Rituum*	*144*	45
1928	14 mart.	Decreta	S. C. Rituum	151	53 A
»	» »	»	» »	»	» B
1928	*16 mart.*	*Responsum*	*S. C. S. Officii*	*58*	18
1928	16 mart.	Decretum	S. C. Consist.	150	50 3
1928	*19 mart.*	*Litterae*	*Em. Card. Arch. Paris.*	*81*	28
1928	19 mart.	Decretum	S. C. Rituum	151	53 B 3
»	23 »	»	S. C. Consist.	206	77 C
1928	*25 mart.*	*Decretum*	*S. C. S. Officii*	*62*	19
1928	27 mart.	Breve	Pius Pp. XI	204	75 B 1
»	28 »	Bulla	» » »	»	» A 2
»	» »	Breve	» » »	»	» B 2
»	» »	»	» » »	»	» B 3
»	» »	»	» » »	205	» B 4
»	30 »	»	» » »	»	» D
»	3 apr.	»	» » »	»	» E
»	4 »	Decretum	S. C. de Religiosis	150	52
1928	*11 apr.*	*Declaratio*	*S. C. de Seminariis*	*146*	47
1928	16 apr.	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	150	51
1928	*18 apr.*	*Litterae*	*Nunt. Ap. apud regem Belg.*	*200*	71
1928	25 apr.	Breve	Pius Pp. XI	205	75 E
»	1 maii	Bulla	» » »	204	» A 1
1928	*2 maii*	*Chirographus*	*Pius Pp. XI*	*127*	38
»	» »	*Responsum*	*S. C. de Sacramentis*	*240*	87
1928	3 maii	Decretum	S. C. de Propaganda Fide	207	80 A
»	6 »	Breve	Pius Pp. XI	205	75 E
1928	*8 maii*	*Litt. Enc.*	*Pius Pp. XI*	*97*	37
1928	9 maii	Decretum	S. C. Rituum	208	81 B
»	10 »	»	S. C. Consist.	150	50 4
»	13 »	»	S. C. de Religiosis	»	52
»	14 »	»	S. C. de Prop. Fide	207	80 A
»	16 »	»	S. C. Rituum	»	81 A 4
»	» »	Rescriptum	» »	208	» A 5
1928	*20 maii*	*Epistola*	*Pius Pp. XI*	*149*	49 B
1928	20 maii	Decretum	Comm. pro Russia	250	91 1
»	21 »	Breve	Pius Pp. XI	»	89 C 2
»	» »	»	» » »	»	» E 1
1928	*26 maii*	*Declaratio*	*S. C. pro Eccl. Orient.*	*130*	39
1928	28 maii	Decretum	S. C. Consist.	206	77 A
»	29 »	»	» »	»	» B
»	31 »	»	Comm. pro Russia	251	91 2
»	1 iun.	Indultum	Pius Pp. XI	123	

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1928	*1 iun.*	*Decretum*	*S. Paenit. Ap.*	*147*	**48**
»	*8* »	*Responsum*	*S. C. Rituum*	*199*	**70**
1928	12 iun.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	207	**80** A
1928	*14 iun.*	*Epistola*	*Pius Pp. XI*	*175*	**63**
1928	14 iun.	Breve	Pius Pp. XI	249	**89** A 1
»	15 »	»	» » »	»	» A 2
»	19 »	»	» » »	»	» A 3
1928	*23 iun.*	*Epistola*	*Pius Pp. XI*	*173*	**62**
1928	23 iun.	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	206	**78** B
»	29 »	Bulla	Pius Pp. XI	250	**89** B
»	30 »	Responsum	S. C. S. Officii	205	**76**
»	5 iul.	Decretum	S. C. de Prop. Fide	207	**80** A
1928	*6 iul.*	*Decretum*	*Em. Arch. Coloniensis*	*203*	**73**
»	*9* »	*Declaratio*	*S. C. de Prop. Fide*	*197*	**69**
1928	9 iul.	Breve	Pius Pp. XI	249	**89** A 4
»	10 »	»	» » »	250	» E 2
»	» »	»	» » »	»	» A 5
»	13 »	Decretum	S. C. pro Eccl. Orient.	206	**78** A
»	18 »	»	S. C. Rituum	207	**81** A 1
»	23 »	»	S. C. de Religiosis	206	**79**
1928	*1 aug.*	*Nuncium*	*Pius Pp. XI*	*180*	**64**
»	*15* »	*Epistola*	» » »	*182*	**65**
1928	15 aug.	Decretum	S. C. Rituum	207	**81** A 2
»	» »	»	» »	»	» A 3
1928	*8 sept.*	*Litt. Encycl.*	*Pius Pp. XI*	*157, 228, 230*	**59**
»	*30* »	*Motu Proprio*	» » »	*186*	**66**
»	*10 nov.*	*Decretum*	*S. Paenit. Ap.*	*246*	**88**
»	*13* »	*Epistola*	*Pius Pp. XI*	233	**86**

INDEX ONOMASTICUS

Numeri seriem paginarum indicant asteriscus paginas prioris Pariis significat.

B. Achatangelus a Vendosimo, O. Min. Cap. martyr, 174.

Acta Pontificii Operis a Propagatione Fidei, 143 nota.

Adrianus II, honestans Slavorum Apostolos, 158.

Aertnijs, C. SS. R. - **Damen,** C. SS. R. Opus, 211.

d'Aguessau, de valore, 2*.

Alberti. De sepulcro canonice erecto, vel non, 135.

Albizi (Card.) de disparitate cultus, 175*.

Alexander IV. Privilegia abbatibus concessa, 230*. 231*.

Alexander VIII. De imagine Dei Patris. 60. - propositiones proscribens, 36*.

S. Alphonsus, C. SS. R. De absolutione in dubio, 63*. 64*. De metu, 141*. De foro quo actus sint nulli, 174*. De imperfectione, 197*. De virtute ordinandorum, 232*. 235*.

d'Ambroise, F. M. Conv. De lege ital. eximente clericos a servitio mil. 149*. 150*.

Ami du Clergé, 85.

Analecta Ord. Min. Cappucc., 207.

S. **Andreae Avellini** votum, 218*.

M. **Andrieu,** Immixtio et Consecratio, 95* nota.

Annuaire de l'Université cath. de Louvain (1920-1926). Opus, 48.

S. **Anselmus,** O. S. B. De Oriente sollicitus, 158.

Kirchlicher Anzeiger für die Erzdiözese Köln, 203.

G. Arendt, S. I. De validitate praesumpta baptismi, matrimonii, (can. 1070 § 2), 155*. 159*. De invaliaa assistentia parochi matr. mixtis, 175*-186*. Opus, 183* nota. - De occultis impedimentis, 43. - De excl. competentia S. Officii in matr. mixtis, opus, 56.

Jos. Arendt, S. I. Opus, 89. 154.

Andreas Arnou. De lucro immoderato, 1*-17*.

S. **Augustinus.** De praesenti nostra libertate, 205*. De necessitate gratiae seu vocationis, 212*. De tribus viris qui apparuerunt Abrahae, 61.

Rogerius, Bacon, O. F. M., Orientis studiosus, 159.

Ballerini, S. I. De metu, 140*. 142*. De obligatione regularum, 213*. De virtute ordinandorum, 238*. 240*.

Barbosa. De dubio defectu sollemnitatis, 170*.

Barin. Calendarium oratoriorum. 223*-225*.

James Strachey Barnes. Opus, 49.

Battandier. De pecunia conferenda arcae Instituti, 86*.

Battifol. Colloquia Mechliniensia, 16 nota.

B. Bellarminus, S. I. illustrans cathedram controversiarum, 188.

De Bellevue. De re-sacramento, 20*.

Benedictus XIV. Concelebratio apud Italo-Graecos, 95*. Actio Confessarii cum ordinandis, 241*. Normae in privata ss. eucharistiae delatione servandae, 29. - De repraesentatione Spir. Sti et SS. Trinitatis, 60-62. Obligatio missae pro populo, 67. Prohibita, sine peculiari facultate, exhumatio etiam Servorum Dei, 193.

Benedictus XV. De Vicariis generalibus et delegatis in missionibus, 70*. 71*. - auctor Instituti studiorum Orientalium, 161. 187. 230.

Berardi. De sepulcro canonice erecto vel non, 135.
Bessarione, Nicaenus. De unione cum Eccl. Rom. sollicitus, 158.
Besson, S. I. Necessitas activae assistentiae matrimonio, 184* nota.
L. Billot, S. I. De re-sacramento, 21*. 29*.
Billuart, O. P. De confessario urgente probaliorismum, 41*. - De reservatione, 60*. 63*. De intentione utendi libertate, 207*.
Bizzarri (Ill. D.). Opus, 48*.
Blat, O. P. Supputatio absentiae novicii, 81*. 82*.
S. **Bonaventura,** O. F. M., vocatus ad Conc. Lugdunense, 158.
S. **Franciscus Borgia** S. I. Initia Collegii Romani, 225. 226.
Boudinhon. Necessitas activae assistentiae parochi matrimonio, 184*.
Bourchany (Ill. D.). Opus, 217.
Melchior Marion de Brésillac, conditor sor. Lugdun. de missionibus Afric., 172.
F. E. Brigtmam. Opus de liturgiis, 103* nota.
Bulot, S. I. De virtute ordinandis necessaria, 239*.
Buscoducensis dioecesis. Iurisdictio in confiniis, 202.
Bute (Marquis of). De concelebratione Orientalium, 104*.
Bucceroni, S. I. De lege dubie irritante, 162*; de beneplacito Apostolico, 163* nota; de supplendo consultorum consensu, 169*; de voluntaria actuum nullitate, 171*; de foro quo actus sint nulli, 174*.
Calendarium oratoriorum, 224*.
Caietanus, O. P. De Paenitentia informi, 30*. De praecepto finis, 202*. 203*.
D.r **C. Callewaert.** Opus, 153.
F. M. Cappello, S. I. Opus, 50.
Cappello, S. I. De existimato periculo mortis. Absolutio, 62*. Absolutio in dubio, 65*. Invalida dispensatio a mixta religione, 181*. Usus privilegii Fidei, 242*. Subdelegatio pro matrimonio, 44. Obligatio missae pro populo, 67.
Angel Carbonnel. Opus, 89.
Jos. Cardyn. Opus, 154.
S. Carolus Borromaeus. Exerc. spir. ante ordinationes, 242.
Cassianus a Nannetibus, O. Min. Cap. martyr, 174.
V. Cathrein, S. I. De Imperfectione, 198*. 199*. 219*.
Giuseppe Cattani. Opus, 48. 218.
La Ciencia Tomista. 42* nota.
Cicero. Quisnam puer, 146*.
F. Cimetier, S. S. Opus, 49.
Clemens V. Decretum de cathedris lingu. Oriental., 159. 160.
Clemens VIII, C. *Sanctissimus.* 62*.
P. Coart Frésart. Opus, 215.
Cocchi. Absolutio in dubio, 65*.
Collationes Tornacenses. 199.
D.r **Mathaeus Conte,** O. M. Cap. Opus, 212.
Cornelisse, O. F. M. Virtus ordinandis nenessaria, 240*.
Cornely, S. I. In S. Paul. ad Cor. I., 204*.
Le Correspondant, 17 nota.
Celsus Costantini (Ill. D.), telegraphicum nuncium accipiens a S. Pontifice pro Sinis, 180-182.
P. Courcoural. Opus damnatum, 57.
J. Creusen, S. I. De matrimonio dubio ob dubium baptismum, 153*-159*. De invalida dispensatione a mixta religione, 181*. De necessaria activa assistentia parochi, 184* nota. Matrimonium coram solis testibus, 79.
Collectanea Mechliniensia. 200.
La Croix. 81 nota.
Arnaud d'Agnel. Opus, 217.
E. Daignault, declaratus excommunicatus, 138.
d'Annibale, Card. Absolutio in dubio, 63*. 64*. 142*. Actuum substantialia; sollemnitates, 160* nota. 163. Lex dubie irritans, 162*. Beneplacitum apostolicum, pro alienatione, 163* nota. - Perseverantia consensus, 166*. - Nullitas, valor collationis beneficii, 167* nota. De supplendo consultorum consensu, 169*. Quid in dubio defectu, 170*. In quonam foro nullitas, 173*. 174*. - De virtute ordinandorum, 233*. 239*.
Sosius d'Angelo. Opus, 48. 215. 216.

Gab. d'Annunzio. Opera etiam dramatica, etc. damnantur, 205.
Léon Daudet praefatus operi quod damnatur, 23.
F. De Cleyn, S. I. Opus, 219.
De Luca. Quinam praelati, 229*.
E. Dembour. Opus, 154.
Denifle, O. P. - Chatelain. Opus, 160 nota.
Pl. De Meester, O. S. B. De concelebratione in Eccl. Orient. 105* nota.
D.r **De Meester.** Opus, 213.
Hubertus de Romanis, O. P. De Oriente sollicitus, 159.
B. **Didacus a Gadibus,** O. Min. Cap., missionarius, 174.
La Documentation catholigae, 17 nota.
Robertus De Nobili, S. I. Eius methodus conversionis, 131*.
Giuseppe De Nardis (Ill. D.). Opus, 48.
De Roux. Opus damnatum, 23.
D.r **Dermine.** Opus, 214.
De Sentis. Opus, 193.
De Smet. De can. 1070 § 2, 155*. - De Matrimonio coram solis testibus, 79.
Dictionnaire de théologie catholique, 59.
P. Dom, S. I. Opus, 208.
Dubois (Card.). Litterae 19 mart. 1928, de *« Action Française », 81.*
K. du Bois, S. I. Opus, 218. 219.
Dudon, S. I. Tentamina acatholicorum de Ecclesiarum unitate, 14 nota.
L. Engelen. Opus, 218. 219.
Ephemerides Liturgicae, 17. 223*. 225*.
Ephemerides Theologicae Lovanienses, 198*. 213*. 215*.
Epitome iuris canonici, 245.
Hans Eppler. Opus, 212.
Die Erziehung der Jungen und Mädchen zur sittlichen Reinheit, 154.
Études, 14.
S. Ioannis Eudes. Missa, Elogium martyrologii approbantur, 208.
Fanfani, O. P. De lege ital. eximente a militia clericos 26 annorum, 149*. 150*. Opus, 50.
Farragia, O. S. A. De religione filiorum ex matr. mixtis, 177*. nota.
Ferraris O. F. M. Opus, 42. 192.
Ferreres, S. I. Calendarium oratoriorum, 224*. Virtus ordinandis necessaria, 239*.
S. **Fidelis a Sigmaringa,** O. Min. Cap. martyr, 174.
S. **Franciscus Salesius.** Litterae enc. de eo. 200*. - prudens director, 206*. - Conditor Sororum a Visitatione, 169-171.
Jakob Franz. Opus, 154.
Frassinetti, de virtute ordinandis necessaria, 239*.
Galtier, S. I. De ignorantia et errore in absolvente a specialissime reservata censura, 55*-68*.
Garrigou-Lagrange, O. P. De Imperfectione, 197* nota. - 199*. 203*. 207*. 214*. De motionibus divinis, 216*.
Gasparri (Card.). De absolutione data a confessario inferiore, 62*. De invalida dispensatione a mixta religione, 181* nota.
Obligatio litandi pro populo, 67.
Génicot-Salsmans, S. I. Dubium de causa absolvendi a censuris, 62*. Interruptio noviciatus, 84*. De Imperfectione, 197*. De virtute ordinandis necessaria, 241*.
Géniesse, contra mixta matrimonia, 180* nota.
Gennari (Card.). Confessarius iudicat de internis qualitatibus ordinandi, 231*. 239*. De canonica ratione sepulcri, 135.
Le Père Geny, S. I., 218.
Soziales Gesetzbuch, 154.
Michael Gierens, 212.
Gonzalès. De sanatione omissi consilii, 169* nota; de dubia omissione, 170*.
Gonzalves. De methodo convertendi primores Indicorum, 131*.
Gore. Colloquia Mechliniensia, 16 nota.
Dr. **Gracias,** De methodo convertendi primores Indicorum, 127*. 136*.
Gregorianum, 198*.
Gregorius X convocans S. Thomam et S. Bonaventuram ad Conc. Lugdunense, 158.
Gregorius XIII, benefactor Collegii Romani, 226.
Gregorius XVI. De assistentia matr. mixto

sine cautionibus, 179*; de Oriente sollicitus, 160.
Grumel Aug. Assompt., interpretans locum C. Nic. II. de imagine Dei, 59.
Geordes Guitton, S. I. Opus, 90.
Haegy, C. S. Spir. Calendarium oratoriosum, 224*.
Paul Halflants. Opus, 155.
Halifax (Lord). Colloquia Mechliniensia, 16, nota.
A. Haynal, O. P. De reviviscentia sacramentorum, 17*-19*.
R. Harnack, calumnians Probabilismum, 37*.
Heras, S. I. De methodo convertendi primores Indicorum, 130*.
Ém. Herbinière, C. S. Spir. Opus, 92.
E. Herman, S. I. De Enc. « Rerum Orientalium », 167. 168.
D.r **J.Hessen-Köln.** Opus damnatum, 203.
Hickey (Ill. D.), in ius raptus, 138.
S. **Hieronymus Aemilianus,** patronus universalis orphanorum et derelictae iuventae, 144. 145.
Emil. Hoenning O' Carroll. Opus, 89. 155. 216.
W. L. Hornsby, S. I. Opus, 216.
Hugon, O. P. De Paenitentia informi, 29*.
Huguenin, O. P. De Imperfectione, 198*. 199*. 216*.
Hürth, S. I. De Imperfectione, 198*. 219*.
Placidus Hülster, O. Cist. Opus, 153.
Iglesias, O. F. M. De Superiore missionum nominante vicarium delegatum, 70* nota.
S. **Ignatius de Loyola.** Initia Collegii Romani, 225. 226. - Fundator Exercitiorum spirit., 241. 242.
Index critico-litterarius pro Hispania, 116.
Innocentius XI damnans propositiones, 36*.
S. Ioanna Frémiot de Chantal ad actum heroïcum praeparata, 206*; fundans Ord. Visitationis, 169.
Ioannes, episc. Monasteriensis, librum prohibens, 203.
Ioannes a Corvino, O. M. Secularis commemoratio commendatur, 149.
Jone, O. M. Cap. De absolutione in periculo mortis, 42.
S. **Iosephus a Leonissa,** O. Min. Cap. missionarius, 174.
Iulius III. Gradus conferendi facultas facta Collegio Romano, 226.
Ius Pontificium, 43.
William Kea, S. I. Opus, 218.
Kelly, O. S. B., contra mixta matr. 180* nota.
Isidorus Kiovensis, fautor unionis cum Eccl. Rom., 158.
Knabenbauer, S. I. de 1 Praecepto, 201*.
Engel Krebs. Opus, 216.
H. Lamy (Rev.mus), O. Pr. Opus, 216.
D.r **J. Landrieu,** Opus, 214.
Henri Lanier, Opus, 49.
S. **Laurentius a Brundusio.** O. M. Cap. merita apud Echinadas insulas, 173. 174.
Laymann, S. I. De metu, 141*.
D.r **Ferd. Lefèvre,** O. Pr., Opus, 216.
Lehmkuhl, S. I. De can. 1070. - De Imperfectione, 198*. 207*. De minoris boni electione. 210* nota. De fricante barbam, 218*. De virtute ordinandorum, 238*. 240*. 241*. Obligatio missae pro populo, 67.
L. Lenfant (Ill. D.). Opus, 217.
Leo XII concedens collationem graduum Collegio Romano, 226.
Leo XIII. Improbat congressus religionum, 14. - Obligatio parochorum litandi pro populo, 66. - De SS. Corde Iesu, 98. 100. 120. De Oriente sollicitus. 161. - Benefactor Collegii Romani, 226.
Lessius, S. I. De metu, 141*.
Otto Lipmann. Opus (cum pluribus aliis), 91.
Lugo, Card. S. I. Absolutio in dubio, 63*. 64*. - De metu, 142*. - De utroque foro concordando, 174*. - Imperfectionis reatus, 195*. 218*. 219*. Negans obligationem ex inspiratione, 211*.
Raymundus Lullus, de Oriente sollicitus, 159.
Mainil. De Imperfectione, 198*. 207*.
G. Patricolo Maio. Opus, 215.
Maldonatus, S. I. De S. Matth. 22, 37 et loc. parall., 201*.

Many. Calendarium oratoriorum, 224*.
Marconi-O' Brien causa matrimonialis, 54.
Marcus ab Avione, O. Min. Cap. Merita apud Albam Regalem et Vindobonam, 173. 174.
Maria Magdalena ab Incarnatione, fundatrix « Sacramentine » 21. 22.
Marin-Sola, O. P. De re-sacramento et reviviscentia sacramentorum, 31*.
Cl. Marc, C. SS. R. - **Gestermann,** C. SS. R. Opus, 211.
Marsot. Opus, 213.
L. Martinucci. Opus, 85* nota.
Guil. Massaia (Card.), O. Min. Cap. Missionarius, 174.
Charles Maurras. Auctor conclusionis operis damnati, 23.
Georgius Matulewicius, clarissimus Lusitaniae praesul, 176.
Henri Mazeau. Opus, 92.
Menendez Reigada, O. P. De verbis Noldin, 42*.
I. B. M. Menghini, Opus, 95*.
Mercier (Card). Colloquia Mechliniensia, 16.
Merkelbach, O. P. Opus, 48. 89.
Mermicx. Opus damnatum, 23.
E. Mersch, S. I. Imperfectio et peccatum veniale, 186*-194*.
Micara (Ill. D.). Nuntius Belgii. Vis declar. circa diarium « Action Française », 200.
Molano. De historia imaginum, 60.
Molina, De metu, 141*. 143*.
Moniales, Vide Moniales a Perpetua adoratione seu « Sacramentione ».
Monitore ecclesiastico, 170*. 231*. 239*. 135.
E. de Moreau, S. I. Opus, 49.
Morgan Rees. De « trusts », 8*.
M. Mostaza, S. I. De Motu Proprio circa consociationem Athenaei Greg., Instituti Biblici et studiorum Orient., 225-232.
Natalis Alexander. De virtute ordinandorum, 232*.
Noldin vel **Noldin-Schmitz,** S. I. De usu probabilismi, 42*. - Dubium de causa absolvendi a reservato peccato, 62*. - Absolutio in dubio, 65*. - De metu, 142*. - De nullitate actuum, 173*. - De virtute ordinandis necessaria, 241.
Norma vitae sacerdotalis eucharistica, 216.
Ojetti, S. I. Calendarium oratoriorum, 224*. Quisnam Praelatus, 229*-231*. - Matrimonium coram solis testibus, 79.
Orientalia Christiana. 163.
Osservatore Romano, 17. 18 nota.
Ettore Paganuzzi. Opus, 91.
Paladini, C. M. De « Prayer Book ». 17.
P. Passerini, O. P. De Imperfectione, 195*. De electione minoris boni, 204*. 208. Obligatio inspirationis, 211*.
Gaston Pastre. Opus, 49.
Pauwels, S. I. Vinum pro Missa. 79*. Calendarium oratoriorum, 225*. - Oratio SS. et pro Episcopo in Missis, 69-71.
G. Payen, S. I. Opus, 213.
Pellizarius, S. I. negans obligationem ex inspiratione, 211*.
Pennacchi. De dominio rerum eccl., 163* nota.
Periodica de re morali, canonica. liturgica. Acta de « Action Française », 81-84. Passim.
Chr. Pesch, S. I. De loco C. Nicaeni II circa imagines Dei, 59.
Petra (Card.). Quisnam dominus bonorum eccl., 163* nota.
Petrucci. Opus, 193.
Pighi (Ill. D.). De virtute ordinandorum, 238*.
Piscetta Gennaro, S. Sal. Calendarium oratoriorum, 224*. Virtus ordinandis necessaria, 240*, nota.
D.r **Marius Pistocchi.** Opus, 153.
S. Pius V, concedens Superioribus potest. quasi-episcopalem, 231*.
Pius VI. Pro imaginibus SS. Trinitatis, 60.
Pius IX. De Oriente sollicitus, 161. Collationem graduum concedens Athenaeo Gregoriano, 226.
Pius X. De scholis religionis, 147*; - instituti Biblici conditor, 161. 187. 228.
SS. D. N. **Pius Pp. XI.** Obligatio sectandae sanctitatis, 200*. 201*.

Enc. *Mortalium*, 6 ian. 1928, de fovenda vera religionis unitate, 1-21. -
Enc. *Miserentissimus*, 8 mai 1928, de communi expiatione SS. Cordi Iesu debita, 97.-110. Summa cum annotationibus, 17-125. - Indulgentiae, 123. 124. -
Chirographum 2 maii 1928, de athletica puellarum demonstratione in Urbe, 127.
Enc. *Rerum Orientalium*, 8 sept. 1928, de promovendis studiis rerum Orientalium, 157-167. - Auctor Instituti Orientalium studiorum, 228. 230. -
Constitutiones Sororum a Visitatione approbans, 169-171. -
— Motu Proprio 30 sept. 1928 creat Pontificiam Universitatem studiorum, 186-191. 225-232. Instituit gradum Magistri aggregati in Athenaeo Gregoriano, 226, et cursum perfectioris latinitatis, 226. Probat Institutum culturae pro actione catholica, 226. 227. Confirmat privilegia Attenaei Gregoriani, 227.
Planiol. De extensione vis praesumptionis, 157*.
Augustinus Planque, conditor sor. Lugd. de missionibus, 172.
Paul Plau. Opus (cum pluribus aliis), 91.
Pompili (Card.) Ad eum directum chirographum, 127.
Portal. Colloquia Mechliniensia, 16.
Prümmer, O.P. De confessario absolvente sequentem minus probabilem sententiam, 41* nota - De metu, 142*. - De Imperfectione, 198*. 216*. 217*. 238*.
Theol. prakt. Quartalschrift (Linz), 42.
Ranwez, De Imperfectione, 148*. 207*. 213*. 215*.
D.r **Raymond.** De matrimonio subreptitio, 44*-47*.
Revue du clergé français, 148*.
Nouvelle Revue Théologique, 78* nota. 200. 201.
Revue Thomiste. 198*. 199* nota. 216*.
Richaud. Opus, 218.
Rutten, C. I. C. M. Opus, 218.
F. S. Opus, 214. De sollemnitatibus actuum, 160*-174*.
Nos Saints, nos Modèles, nos Sanctuaires. 319.
Salmanticenses. De Imperfectione, 196*. 217*. 218*. - De virtute ordinandorum, 238*.
Sanchez, S. I. Absolutio in dubio, 64*.
Sancti-Leitner. Appellatio a Vicario delegato ad Antistitem, 76*.
Schellinckx, M. S. C. De Imperfectione, 198*.
Schmalzgrueber, S. I. De Vicario Gen. 70* nota. - De metu, 141*. 143*.
K. Schulte (Card.) librum prohibens, 303.
La Sentinelle, proscriptum diarium, 138.
Serra, O. P. Opus, 77* nota. Origo potestatis Vicarii delegati, 77* nota.
Clemens Skalskij. De concelebratione Orientalium, 104*. 105* nota.
Smith. Opus, 136*.
Sole. Absolutio in dubio, 64*. 65*.
Suarez, S. I. Absolutio in dubio, 63*. - De metu, 140*. 141. - Num sanatur defectus consilii, 169* nota.
D.r **Alex Spesz.** Opus, 214.
Tanquerey. Virtus ordinandis necessaria, 241*.
de Tarde. De iusto pretio, 17*.
S. **Teresia a Iesu Infante** patrona aeque principalis missionariorum et missionum, 145. 146. - Approbatio Missae pro universa Ecclesia, 146. Elogium, Officium, Missa, 151.
Paulus Petrus XIII Terzian (Ill. D.) recuperat exercitium suae iurisdictionis, 150.
Theologia moralis generalis (Mechliniensis). De conscientia. Opus, 212.
S. Thomas, O. P. De notione habilitatis, 33* nota. - De auxilio quod virtus praebet veritati, 35*. - De disparitate cultus, 175*. - De sectanda perfectione, 200.*. 201*. 212*. 213*. 214* -
De dilectione inimicorum, 205*. 215*. - De dono vocationis, 206*. - De consiliis, 209*. - De virtute ordinandorum, 238*. - Vocatus ad Conc. Lugdunense, 158.
Tissier (Ill. D.). Opus, 216. 217.
Toletus (Card), S. I. Reatus omissionum, 196*. Quid sit ipsi praeceptum, 196* nota. Obligatio ex inspiratione, 211*.

Toso. In can. 368, 70*; de vicario de generali in Missionibus, 72*. - De facultatibus Vicarii generalis, 77* nota.
Charles Trevelyan, de conversione Indicorum, 135*.
D.r **Triebs.** De can. 1570 § 2, 155*.
Trombetta. De sanatione omissi consilii, 169* nota.
Turcan. Opus, 217.
Umberg, S. I. De reviviscentia sacramentorum, 17* ss.
Universe, 20.
Urbanus VIII destruens imaginem monstr. SS. Trin. 61.
Domenico Valle, S. I. Opus, 91.
Auguste Vallet. Opus, 92.
W. van Aalst, S. I. Opus, 218.
Van Dievoet, Opus, 50.
W. van Dijk, O. E. S. Aug. Opus, 216.
Van Durme, C. I. C. M. Opus, 218.
Van Roey (Card.). Colloquia Mechliniensia, 16. 17. Ei Nuntius scribit de diario « Action Française » 201. - Decretum de iurisd. in confiniis, 302.
Van Rossum (Card.), C. SS. R. Epistola de Vicariis Delegatis, 69*. - interpretans privilegia unionis cleri pro missionibus, 140. 141.
Varro. Quisnam puer, 146*.
Vermeersch, S. I. De iusto lucro, 13*. De permanentia Vicarii Delegati, 77* nota. De can. 1070 § 2, 155*. De decreto « Ne temere ». 184* nota. Opus de ss. Corde, 120 nota; 122 nota. - Opus, 216. Passim.
S. **Ioannes M. Vianney.** Elogium, Officium, Missa, 151.
La vie spirituelle. 198*.
S. **Vincentius a Paulo.** Exerc. spir. ante ordinationem, 242.
Voit, S. I. De virtute ordinandorum, 238*.
Voltas, C. M. F. Supputatio absentiae novicii, 81*. 82*.
O. von Nell-Breuning, S. I. Opus, 153. 154.
Franz von Streng. Opus, 90.
Vromant, C. I. C. M. De Vicario delegato, 68*-78*.
Ed. Wagner. De iusto lucro, 13*.
Wernz, S. I. Modus assistentiae parochi ad valorem, 183*. - Varia delegatio, 44.
Wernz-Vidal, S. I. De vicario generali, 72*; de can. 1070 § 2, 155*; de sanatione actuum, 167*; de invalida dispensatione a mixta religione, 180*. 181* nota. Usus privilegii Fidei, 242. De occultis casibus, 43. De matrimonio coram solis testibus, 79.
S. **Franciscus Xaverius,** Patronus missionum. Invocatio sufficiens ascriptioni Pont. Operi a Prop. Fidei, 143. 144. 146.
Xystus V laudans plures missionarios O. Min. Cap. 174.
Zeitschrift für Aszese und Mystik 198*. 219*.

MONUMENTORUM ET RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum.

Asteriscus paginas designat prioris Partis.

Linea interducta (—) = vocabulum in principio positum.

Absentia *novicii*. Supputatio, 80* ss. — in sola physica *Ordinarii* vel *parochi* absentia validae matrimonii formae sufficiunt duo testes, 77-80.

Absolutio censurae specialissime reservatae, 55*; in dubio mortis periculo, 62*; in dubio de reservatione, 60* ss.; in — in quonam foro tunc datur. 38. 41. 42. — post mortem, 42.

Facultas absolvendi censuras non continet facultatem absolvendi peccata ratione sui reservata, 246-248.

Acatholicus in iudicio ecclesiastico agere non potest, 53. 55.

« *Action Française* ». Opera damnata, 23. 57.

Declaratio S. Poenitentiariae de vigentibus declarationibus et praescriptis (11 oct. 1927), 80.

Practica ratio agendi cum obstinatis. Ordinatio collectiva Episcoporum Galliae, 81-84.

Ubique reservatur S. Pontifici danda licentia legendi « L' Action Française ». Facultas datur Episcopis Belgii et Galliae, 200. 201. Sanctiones contra confessarios qui obstinate adherentes « L'Action Française » absolverint, 246-248.

Actuum *nullitas*. 160*-164*; voluntaria, 171*; sanatio, 164*-172*.

In quo foro nulli, 172*-174*.

— omissio eligibilis, 189* nota.

Adoratio XL Hor. Oratio SS. 69. Sorores vulgo *Sacramentine* 21.

Adoratione *(Moniales a perpetua)*. De earum Constitutionibus, 21-23.

Aestimatio *communis* et valor, 4* ss.

Alienatio bonorum eccl. Requisita, 163*. 164*.

« **Amay sur Meuse** ». Monasterium O. S. B. Varia dubia soluta, 36. 37.

« **Amici Israel** », consociatio, aboletur, 62-64.

Annus noviciatus. Supputatio, 49*. Quid de secundo anno, 83*.

Antverpiensis conventus consociationis iuvenilis pro actione catholica. Epist. S. Pontificis 15 aug. 1928, 182-184.

Anxietas vitanda in sectanda perfectione, 204*.

Archiepiscopus. Titulus ad personam, 249.

Armenorum conventus in Urbe, 1928, 71. 72. — visitatio finitur. Patriarcha recuperat usum suae iurisdictionis, 150. — Sedes et titulus Archiep. Constantinopolitani Armenorum restituitur, 206.

Assistentia passiva matrimoniis, 179*. illicita sine cautionibus, an valida, 175*-186*. — ex subdelegatione, 38. 43. 44.

Baptisma dubium quod ad matrimonium, 153*-159*. Baptismi documenta pro Russia, mittenda Pont. commissioni pro Russia, 206.

Beatificationes et Canonizationes. Causae, 46. 87. 151. 207. Confirmati cultus, 46. 208.

Belgii iuventus catholica, Antverpiae congregata, epist. Pont. honestatur 183. 184.

— Episcopi facultatem habent permittendi lectionem Diarii « L' Action Française » 200. 201.

S. Benedicti Ordo. Abbatia *Amay sur Meuse*. 36. 37.

Benedictio numismatis a Moderatore Piae Unionis subdelegari potest, 196.

Benedictiones ubi dari possint, 140-142. Delegatio ad benedicendum numisma, data a Moderatore Piae Unionis, 196.

Beneficii *collatio* nulla, irritabilis, sanatio, 167* nota.

Beneplacitum *apostolicum*, pertinetne ad exteriorem formam tantum, 163* nota.

Biblica Commissio Pontificia ius servat conferendi gradus academicos, 190.

Biblicum Institutum. Origo, ratio creationis, fundatio, 161. 187. Consociatur cum Athenaeo Gregoriano; confirmatur eius immediata dependentia a S. Sede; iure omnes gradus conferendi donatur, 186-191. 227. 230-232.

Bona ecclesiastica. Dominium, 163*.

Bonum melius in genere et in individuo, 206*. Debetne intendi, eligi, 208*. 209*.

Bursa. Nundinationes, 8*.

Calendarium oratoriorum, 223*.

Canon 88 § 3, 146*; 199 § 1 et 2, 197; 247 § 3, 56; 466, 136*; 522, 37-41; 568, 144*; 882, 38. 41. 42; 1001, 240-245; 1045 § 3, 42. 43; 1070 § 1 eiusque opportunitas, 53*; 1070 § 2, 154* ss. 1098, 77-80; 1099 et 1002, 178*; 1205 § 2, 192-195; 1216, 133; 1230 § 7, 132-135. 137; 1373 § 1 et 1374, 145* ss.

Capitale. Ius capitalistae, 12*.

Capituli consensus, votum. Sanatio omissionis, 168*. 169*. 176* nota. — collegialis concordia cum Episcopo, approbata, 149.

Fratres Minores Cappuccini. Ordinis origo, laeta incrementa, promerita. SS. D. N. Pius Pp. XI laudat et hortatur, 173. 174.

Caritas universalis commendatur, 184.

Casus, De matrimonio subrepticio, 44*-47*; de iurisdictione Confessarii, 52*. 90*; de sacramento Ordinis, 92*. 151*; de reductione Missarum et recursu ad S. Sedem, 152*. 227*. Casus moralis de iustitia, 228*. 244*.

— Apostoli, 241*-243*.

— occultus pro dispensationibus matrim, 38. 42. 43.

Catholica actio in Lithuania commendatur, describitur; separanda a politicis rebus, distinguenda ab omni parte civili, 177-179; in Sinensi populo, 181; apud catholicam iuventutem Belgii, 183. 184. Communia principia et fundamenta, 233-240.

Finis istius actionis, 185.

Iuvatur Instituto culturae super. in Athenaeo Gregoriano, 190.

Cautiones omissae in matrimonio. Vis, 175*.

Censura specialissime reservata; absolutio, 55*.

Cleri recta institutio fovenda; necessaria virtus et doctrina, zelus, 176. 177.

Coemeterium municipale quod ad iura parochorum, 131-138. — Commune plurium paroeciarum, 137. Coemeteriorum aedicula, 194.

Communio in domo privata infirmi cui fertur ss. eucharistia, 24-26. Quid si in cubiculo infirmi, 27.

— infirmi ex facultate, permittendi sumptionem potus vel medicinae, mense nondum elapso, 226*.

Concelebratio eucharistica. Extra ordinationes, 93*-127*.

Concordia (concordatum) inter Episcopum et capitulum collegiatae, 149.

Concordiae hodierna cupiditas, 1; saltem inter christianos, 2. 3. Falsa et vera ratio, 3 ss.

Confessarius absolvens paenitentem sequentem minus probabilem sententiam, 41*. — Iurisdictio ex errore communi: in absolventem complicem; in Orientales, 52*. — ex ignorantia vel errore a censura specialissime reservato, 55*. Usus facultatum, 221*. 222*. 140-142. Eius partes cum canditatis sacrorum ordinum, 231*-241*.

Confessarius absolvens pertinaciter adhaerentes « Action Française », Sanctio, 246-248.
Confessio in domo privata dum ministratur ss. eucharistia, 24. 26.
Congregatio religiosa. Vide *Oblati B. M. V. Immaculatae: Sacramentine,* et Constitutiones approbatae.
Congressus religionum, 13. 14.
Consecratio Cordi Iesu commendata, 99.
Consilium an obligat, 195*. 215*. Natura, 206*. Obligatio consiliorum generalium, 208*.
Constitutiones religionum approbatae, 150. 169. 205. 250.
Consultorum *consensus*. Natura, 163* nota, 168* — *votum,* 168* et nota.
Contractuum nullitas, convalidatio, 166*.
Convalidatio, *vide* Sanatio.
Conventus de unione Ecclesiarum, 6. 12. 13. 14.
Vetita catholicis facta, 15 ss.
Conversio primorum Indicorum. Methodus 127*.
SS. Cor Iesu Missa votiva in prima Feria VI mensis, concessa sacerdotibus Unionis Apostolicae, 34. 35.
Communis expiatio ei debita, 97 ss. Solacium, opportunitas eius cultus, 98. 99. Consecratio commendata, 99. Quonam pacto nostri piaculares ritus Christum solari queant, 104. 105.
Festum cum octava, 107. 108.
Consecratio praescripta, 122-124.
Cor honoris causa ex corpore extrahi potest, non tamen in loco sacro asservari, 195.
Culturae superioris pro laicis Institutum, in Universitate Gregoriana, 190.
Delegatio pro communione et confessione in domo privata, 25. 26. — pro delatione ss. eucharistiae, 32. 33. — pro assistentia matrimoniis, 38. 46.
Delegatio unius, complurium, indeterminatae personae, 44.
Delegatio Apostolica, Litterae, 205.
Delegatus Apostolicus *Aegypti et Arabiae.* Iurisdictio extenditur, 87.
Deus non eligens optimum, 203*.
Dioeceses. Litterae Pontif. vel Decreta S. Congr. Consistor. Erectio, 251.
Dismembrat., 150. 204.
Divisio, 204.
Finium mutationes, 46. 206.
Restitutio, 204. 206.
Dispensatio invalida a mixta religione, 180*. — interpellationum, in casu Apostoli, 243*.
— matrimonialis in casibus occultis, 38. 42. 43.
Domus filiales apud religiosos, 88*.
Dubium de baptismo, in ordine ad matrimonium, 153*-159*; de vi irritante legis, 162*; de defectu sollemnitatis, 170*.
— *Absolutio* in dubio, 62* ss.
Ecclesia. Etiam exuviarum sepultura in ea prohibetur, 195. — Quid lato sensu in iure sit ecclesia 194. 196.
Ecclesiae. Litterae Pontificiae, 45. 205. 250.
Decreta S. Cong. Consistorialis, 149.
Ecclesiarum unio falsa, 4. 5; vera, 9. 10. — provisio, 46. 87. 151. 251.
Episcopus. Oratio pro Episcopo, recurrente die eius Consecrationis 70 nota.
Episcoporom *Belgii* facultas circa lectionem « Action Française », 200.
Episcoporum *Galliae* ordinatio collectiva de « Action Française », 81-84.
Concordia cum Capitulo, 149.
Laudatur qui sacerdotes in Urbem mittat pro disciplinis Orientalibus; harum elementa tradenda in Seminariis, 162. 163.
Error absolventis a censura specialissime reservata, 55*.
Eucharistiae privata delatio. Iudex causae, 27-34.
Normae Ben. XIV tunc servandae, 29.
Per se palam deferenda est aegrotis, 28.
Oratio Sanctissimi in Missa, 68-71.
Exclaustratio 50*.
Exercitia spiritualia ante ordinationes, 240-246.
Exhumatio per se prohibita, 195. 196.
Exsequiae. Ratio supplendi per alium Missae pro populo, 137*.
Expiationis Cordi Iesu offerendae necessi-

tas, 100 ss. Insufficientia sine Christo, 101; usus, 102. 103; vis consolatrix, 104. 105; praesens peculiaris necessitas, 105-107; hodierna studia, 107, praecepta sollemnitas, 107. 108.
Formulae, 109-117.
Enc. de expiatione debita SS. Cordi Iesu, 98-109. Schematica propositio et annotationes, 117-125.

Facultas 17 Formulae III S. C. de P. F., (de ieiunio ante communionem), 226*.

Facultatum legitimus usus, 221*. 222*. 140-142.

Facultatum *Confessarii* legitimus usus, 221*. 222*. 140. 142.

S. Familiae Nazarethanae *consociatio*. Nova regiminis ordinatio, 152.

Festum SS. Cordis Iesu, adauctum octava, 107. 108. Praescripta et indulg. 122-124.

Finis. Quatenus cadat sub praeceptum, 202*. « In fine non adhibetur aliqua mensura », 202*.

Forma *rescriptorum* varia, 48*. — rescripti saecularizationis, 51*.
— *matrimonii:* Ordinarius vel parochus non censetur absens nisi physice, 77-80.

Forum quo actus sint infirmi, 172*.-174*.
— in quo datur absolutio in periculo mortis, 38. 41. 42.

Funus. Ius in coemeterio municipali, 131.

Galliae Episcopi. Ordinatio collectiva Episcoporum, 81-84.

Gregoriana *Universitas* cum Biblico et Orientali Instituto consociatur, 186. Confirmantur eius iura et privilegia, 186-191. 225-232.

Hostiae pro Missa confectio, 226*.

Ianseniana pestis, 98.

Ignorantia absolventis a censura specialissime reservata, 55*.

Imagines cultui propositae, 59. 60. — SS. Trinitatis 60. 61. — crucifixi cum indulgentiis Viae Crucis, 140.

Impedimenta matrimonii. Dispensatio in casibus occultis, 38. 43. 44.

Imperfectio *et Peccatum veniale,* 186*-220*. Imperfectio quid, 194*. 195*.

Indicorum conversio qua ratione melius procuretur, 127*-136*.

Indulgentia coronae coram SS.mo recitatae, 250. Dubium. Interpretatio, 74-76. — festi SS. Cordis Iesu et precationis piacularis, 123. 124. 147. 148. — unionis cleri pro missionibus, 140-142. — Apostolicae a Delegatis tantum extra Urbem dari possunt, 41.

Infirmi ante mensem dispensati a ieiunio naturali, 226*.

Inimicorum dilectio, 205*. 215*.

Inspirationis obligatio, 211*.

Interpellationes in casu Apostoli, 241*-243*.

Italia. Applicatio decreti *Inter reliquas,* 148*-150*.

Italo-Graeci. Concelebratio, 95*.

Iuventutis institutio fovenda, cooperantibus parentibus et civitate, 175. 176.

Latina Ecclesia. Concelebratio sacramentalis extra ordinationes, hodie, 93* ss.; historice, 105* ss.

Leges *inhabilitantes, irritantes,* 161* ss. non retroactivae, 171*.

Libertas *divina, humana,* 203*. 205*. Usus libertatis estne motivum honestum, 207*.

Libri vel diaria *proscripta,* 23. 205.. a S. C. *Concilii,* 131. 138. ab Episcopo, 203. — a S. Officio vetantur etiam Orientalibus, 130.

Licitatio publica estne ad valorem requisita, 164*.

Lithuania. SS. D. N. Pii Pp. XI epist. 14 iun. 1928, ad Episcopos, varia commendans et de actione catholica disserens, 175-178.

Locus pro confessione religiosarum, 37. 39. Quid in casu necessitatis, 41. Loci patronus quod ad missam pro populo, 67. — sacer venit nomine ecclesiae, lato sensu, 194.

Lucrum *immoderatum.* Definitio, 2*.-17*, passim. Leges contrariae, 2*. 3*. Collegia ad moderandum lucrum, 13*. 16*.

Lugdunensis soc. de Missionibus Africanis conditores laudantur, 171. 172.

B. Maria Virgo, non appellanda *Virgo-Sacerdos* 85. — est reparatrix et mediatrix, 108.

Matrimonium. Res-sacramentum, 19*. — subrepticium: casus, 31*. — dubium baptisma, 153*-159*. Praesumpta validitas, 155*. Sanatio, 166* nota; 167*.

— Subdelegatio pro assistentia, 38. 43. 44.

— coram solis testibus requirit physicam Ordinarii seu parochi absentiam, 77-80.

— *mixtum.* Assistentia an semper valida, 175*.-187*. Malum, 175*. 177*. — Competentia S. Officii in causis matr. mixtis, 53-56.

— Dispensatio in casibus occultis. 38. 42. 43.

Assistentia passiva matrimoniis prohibita, 77. 79.

Mechliniensia Colloquia, 16. 17. 20.

Mechliniensis dioecesis. Iurisdictio in confiniis, 202.

Mendicantium, quasi Orientalium, abusus, 72. 73. 152.

Metus excusans ab obligationibus, ab intrinseco, ab extrinseco, 138*-144*.

Militare servitium clericorum et religiosorum in Italia, 148*-150*.

Missa pro populo, 136*. Quid si quis regit paroecias quorum patroni sunt diversi, 64-68.

Missarum reductio, 152*. 227*.

Confectio hostiae pro Missa, 226*.

— votiva SS. Cordis permissa sacerdotibus Unionis Apostolicae, 34. 35.

Oratio SS.i in Missa, 68-71.

— nocturna. Privilegium sacerdotum adoratorum, 139.

— S. Teresiae a Iesu Infante, 146.

— Sabbato Sancto ante expositionem SS.i 199. 200.

Missiones. Usus facultatum, 47*.

Pia unio cleri pro missionibus. Privilegia, 140-143. — Commendatur vir apostolicus Ioannes a Corvino, 149. — Lugdunensis soc. de Missionibus Africanis conditores laudantur, 171. 172.

Quid Missiones catholicae Sinensi populo afferre debeant, 180. 181.

Praeter proprias missiones, religiosi commendent Pontificium opus a Prop. Fidei, 197. 198.

Litterae de missione, 204. 249.

Monialium Confessio. *Locus.* 37-41.

Monopolium, 15*.

Necrologium, 47. 88. 152. 209. 251.

Nominationes, 47. 88. 151. 207. 250.

Noviciatus. Supputatio annorum, 49*. 82*. Interruptio, 83*. 84.*

Novicius. Supputatio dierum absentiae, 80*. — renuntians parochiae, 144*.

Nullitates actuum iuridicorum vel rescissio, 161* ss; voluntariae, 171*. Sanatio, 164* ss. In quonam foro nulli, 172*-174*.

Oblati B. M. V. Immaculatae. Approbatae Constitutiones, 250.

Occidentalis Ecclesia. De imaginibus, 59. 60.

Occultus casus, quid, 38. 43. 44.

S. Officium. Competentia in causis matrimonii mixti, 53-56. — Eius decreta de libris et diariis tenent Orientales, 130. 131.

Oratio SS. in Missa, 68-71. — pro Episcopo in anniversario consecrationis, 70 nota. — XL Horarum, 69. 70.

— piacularis ad SS. Cor Iesu, variis linguis, 109-117. Indulgentiae, 123. 124. 147. 148.

Oratorii principalis calendarium, 223*.

Ordinaria iurisdictionis hierarchia, constans Ap. Sede, Episcopis. Ceteri delegati, 185.

Ordinarius delegans facultatem permittendi communionem et confessionem in domo privata, 25. 26. — iudex causae privatae delationis ss. eucharistiae, 27-34. Facultas ei ante Codicem facta, 29. — Privatam delationem non potest parochis reservare, 32. Delegare potest facultatem permittendi delationem occultam, 32. 33.

— delegans pro assistentia matrimonii cum facultate subdelegandi, 38. 43. 44. — contrahens exercitia spiritualia an-

te ordinationes, 241-246. — physice deesse debet ut forma matrimonii habeatur cum solis testibus, 77-80. — laudatur qui mittat in Urbem sacerdotes ut orientalibus disciplinis imbuantur; elementa tradenda in Seminariis, 162. 163. — Eius licentia requiritur pro exhumatione, 193. 196.

Ordinarii pro appellatione, 45. 86. 206. 207. 250. — Ord. Sinensibus varia commendantur, 181.

Ordinatio sacra. Virtus antea requisita, 231*-241*. — Exercitia spiritualia praemittenda, 240-245. Ante Codicem vigens particularis Urbis lex, 242.

Ordo. Vide *S. Benedicti*; *Fr. Min. Cap.*; *Servi B. M. V.* — *canonissae regulares S. Augustini*; *Sorores a Visitatione*. *250*.

Ordo equester *S. Sepulchri*, 86.

Orientales *ritus*. Concelebratio, hodie, apud catholicos, 95*-101*; in ecclesiis separatis, 101*-105*.

Historice, 105*. 106*.

— Cultus imaginum, 59. 60.

Abusus Mendicantium, 72. 73. 152.

Erectio, in Sinis Ordinariatus ritus Byzantini-Slavici. 251.

Orientalia *studia* promovenda. Enc. litt. 157-167.

Orientalis *Ecclesia* tenetur decretis s. Officii de libris et diariis, 130.

S. C. pro Ecclesia Orientali praecedit omnibus Congregationibus praeter C. S. Officii et Consistorialem, 131.

Orientalium studiorum *Instituti* fata, 160-162. 164-166. 187.

Confirmatis eius privilegiis, consociatur cum Athenaeo Gregoriano, 186-191.

Vide *Armenorum conventus*.

Panchristianorum error, 7.

Papa. Auctoritas in bona ecc., 163* nota. Veritas eius Primatus, 5.

Parochus illicite assistens matrimonio mixto, an valide, 175*-186*. — delegans cum facultate subdelegandi, 38. 43. 44. — qua varia ratione possit pluribus paroeciis praefici, 66. — Copia eum habendi tunc tantum abesse censetur quando physice abest, 77-80. Parochi eius funerandi, 132-134.

Patronus loci. Quisnam proprie sit talis. Obligatio missae pro populo, 65-68. — missionum et missionariorum, 146. — — orphanorum et iuventae derelictae, 146.

Pauperum ascriptio Operi de Prop. Fide, 143.

Peccatum ratione sui specialissime S. Sedi reservatum, 246-248.

Perfectionis sectandae obligatio, 199* ss. 208*.

Pia Unio. Moderator facultatem benedicendi numisma delegare potest, 196.

Praefecturae Apostolicae. Litterae, 86. 249.

Praefectus *Apostolicus* dispensat ante mensem infirmos a ieiunio naturali, 226*.

Praesumptio legalis regit acta anteriora, 157*. -

Praesumptio validitatis matrimonii, 157*.

" Prayer Book " 16 nota. 17 ss.

Precatio, vide *Oratio*.

Pretium iustum, 4* ss. Licetne mercatori computare valorem substitutionis, compensationem pro mercibus minore pretio venalibus, 11*.

Privilegia unionis cleri pro missionibus, 141. Interpretatio, 140-143.

— Ordinum num impediunt usum facultatum benedicendi, ubi exstet conventus, 140. 142.

Privilegium Fidei. Usus, 241*-243*.

Probabilismus et sensus honestatis, 34*-44*.

Propagatio Fidei *(Pont. Opus a)*. Ascriptio religiosorum, 73. 74; religiosorum et pauperum, 143. Num requiritur inscriptio in albo, 143. Relatio inter opus et instituta religiosa missionalia, 197. 198.

Publicum, quid, 166* nota.

Puellarum gymnica athletica demonstratio reprobatur, 127-130.

Puer, quisnam, 145* ss. Institutio religiosa, 145* ss.

Rationis dictamen. Obligatio, 207.

Regulae propriae obligatio, 212*. 213*.
Religio vera unica sub Romano Pontifice, 3-5. Non distinguenda puncta fundamentalia et alia, 8.
Religio, Consociatio. Vide *Ordo. Congregatio.*
Religiosarum confessio, locus, 37-41.
Religiosi. Exclaustratio, saecularizatio, 50*. — Servitium militare in Italia, 148*-150* — Quomodo ascribuntur Pont. Operi a Prop. Fide, 73. 143. Commendent istud opus, 197. 198.
— Constitutiones approbatae, 150. 169. 205. 250.
Rescriptorum varia forma, 48*. — saecularizationis, 51*.
Reservatio *specialissima* peccati ratione sui, 246-248.
Res-sacramentum, in genere; quid in singulis sacramentis, 18*-34*.
Reviviscentia *sacramentorum.* 17*-34*.
Rhodiensis dioecesis restituitur, 204.
S. Rota Rom. Numerus causarum, 46. — Decanus favens cognitioni causarum acatholicorum, 55.
Russia. Pont. Commissio pro Russia recipit documenta de baptismo, 206.
Sabbatum Sanctum. Oratio SSi in Missa ante adorationem publicam, 199.
Sacerdotes adoratores. Consociatio. Privilegium missae nocturnae, 139.
Sacerdotium regale omnium christianorum, 102.
Sacramenta. Riviviscentia, 17*-34*. Quid, in singulis, res-sacramentum, 18*-34*.
« *Sacramentine.* » Constitutiones, 21-23.
Saecularizatio, 50*.
Sanationes. Vide *Tertius Ordo.*
Sanctiores ad plura quam alii tenentur, 215*.
Schola. Institutio religiosa, 145* ss.
Seminarium. Rector quosnam excludere debeat, 236*. — Elementa de rebus Orientalibus ibi tradenda, 163.
S. Sepulchri Ordo equester. Aboletur magnum magisterium, 86.
Sepulcrum maiorum, 134. 194: distinctum a sepulcro particulari, 134.
Sepultura. Electio. Vis, 134. 136. - exuviarum in ecclesia 191-195. Ossa et cineres pro sepultura corporibus aequiperantur, 194.
Societas Iesu administrans Institutum Biblicum et studiorum Orientalium, 161. 162. 231.
Servi B. M. V. Constitutiones approbantur, 205.
Sinensis Populus. Telegraphicum nuntium S. Pontificis, 1 aug. 1928. Erectio, in Sinis, Ordinariatus ritus Byzantini - Slavici, 251.
Sollemnitates actuum iuridicorum, 160*-174*.
Spiritus Sancti repraesentatio. Forma reprobata, 58-62.
Statisticae rationes religionis filiorum ex matr. mixtis, 177* nota.
Subdelegatio permissa Vicario delegato, 77*.
Superior missionum nominat vicarium delegatum, 70* nota.
Supputatio annorum noviciatus, 49*. 82*.
— absentiae novicii, 80*.
— tertiae partis pecuniarum quae arcae Instituti tradendae sunt, 85*.
Tertius Ordo FF. Min. Cappucc. Sanationes, 206.
Thronus cedi non potest Coadiutori vel Vicario Generali Vicarii Apostolici, 78*.
SS. Trinitatis imagines, 60-62.
Unio Apostolica Sacerd. saecul. a SS. Corde. Concessio missae votivae de SS. Corde, 34. 35.
Unionis fraternae cupiditas, 1; saltem inter christianos, 2. 3. Falsa et vera ratio, 3 ss.
— Per studia Orientalia causa unitatis fovetur, 165. 167. 168.
— Hortatio ad communem zelum, 166.
Universitas Pontificia studiorum ex facultatibus Athenaei Gregoriani, Instituto Biblico et studiorum Orientalium conflatur, 186-191. Vide *Gregoriana.*
Urbs *Roma.* In Urbe non exercetur de-

legata facultas Apostolicae Benedictionis, 140. 142. Exercitia spiritualia ante ordinationes sacras, 242.

Valor oeconomicus. Notio, Causae, 5*. Aestimatio, 5*.

Via Crucis. Imago crucifixi, ubinam cum indulgentiis Viae Crucis muniri potest, 140.

Vicariatus Apostolici, 204. 249.

Vicarius Apostolicus, nominans Vicarium generalem vel delegatum, vel vice-vicarium, 69*-71*; dispensat ante mensem infirmos a ieiunio naturali, 226*.

Vicarius cooperator generaliter delegatus pro matrimoniis, subdelegare potest, 38. 43. 44.

Vicarius delegatus in Missione. Epistola qua eius nominatio permittitur, 68*. Eius nominatio, potestas et munus, 69*- 78*. - Concurrens cum seniore, 76* nota. - Fons eius potestatis, 77*. - Non est Ordinarius, 78*. - Potestne legere libros prohibitos, 78*.

Vicarius generalis a Vicario et a Praefecto Apostolico nominari nequit, 69*. 70*. De natura eius potestatis, 72*. 73* nota.

Vice-vicarius, 71*.

Vinum pro missa, 79*.

Virgo-Sacerdos. Titulus improbatus, 85.

Virtus requisita ante sacros ordines, 231*-241*. — veritatem iuvat, 35*.

Visitatione *(Sorores a):* Constitutiones approbatae, 169. Instituti fata et laudes, 169-171.

Vota religiosa quae per accidens non fiunt perpetua, 223*.

Votum faciendi perfectiora non inutile, 217*.

Washington. Universitas catholica, 250. *World alliance for international friendship through the churches,* 14. *World Conference,* 15.

ERRATA

Pag. 149*, l. 18. 19. F. M. Cap. *lege,* F. M. Conv.
» 74 nota. *Adde, Acta Ap. Sedis,* 3 dec. 1929, XX, 176.

Periodica de re morali

v.17

CBPac

v.17

16761

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 7096